# INSTITUTIONES
## THEOLOGIÆ
## DOGMATICÆ, SCHOLASTICÆ, ET MORALIS,
### METHODO SYSTEMATICA PROPOSITÆ

AUCTORE

**P. DOMINICO SCHRAM**

BENEDICTINO BANTHENSE, SACRÆ THEOLOGIÆ, ET SS. CANONUM
PROFESSORE EMERITO.

**EDITIO PRIMA TAURINENSIS**

EMENDATA, AUCTA, INDICE RERUM INSTRUCTA,
ET IN TRIA VOLUMINA DISTRIBUTA.

**TOMUS II.**

TAURINI, 1837
EX TYPOGRAPHIA MUSSANO ET BONA
SUPERIORUM PERMISSU.

# CONSPECTUS

TRACTATUUM, PARAGRAPHORUM, SCHOLIORUM,

ET COROLLARIORUM PRACTICORUM,

*Quae in hoc secundo Tomo continentur.*

## TRACTATUS VIII.

### De Actibus humanis.

*Explicatur natura actus humani, voluntarium, involuntarium, liberum, et actus humani moralitas.*

## TRACTATUS IX.

### De Conscientia, et Legibus.

*Agitur de Regulis morum, scilicet Conscientia, Natura Legum in genere, Lege aeterna, Naturali, Divina Veteri, et Nova, Ecclesiastica, et Civili.*

## TRACTATUS X.

### De Vitiis et Peccatis.

*Explicantur natura, distinctio specifica et numerica, causa, effectus peccatorum.*

## TRACTATUS XI.

### De Virtutibus Theologicis.

*Explicantur Natura, Obiectum, Actus, Necessitas et Vitia contraria Virtutum Theologicarum, Fidei, Spei et Charitatis.*

## TRACTATUS XII.

### De Virtutibus Cardinalibus.

*Agitur de Prudentia, Fortitudine, Temperantia, Iustitia, variis illarum speciebus, et virtutibus illis annexis.*

# INSTITUTIONES
## THEOLOGIÆ
### DOGMATICÆ, SCHOLASTICÆ, ET MORALIS.

## TRACTATUS VIII.
### DE ACTIBUS HUMANIS.

## CAP. I.

*De Notione, et Divisione Actuum humanorum.*

§ 419. **A**d beatitudinem et finem nostrum supernaturalem tendimus per Actus humanos. Est autem *Actus humanus* actus a voluntate hominis deliberate procedens. Actus humanus quid?

*Schol.* 1. Actus humanus vel immediate a voluntate procedit, uti amor, odium, etc. et vocatur *actus elicitus:* vel procedit mediate mediantibus aliis potentiis, uti ambulatio, etc. et vocatur *actus imperatus.* Quotuplex? Actiones voluntatis elicitae sunt duplicis generis: aliae circa finem versantur, uti *simplex volitio, intentio* et *fruitio;* aliae circa media, uti *consensus, electio* et *usus activus.* Cum vero nihil sit volitum, quin praecognitum, his sex elicitis voluntatis actibus actus intellectus respondent, a quibus diriguntur, ita ut sit circa finem, *Apprehensio*, *Iudicium*: circa media *Consilium* seu *Consultatio, Iudicium practicum* seu *discretivum mediorum et Imperium.* Ex parte aliarum potentiarum *Usus passivus.*

*Schol.* 2. In omni actu humano recensiti hi actus reperiuntur, et hoc ordine se consequuntur. 1° Res ut bona ab intellectu voluntati proponitur per simplicem intellectus *apprehensionem;* unde *simplex volitio, complacentia*, seu *appetitus inefficax* boni propositi in voluntate sequitur, qui est amor finis, nulla habita ratione mediorum: quod si vero hic actus voluntatis non sit absolutus, sed ex aliqua conditione suspensus, *Velleitas* appellatur. 2° Quod si igitur hic appetitus satis fortis fuerit, tunc movet intellectum ad inquirendum, an bonum propositum conveniens, adeptuque possibile sit, et in intellectu sequitur *Iudicium*, quo bonum ut conveniens, et possibile voluntati proponit, quae vividius in illud inclinata, bonum illud per media assequibile intendit: hinc *Intentio* est desiderium efficax, finem per media assequendi, per quod a simplici volitione distinguitur: obiectum vero eius est finis tum ultimus tum intermedius per media obtinendus. 3° Igitur vi huius intentionis intellectus movetur et applicatur ad inquirenda media fini consequendo idonea per *Consilium* seu *Consultationem*, quae est quasi Syllogismus prudentiae, in quo inquisitio per Oeconomia actus humani.

modum praemissarum, indicium vero per modum conclusionis se habet, et dicitur etiam *Deliberatio,* quam in voluntate subseqnitur *Consensus*, quo appetit et approbat utilitatem mediorum. 4° Cum vero haec media sint diversa, vi consensus applicatur intellectns ad discerneudnm, quaenam sint media aptiora per *Iudicium practicum* seu *discretivum mediorum*, cui ex parte voluntatis respondet *Electio*, qna unum medinm prae alio acceptat; qnae proinde non est de fine, pront finis est, sed de mediis. 5° Vi electionis applicatur intellectus ad imperandam mediornm execntionem per *Imperium*, cui ex parte voluntatis respondet *Usus activus*, seu applicatio potentiarum executivarum, et huic applicationi activae respondet ex parte potentiarnm voluntati subditarum *Usus passivus*, sen ipsa executio mediornm, vi cuius finis acquiritur. 6° Ex operatione tandem finis obtentus sequitur, et ex parte voluntatis *Fruitio,* quae iucnnda in bono possesso quies est.

Quomodo intellectus voluntatem moveat?

*Schol.* 3. Intellectus movet voluntatem quoad specificationem, quippo intellectus proponendo obiectnm voluntati illam determinat ad actum certae speciei; nam voluntas ordinarie non elicit actum v. g. amoris, nisi quia tendit in obiectum sibi ab intellectu ut amabile propositum. Voluntas vero movet intellectum et alias potentias sibi subditas quoad exercitium, sive ut agant, qnia obiectum voluntatis est bonum in communi: sed potentia, quae respicit finem universalem, movet ad exercitium potentias, quae respiciunt fines particulares, uti Rex suos Praefectos: ergo etiam voluntas alias potentias ad suos actus. Rursus volnntas in nonnullis actibus se movet quoad exercitium; nam per hoc, quod vult finem, movet se ad volendum ea, quae sunt ad finem. In prima tamen volitione finis respectu totius vitae volnntas non se movet, sed a Deo movetur, quia respectu volitionis simpliciter primae voluntas non est in actu; alias non foret prima volitio.

An voluntas necessario bonum appetat?

*Schol.* 4. Voluntas si consideretur praecise ut natnra, appetit naturaliter et necessario bonnm sibi conveniens: si vero consideretur ut talis natura, non necessario, sed libere movetnr. Hinc voluntas necessario quoad specificationem appetit bonum in communi, ultimum finem, et beatitudinem sub notione commnni apprehensam; a nullo tamen bono particulari creato necessario qnoad specificationem moveri potest, quia nullum est, quod secundum aliquam considerationem sive ratione sui, sive ratione adiuncti non possit apprehendi ut non bonum, seu ab aliquo bono deficiens, cum non sit undequaque perfectum. Imo etiam voluntas a nullo obiecto necessario movetnr quoad exercitium, si sit bonum creatum. Dum vero voluntas a Deo movetur, nec quoad specificationem, nec qnoad exercitinm necessario movetur, nisi in iis, ad quae naturaliter movetnr; nam Providentia Divina omnia movet secundum conditionem eornm, ita ut ex causis necessariis per motionem Divinam sequantur effectus ex necessitate; ex causis vero contingentibus, et ad unum non determinatis, sed ad multa indifferenter se habentibus, qualis est voluntas, sequatur effectus contingens.

***Schol.* 5. Voluntas pro libertate sua ex duobus bonis aequalibus** vel inaequalibus, aequale vel minus eligere potest, etiam non mutato iudicio practico, nec proposito novo motivo, quo unum hic et nunc melius esse iudicet, et sic voluntas ultimum rationis iudicium non necessario sequitur, sed indifferens adhuc est, ut ratione etiam reclamante proposita sibi ab intellectu libere amplecti, vel respuere possit. Nam intellectus consulit, non cogit: persuadet, vim non infert; ergo ultimum eius iudicium amplecti, vel respuere potest. Certe si hoc non admittamus, voluntas nullis virtutibus excolenda foret, sed solus intellectus instruendus foret, cuius ultimum iudicium voluntas sequi deberet, et in peccato solus error in intellectu in vitio foret. Deinde ipsa experientia nos docet, quod saepe bonum verum iudicatum reiiciamus, et in bonum apparens, reclamante conscientia, adeoque manente priore iudicio practico, feramur. Non obstat I. quod voluntas sit potentia caeca, quae intellectum ducem sequi debet. *Resp.* Est potentia caeca, quatenus nil distincte cognoscit, sicuti intellectus, quo modo spectata ab intellectu distinguitur: quia vero voluntas semper cum confusa sensuum experimentali notitia coniungitur, hinc non potest dici potentia omnino caeca; alias enim intellectum non moveret (Schol. 3.), si nihil intueretur; hinc etiam voluntas cum confusa hac notitia indivisibiliter coniuncta probare et improbare potest; imo saepe caeco impetu sine distincta intellectus cognitione in bonum propositum ruit. Non obstat II. quod hoc modo fieri posset, ut ultimum rationis dictamen ad iustitiam, et actus voluntatis ad iniustitiam pertineat. *Resp.* Hoc saepe in nobis ipsis experimur, quod intellectu recte iudicante voluntas voluptatum illecebris illecta nos in transversum agat: ideo rationem exoramus, ut taceat, et eam alio divertimus. Non obstat III. quod voluntas nunquam peccet, nisi error in intellectu praecesserit. *Resp.* Error ille spectat ad partem inferiorem, seu cognitionem confusam ex sensibus ortam erronee iudicantem, quae cum voluntate coniuncta est.

**An voluntas ultimum rationis iudicium semper sequatur?**

*Schol.* 6. An imperium a iudicio discretivo (Schol. 2.) realiter distinguatur, Scholae sine utilitate disputant. Porro omnes illi actus, qui sunt in arbitrio nostro, ab intellectu imperari possunt: uti 1° omnes actus voluntatis, primo excepto. 2° Actus rationis, qui sunt in potestate nostra; siquae enim cogitationes vel a Deo, vel a diabolo nobis inspirentur, non quidem ex imperio rationis veniunt; ex hoc tamen imperio admitti, vel respui, continuari, vel interrumpi possunt. 3° Nonnulli actus appetitus sensitivi, qui dependent a cognitione confusa sensuum, seu imaginatione, nisi haec rationem praeveniat, cadunt sub imperio rationis, nonnulli vero, qui ex dispositione organi corporei dependent, quae non est in nostra potestate, rationis imperio non subsunt. 4° Eodem modo actus vegetandi imperio rationis non subduntur. 5° Quidam actus membrorum externorum, quae moventur a potentiis sensitivis, uti motus manuum, pedum, etc. imperio rationis subsunt; motus autem membrorum, qui sequuntur vires na-

**Quinam actus imperio rationis subsint?**

turales, uti motus cordis, non subsunt; membra etiam genitalia quoad motum localem rationi non obediunt, sed in poenam originalis peccati, uti docet S. Augustinus, saepe resistunt, maxime cum certam alterationem requirant.

## CAP. II.

### *De voluntario, et involuntario.*

Voluntarium quid? § 420. Actus humani, quia a voluntate procedunt (§ 420.), vocantur voluntarii. Est autem *Voluntarium* actus a voluntate procedens ex praevia cognitione eorum, in quibus est actio: seu earum circumstantiarum, quae ad actionem pertinent.

Voluntarium quotuplex? *Schol.* 1. Voluntarium aliud est 1. *voluntarium simpliciter*, quod fit ex plena voluntatis inclinatione sine ulla repugnantia: aliud est *voluntarium secundum quid*, quod quidem fit ex voluntatis consensu, sed non sine repugnantia, uti proiectio mercium in mare tempore tempestatis. 2. Aliud est *voluntarium necessarium*, a quo voluntas vel absolute, vel hic et nunc abstinere non potest: uti amor, quo Deus se diligit: aliud est *voluntarium contingens*, quod procedit a voluntate operante cum indifferentia. 3. Aliud est *voluntarium in se, explicitum* et *expressum*, quod in se ipso immediate volitum est, uti si quis alterum occidat, quia vult occidere: aliud est *voluntarium in causa implicitum* et *virtuale*; quod licet non in se, in alio tamen confuse praeviso, veluti causa talis effectus, volitum est. Sic voluntaria est occisio illi, qui libere se inebriat, praevidens, se in ebrietate homicidii capacem fore. 4. Aliud est *voluntarium directum* seu *formale*, quod procedit a voluntate per actum positivum operante, quales sunt omnes actus voluntatis eliciti et imperati: aliud est *voluntarium interpretativum* seu *indirectum*, quod licet non procedat a voluntate ut efficiente, ab ea tamen dependet, sive quia voluntas actum ponere potest, et debet, v. g. dum pater non corripit filium delinquentem; sive quia voluntas actum quidem ponere potest, non tamen tenetur; v. g. dum quis die non festo vult studere, dum Missa dicitur.

An ad omissionem voluntariam requiratur obligatio actum ponendi? *Schol.* 2. Quaerunt hic Scholae, an ad omissionem voluntariam requiratur obligatio actum ponendi. Respondetur, ut omissio et effectus ex ea sequens sit voluntarius, requiritur obligatio ponendi actum, qui omittitur. Ratio est, quia sine hac obligatione omissio non continetur virtualiter in actione incompossibili cum ea, quae omittitur, tamquam in causa, sed est mera negatio, non vero privatio, cum debitum ponendi actum non adsit. Non obstat I. quod omissio v. g. Missae non praeceptae sit in potestate voluntatis: ergo est voluntaria. *Resp.* Est voluntaria non actu, sed solum potentia. II. Omissio haec est voluntaria cum praecepto: ergo etiam sine illo; nam praeceptum est quid extrinsecum, et praeceptum tantum de illo, quod est voluntarium, datur. *Resp.* Disparitas est, quia cum praecepto omissio est vera privatio, sine eo est mera negatio, et praeceptum datur de vo-

luntario potentia, non vero actu tali. III. Causa omissionis, v. g. studium, non est voluntaria: ergo etiam ipsa omissio. *Resp.* Studium non est causa formaliter intenta omissionis Missae non praeceptae, sed materialiter solum volita, quae voluntarium non inducit.

§ 421. Voluntario opponitur *Involuntarium*, quod non est a propensione voluntatis tamquam principio intrinseco; vel quod fit sine praevia cognitione intellectus. Involuntarium quid?

*Schol.* Involuntarium aliud est 1. *privative* tale, cum voluntas aliquid non vult, quod velle posset: aliud est *contrarie* vel *positive*, quo aliquid non tantum non est volitum, sed etiam nolitum, et voluntati adversum. 2. Involuntarium contrarie aliud est *simpliciter*, quod ita voluntati displicet, ut illud nullo modo velit, sive impedire possit, ne fiat, sive non. Tales sunt motus concupiscentiae insurgentes contra voluntatem omnino renitentem: aliud est Involuntarium *secundum quid*, quod licet sub aliquo respectu voluntati displiceat, eidem tamen sub aliqua consideratione magis placet, et ab ipsa acceptatur, uti proiectio mercium in mare ad vitandum naufragium. Quotuplex?

### Art. 1. *de causis Involuntarii, ac 1um de Vi.*

§ 422. Quatuor sunt causae Involuntarii. *Prima. Vis* seu *violentia*, quae est motio, cuius principium est ab extrinseco, in contrarium renitente passo. Quippe ad violentiam non sufficit, ut quis se habeat mere negative, alias iustificatio parvulorum foret violenta; sed requiritur, ut actualiter vel virtualiter reluctetur. Violentia vel vis quid?

*Schol.* Violentia alia est *absoluta*, cum quis eo modo resistit, quo potest: alia *secundum quid*, cum quis resistit quidem, sed minus efficaciter, quam possit. *Violentum* etiam dicitur de rebus inanimatis, et requirit vim ab extrinseco illatam. *Coactum* dicitur de agentibus animatis, sive ratione careant, sive non. *Involuntarium* de solo agente rationali dicitur. Quotuplex?

§ 423. 1. Violentia absoluta voluntarium tollit. Nam voluntarium est a principio intrinseco (§ 421.), et consequenter secundum inclinationem voluntatis. Violentum vero est a principio extrinseco (§ 425.), et contra inclinationem passi: ergo voluntarium tollit (§ 421.). Violentia absoluta tollit voluntarium.

2. Violentia vero secundum quid voluntarium non tollit, sed tantum minuit. Nam ubi voluntas non omnino resistit, ibi remanet aliqua ratio voluntarii, maior, vel minor, prout voluntas magis, aut minus resistit. Sed ubi violentia secundum quid infertur, voluntas non omnimodo resistit, cum supponatur penes eam esse, ut magis resistat (§ 422. Schol.). Ergo voluntarium non tollit, sed tantum minuit. Violentia secundum quid voluntarium minuit.

*Schol.* Non obstat I. quod Martyres passi sint violentiam a Tyrannis, et tamen voluntarie passi sint: *Resp.* Martyres non sunt passi violentiam absolutam, quia eam negando fidem vincere potuissent; sed mori maluerunt. II. Qui contorquet manum contra naturalem Solvuntur obiectiones.

eius flexibilitatem, voluntarium simul et violentum motum exercet. *Resp.* Non adest violentia simpliciter; nam respectu particularis inclinationis motus manus est violentus; respectu vero voluntatis est voluntarius.

Resolvuntur casus conscientiae. *Corollarium Practicum.* 1° Si cui genua coram idolo per vim curvarentur, sine et contra suam voluntatem, non peccaret. 2° Mulier vi oppressa a viro, cui interne et externe, quantum potest, resistit, non peccat.

Art. 2. *de Metu.*

Metus quid? § 424. Secunda causa involuntarii est *Metus*, qui est taedium, inquietudo, et perturbatio ex malo adventuro percepta.

Quotuplex? *Schol.* Metus alius est *gravis*, alius *levis*. Gravis, alius est *absolute gravis*, cadens in constantem virum, quo timetur malum grave, et imminens: alius est *respective gravis*, quo licet non moveretur vir constans, movetur tamen meticulosus, uti puer, foemina, etc.

Metus non tollit voluntarium. § 425. 1. Quae fiunt ex metu naturali, sunt per se loquendo voluntaria simpliciter in genere liberi: nam ibi manet voluntarium, ubi ex parte mentis non tollitur cognitio, nec electio ex parte voluntatis (§ 421.). Sed metus etiam gravis non tollit cognitionem; nam mercator merces suas in mare proiiciens, et earum pretium cognoscit, et vitae periculum, in quo versatur, et ipsam actionem merces proiiciendi, quam libere eligit, quia plus amat vitam, quam merces. Ergo manet voluntarium simpliciter.

Sed minuit. 2. Quae tamen ex metu naturali fiunt, sunt in genere liberi involuntaria secundum quid. Quod enim minuit libertatem, facit, ut actio in genere liberi sit involuntaria secundum quid (§ 422. Schol.). Sed metus libertatem minuit, uti per se patet. Ergo facit involuntarium secundum quid.

Solvuntur obiectiones. *Schol.* 1. Dictum est, *quae fiunt ex metu naturali;* nam non omnis metus tale involuntarium causat: hinc qui ex metu supernaturali gehennae a peccato abstinet, peccandi voluntatem excludere potest, adeoque observatio legis ab eo praestita nihil involuntarii habet: tunc enim solum voluntas habet actum nolitionis circa obiectum, si hoc, licet hic et nunc ob necessitatem bonum sit, in se tamen malum appareat, uti proiectio mercium. Si vero obiectum tum in se, tum abstrahendo a periculo bonum sit, uti servare mandata Dei, et homo timore supernaturali perculsus hoc intelligit, non adest aliquod involuntarium. Deinde dictum est, *per se loquendo;* nam metus ita subinde rationem turbare potest, ut tollat omnem advertentiam et voluntarium. Non obstat I. quod facta ex metu gravi fiant reluctante voluntate: ergo non sunt voluntaria. *Resp.* Voluntas non reluctatur simpliciter et efficaciter, sed inefficaciter tantum. Non obstat II. quod Contractus, Matrimonium, et Votum solemne ex metu sint invalida: ergo metus tollit voluntarium. *Resp.* Sed haec non sunt invalida iure naturae, sed tantum positivo. Non obstat III. quod metus gravis excuset

a culpa eum, qui praeceptum Ecclesiae transgreditur. *Resp.* In hoc casu lex Ecclesiae cessat, nec obligat.

*Corollar. Pract.* 1° Metus etiam gravissimus in iis, quae sunt intrinsece mala, non excusat a peccato; excusat tamen a tanto peccato, eo magis, quo gravior est metus. 2° In his vero, quae sunt mala non intrinsece, sed solum quia sunt prohibita, metus gravis regulariter excusat a toto peccato, quia leges positivae ex intentione Legislatorum non obligant cum magno dispendio, nisi lex esset tanti momenti, ut iudicio prudentum praeponderet vitae alicuius particularis; vel transgressio legis cederet in contemptum Religionis, aut potestatis Legislativae. Resolvuntur casus conscientiae.

*Schol.* 2. Quaeritur hic, an Loth ex metu sibi a Sodomitis incusso licite obtulerit suas filias eorum libidini. Caietanus, et Natalis Alexander putant, Loth non obtulisse filias suas animo repensandi flagitium flagitio, sed furentem populum placandi per hyperbolicam sui submissionem: credebat enim prudenter, populum hanc oblationem non acceptaturum, quia filiae eius civibus Sodomae iam desponsatae fuerunt. Probabilius est, Loth non esse a peccato omnino excusandum, licet animi turbatio, et studium hospites defendendi peccatum minuerint. Nam *ad Rom.* 3. *Non licet facere mala, ut eveniant bona.* Et S. Augustinus *l. contr. mendac.* c. 9. censet, Loth filias suas ad stuprum obtulisse, quod non licet. Certe Loth non erat Dominus corporis et pudicitiae filiarum suarum, et ut pater tenebatur carum saluti consulere. Ergo offerendo, a peccato penitus excusari nequit. Non obstat I. quod Loth etiam post hoc factum iustus vocetur, 2. *Petr.* 2. *Resp.* Vocatur iustus, vel respectu Sodomitarum: vel quia ob animi perturbationem non peccavit graviter: vel quia de suo peccato poenitentiam egit. Non obstat II. S. Chrysostomus, qui *hom.* 43. *in Gen.* factum Loth laudat. Et S. Thomas *q.* 1. *de malo, a.* 5. *ad* 14. ait: *Loth non praeelegit culpam poenae ... quia tollerabilius est, si quis committat minorem culpam, quam maiorem. Resp.* S. Chrysostomus tantum laudat benevolentiam Loth erga hospites, non propudiosam filiarum prostitutionem. Et S. Thomas innuit, Loth tollerabilius peccasse, eligendo minorem culpam, prae maiori. Non obstat III. quod liceat suadere minus malum ad vitandum maius. *Resp.* Hoc tantum licet, si suasio minoris mali habeat pro obiecto omissionem vel minorationem maioris mali sine damno tertii, de quo non cogitat malefactor: Loth vero stupro filiarum suarum cooperari voluit. An Loth peccaverit offerendo filias ad stuprum Sodomitis?

### Art. 3. *De Concupiscentia.*

§ 426. Tertia causa involuntarii est *Concupiscentia*, sive passio, aut affectus; qui est actus vehementior appetitus sensitivi prosequens bonum sensibile: vel aversationis sensitivae fugiens malum sensibile. Concupiscentia quid?

*Schol.* Concupiscentia, alia est 1. *antecedens*, quae praecedit consensum voluntatis, eumque allicit, v. g. cum visa muliere voluntas Quotuplex?

ad eius desiderium movetur: alia est *consequens*, quae oritur ex praevio voluntatis actu, v. 9. cum ex desiderio voluntatis passio excitatur in corpore: alia est *concomitans*, quae ita sequitur voluntatis consensum, ut causa ardentioris motus eiusdem voluntatis. 2. Concupiscentia, alia est *gravis*, quae rationem aliquantisper turbat, sed eius usum non tollit: alia est *gravissima*, quae ita vehemens est, ut libertatis et rationis usum omnino perimat.

Concupiscentia auget voluntarium, si sit antecedens, ratione obiecti.

§ 427. 1. Concupiscentia antecedens ordinarie loquendo ratione obiecti, ad quod directe movet, auget voluntarium: nam inflammat voluntatem, et efficit, ut in obiectum maiori cum inclinatione feratur, uti patet in homine, qui mulierem deperit: ergo auget voluntarium (§ 421.).

Minuit vel tollit ratione circumstantiarum.

2. Sub alio vero respectu, silicet ratione circumstantiarum, minuit, et si gravissima fuerit, omnino tollit voluntarium, et libertatem. Quippe si concupiscentia gravis et vehemens fuerit, imminuit cognitionem; impedit enim, ne mens ab obiecto, in quod tendit, rapta et illecta consideret rite turpitudinem offensae Dei, et minuit indifferentiam, eo ipso, quod voluntatem fortius in unam contradictionis partem determinet: imo si gravissima fuerit, libertatis et rationis usum omnino perimit.

Consequens voluntarium auget.

3. Concupiscentia autem consequens auget voluntarium et peccatum. Haec enim non minuit liberum saltem moraliter, licet physice minuere possit, quia est effectus voluntatis, quae in semetipsa sponte, libere et providens, ardorem mali inflammavit: ergo auget voluntarium.

Resolvuntur casus.

*Coroll. Pract.* 1° Qui peccat ex habitu neque a toto, neque a tanto peccato excusatur; imo gravius peccat, quia maiori inclinatione et delectatione peccat. 2° Dum malus habitus displicet; et peccator adhibitis mediis eum, quantum potest, eradicare studet, motus mali, qui ex eo indeliberate fluunt, non imputantur ad culpam, quia desinunt esse liberi in suo principio.

### Art. 4. de *Ignorantia*.

Ignorantia quid?

§ 428. Quarta causa involuntarii est *Ignorantia*, quae est carentia scientiae in subiecto scire capaci: si vero subiectum sit incapax ad sciendum, v. g. in amentia, dicitur *Nescientia*.

Quotuplex?

*Schol*. Ignorantia, 1. ratione personae ignorantis spectata, alia est *invincibilis*, quae communibus naturae vel gratiae auxiliis vinci non potest, adeoque nec adhibita debita diligentia: alia est *vincibilis*, quae adhibita debita diligentia, communibus naturae et gratiae auxiliis vinci potest. 2. Ignorantia vincibilis, alia est *affectata*, cum quis de industria aliquid ignorare affectat, ut liberius peccet: alia est *crassa* et *supina*, si quis directe quidem non affectet ignorare, debitam tamen diligentiam non adhibeat, ut ignorantiam devitet. 3. Ignorantia ratione obiecti, alia est *iuris* seu *praecepti*, quando quis legem ignorat: alia est *facti*, quando quis legem sciens, nescit, se contra eam agere.

4. Ignorantia in ordine actionis, alia est *antecedens*, quae nullo modo est volita, et tamen est causa volendi id, quod quis alioquin non vellet; uti quando Iacob ad Liam accessit: haec ignorantia est invincibilis: alia est *concomitans*, quae actionem concomitatur, ita ut non sit causa illius, quia actio adhuc fieret, licet ignorantia abesset: talis est ingorantia illius, qui hostem occidit, ratus, esse feram; ita tamen est dispositus, ut licet scivisset esse hostem, tamen occidisset: alia est *consequens*, quae a voluntate directe vel indirecte volita est, estque vincibilis.

Ignorantia antecedens causat involuntarium.

§ 429. 1. Ignorantia antecedens causat involuntarium simpliciter: nam opus ex ignorantia antecedente factum fit sine cognitione, quoad circumstantias est ignoratum, et est contra inclinationem actualem, habitualem, et interpretativam agentis; non enim vellet, si ignorantia abesset: ergo est simpliciter involuntarium (§ 422.).

Concomitans nec voluntarium, nec involuntarium

2. Ignorantia concomitans nec voluntarium nec involuntarium facit. Scilicet opus ex hac ignorantia factum nec volitum est in se, cum supponatur invincibiliter ignoratum; nec in suo causa, nimirum ipsa ignorantia, cum nullatenus volita sit: ergo non est voluntarium (§ 421.). Deinde hoc opus non est contra inclinationem agentis; perinde enim fieret, si cognitio adesset: ergo non est involuntarium saltem positive (§ 422.), sed tantum negative, seu non voluntarium, quia fit sine cognitione requisita ad voluntarium.

Consequens voluntarium simpliciter, et involuntarium secundum quid.

3. Ignorantia vero consequens non affectata facit opus simpliciter voluntarium, et involuntarium secundum quid: affectata autem facit opus voluntarium. Qui enim vult causam, vult effectum illius. Sed agens ex ignorantia consequente non affectata vult causam (429. Schol.). Ergo vult effectum, adeoque opus est simpliciter voluntarium. Deinde actio, quae fit ex ignorantia pure consequente, fit contra aliquam voluntatis propensionem; qui enim ex tali ignorantia agit, sic affectus esse censetur, ut seclusa ignorantia non ageret id, quod agit; uti cum quis sine sufficiente diligentia praemissa occidit amicum, ratus, se feram occidere: ergo facit opus involuntarium secundum quid (§ 421. Schol.). Denique ignorantia non affectatur, nisi ut homo liberius peccet: ergo ignorantia affectata facit, ut actio, quae ardentius quaeritur magis sit voluntaria (§ 429. Schol.).

Resolvuntur casus.

*Corollar. Pract.* 1° Ignorantia antecedens omnino excusat a peccato: concomitans nec omnino excusat, nec accusat de peccato: unde qui occidit hostem, putans invincibiliter esse feram, manet quidem reus homicidii interni propter malam voluntatem occidendi inimicum, si cognovisset: excusatur tamen ab homicidio externo, et a poenis ac censuris, quia opus externum non est voluntarium. Consequens accusat de peccato; minuit tamen voluntarium secundum quid eo magis, quo levior fuerit, ita ut etiam ex mortali de se veniale faciat. 2° Ignorantia et negligentia sciendi illa, quae scire praeceptum est, est speciale peccatum illi virtuti oppositum, quae in illarum rerum cognitione versatur: sic ignorantia rerum fidei, est peccatum fidei

oppositum: ignorantia vero rerum per se non praeceptarum, sed tantum per accidens in ordine ad opus praeceptum vel prohibitum, non est speciale peccatum, sed speciem accipit a legis transgressione, cuius causam vel periculum praebet: sic vincibilis ignorantia, an sit dies ieiunii, quo quis carnes edit, spectat ad peccatum intemperantia.

## CAP. III.

### *De Libertate, eiusque speciebus.*

Libertas quid? § 430. Actus humanus a voluntate cum praevia cognitione procedit (§ 420. 421.); cum vero intellectus non eadem semper obiecta consideret, sed ex unius cognitione ad notitiam alterius progrediatur, et sic voluntatem modo ad huius, modo ad illius amorem excitet, imo in eodem obiecto modo sensuum impetu abreptus bonum confuse repraesentet, mox sedatis sensuum motibus nullum bonum adesse cognoscat, et sic voluntatem diversimode impellat; adeoque intellectus in cognoscendo et iudicando sit universalis, et voluntas ad omne et universale bonum extendatur: hinc resultat in voluntate dominium super suos actus, ac ius de illis ad nutum disponendi, quod dicitur *Liberum arbitrium*, cuius actus est *Electio*: licet enim voluntas in bonum sibi ab intellectu propositum feratur, quia tamen ad omne bonum se extendit, nec ab uno tantum determinatur, in amore primi boni semper indifferens erit, ut ab eius amore ad aliud bonum convertatur; imo quando unum bonum eligit, nunquam ita illo satiabitur, ut aliud bonum appetere, vel electum respuere non possit. Igitur *Liberum arbitrium* seu *Libertas* est facultas, quae positis omnibus ad egendum praerequisitis, potest agere vel non agere.

Libertas quotuplex? *Schol.* 1. Libertas varie accipi potest. 1. Pro *libertate a peccato*, et dicitur *libertas gratiae*, ad *Rom.* 6. v. 18. 2. Pro *libertate a miseriis*, et dicitur *libertas gloriae*, ad *Rom.* 8. v. 21. 3. Pro *libertate a legis obligatione*, et dicitur *libertas exemptionis et privilegii*. 4. Pro *libertate a coactione*, et dicitur *spontaneitas* seu *lubentia*, quae reperitur in omnibus nulla externa vi compulsis, sed ex inclinatione quamvis necessitante agentibus; quaeque proinde etiam brutis et rebus inanimatis competit. 5° Pro *libertate a necessitate*, quae est immunitas non solum a coactione, sed etiam a naturali instinctu et determinatione ad unum, sine potentia ad oppositum, qua libertate gaudet, qui potest velle et non velle, hoc vel illud velle. Dicitur haec *Libertas indifferentiae*, quia est ad opposita; estque duplex: *Libertas exercitii* seu *contradictionis* est ad actum, et eius omissionem, qua quis agere, et non agere potest. *Libertas specificationis* est ad actus specie diversos, qui si sint contrarii, dicitur *Contrarietatis*, uti odisse et amare: si vero disparati, uti orare vel studere, dicitur *Libertas disparitatis*.

Necessi- *Schol.* 2. Sicuti multiplex est libertatis acceptio, ita etiam neces-

sitatis. 1. Alia est *necessitas coactionis*, id est violentiae exterior inductio. 2. Alia est *necessitas inclinationis*, vel *naturalis*, proveniens ex principio intrinseco ad unum naturaliter determinante. 3. Alia est *necessitas antecedens absoluta*, et *consequentis*, quae vel rationis et voluntatis usum antecedit, uti motus primo primi, et vocatur involuntaria et indeliberata; vel quae, licet sit deliberata, sic tamen voluntatis consensum indeclinabiliter antecedit, ut eum invincibiliter exprimat. 4. Alia est *necessitas consequens*, *conditionata* et *consequentiae*, quae sequitur ex aliqua suppositione, et in agente libero exercitium libertatis demonstrat: tali necessitate necesse est, me loqui, si ad loquendum me determinaverim. 5. Alia est *necessitas specificationis* ad obiectum, et *exercitii* ad actum. 6. Alia est *necessitas perpetua*, alia *transiens*. 7. Alia est *necessitas physica*, seu naturalis determinatio ad unum: alia *moralis*, seu summa difficultas operandi bonum et abstinendi a malo ob habitus inveteratos. tas quotuplex.

*Schol.* 3. Radix libertatis duplex est: alia est *extrinseca*, scilicet summa efficacia Divinae voluntatis: cum enim Deus sit causa universalissima totius entis, et omnium eius modorum, inter quos etiam est libertas, haec ab efficacia Divinae voluntatis tamquam a radice extrinseca profluit. Alia est *intrinseca*, quae iterum triplex est. Prima est *remota*, nimirum spiritualitas animae. Secunda et *propinquior* est universalitas intellectus in cognoscendo et iudicando. Tertia est *proxima*, seu amplitudo et capacitas voluntatis ad omne, et universale bonum. Hinc libertas originative et regulative est ab intellectu, a cuius cognitione oritur indifferentia; formaliter vero est a voluntate, quae sola est electiva. Porro ut libertas sit potentia agendi, vel non agendi, debent adesse omnia ad agendum etiam tempore praerequisita, ita ut cum illis non solum possit componi potentia non agendi, quod est sensus divisus, sed etiam non actus, quod est sensus compositus: si vero praerequisita tantum natura, et causalitate intelligantur, inter quae est motio Divina, non potest agere et non agere in sensu composito, sed tantum in sensu diviso, quia cum praerequisitis natura tantum ad actum nequit componi non actus, bene vero potentia expedita non agendi, et quidem proxima, id est talis, quae absque ulla mutatione ex parte sui hoc vel illud agere potest. Radix libertatis.

ART. 1. *De hominis libertate a necessitate, seu indifferentiae.*

§ 431. Homo lapsus non solum a coactione, sed etiam a necessitate liber est. Ita docet *Primo* S. Scriptura, *Gen.* 4. *v.* 7. *Nonne si bene egeris, recipies, si autem male, statim in foribus peccatum aderit? Sed sub te erit appetitus eius, et tu dominaberis illius.* Ubi Lutherus male vertit: *An non est sic? si tu pius es, tunc es acceptus: si autem non pius es, tunc quiescit peccatum ante ianuam; sed non permitte illi suam voluntatem, sed regna super illud.* Certe verbum היטיב *(tetiv)* in hiphil significat *bonum agere*, non vero *pium esse.* Item verbum שאת *(seet)* a נשא *(nasa)* significat etiam *recipere*, uti Homo est liber a necessitate.

Lutherus ipse vertit, *Esth.* 2. *v.* 15. et Targum Ierosolymitanum: se solo autem sine addito הן *(to)* numquam significat *acceptum* esse. Deinde verbum תשוקה *(tescukah)* a שוק, *(scuk)* significat *appetitum*, non vero *voluntatem unam*. Ex hoc textu patet quod Cain fuerit in statu naturae lapsae, et peccator, uti etiam constat ex *v.* 5. et *Sap.* 10. *v.* 3. Sed hic habuit libertatem indifferentiae ad vitandum malum et eligendum bonum cum gratia Dei: tum quia alias eum frustra interrogaret Deus: *Quare iratus es?* si necessario iratus fuisset: tum quia Deus promittit sub conditione: *Si bene egeris, recipies*; et minatur: *si autem male, statim in foribus peccatum aderit.* Igitur in potestate Cain erat, bene vel male agere; alioquin si necessario ageret, frustra conditio apponeretur: tum quia dicitur: *Sub te erit appetitus eius*, scilicet peccati, cuius paullo ante mentio facta fuit: *Et tu dominaberis illius.* Ergo hic appetitus non necessitat, et in statu naturae lapsae datur facultas dominandi appetitui, et tentationibus resistendi; id quod clarius explicat versio Arabica: *In electione tua appetitus eius.* Et Targum Ierosolymitanum: *In manum tuam tradidi potestatem concupiscentiae tuae, et tu dominare ei, sive ad bonum, sive ad malum.* Nec obstat, quod in Hebraico et Graeco legatur: *Ad te conversio eius*; id est, tu appetitus dominaberis Abeli: nam חטאת *(chatat) peccatum* est generis foeminini, adeoque ly *illius* ו *(vav)* quod est generis masculini, non ad peccatum, sed Abelem referri debet. Verum citato verba: *Sub te erit appetitus eius*, saltem quoad sensum in Hebraica habentur, et Lutherus ipse vertit: *Non permitte illi voluntatem.* Deinde in sequentibus: *Tu dominaberis illius*, clare libertas indifferentiae asseritur. Quod vero sermo sit de dominio appetitus, et peccati, non vero Abelis, quasi vero Deus Caino promitteret, quod prae Abele mansurus sit primogenitus; patet, tum quia ita intelligunt LXX. teste S. Augustino *l.* 15. *de Civ. c.* 7. *Tu dominaberis illius numquid fratris? absit: cuius igitur, nisi peccati?* tum quia relativum *eius*, *illius* referri debet ad id, de quo Deus antea locutus fuerat, sed de peccato, non vero de Abele sermo erat. Denique ly חטאת *(chatat)* contra communem regulam etiam generis masculini esse, ostendit tum adiunctum participium masculinum רבץ, *(rovets) cubans in foribus*: tum quia *Lev.* 4. *v.* 24. habetur הוא חטאת *(chatat hu) peccatum ipse*. Rursus *Ios.* 24. *v.* 15. dicitur: *Optio vobis datur: eligite hodie quod placet, cui servire potissimum debeatis.* Sed ubi est electio, est libertas indifferentiae, et servire Deo est actus bonus; et *v.* 18. Israelitae elegerunt servire Deo: et *Deut.* 30. *v.* 19. Moyses coelum et terram invocat, quod possint Israelitae eligere bonum et malum. Ergo datur libertas indifferentiae. Non obstat, quod optio tantum proponatur. Nam etiam ab Israelitis facta esse dicitur *v.* 18. et quidem ex ratione *v.* 17. quia Deus eduxit eos de Ægypto: imo etiam de cultu interno, *v.* 24. *Obedientes erimus praeceptis eius*, quae praecepta erant de cultu interno: *ut timerent eum et servirent ei perfecto corde et verissimo.*

Lutherus: *fideliter, et legitime.* Item *Eccli.* 15. *v.* 14. *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit eum in manu consilii sui. v.* 15. *Adiecit mandata et praecepta sua. v.* 16. *Si volueris mandata servare, conservabunt te. v.* 17. *Apposui tibi aquam et ignem; ad quod volueris, porrige manum tuam. v.* 18. *Ante hominem vita et mors, bonum et malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Hic sermo est non de statu naturae integrae, sed lapsae; nam *v.* 16. dicitur ad hominem praesentem: *Si volueris;* et *v.* 18. in futuro: *Dabitur illi*: et Ecclesiasticus agit cum blasphemis Deum peccatorum suorum Auctorem facientibus. Sermo est etiam de bono supernaturali, quale est servire Deo. Haec omnia confirmat versio Arabica, quae legit; *Dominus creavit homines ab initio saeculi, eisque potestatem dedit in suas ipsorum voluntates.* Et Syriaca legit: *Deus ab initio creavit homines, et commisit eos proprio ipsorum arbitrio.* Hinc *Eccli.* 31. *v.* 10. dicitur: *Qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala, et non fecit.* Brucknerus haec male legit per interrogationem, et de bono naturali pessime exponit, cum sit contra contextum, et vincere tentationes sit bonum supernaturale. Similia habentur in N. T. *Matth.* 23. *v.* 37. *Quoties volui congregare filios tuos . . . et noluisti?* 1. *Ad Cor.* 7. *Quod vult, faciat; non peccat, si nubat . . . . . . non habens necessitatem, potestatem autem habens suae voluntatis. Secundo* Tridentinum *sess.* 6. *can.* 4. definit: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum, nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti, atque vocanti; anathema sit.* Et *can.* 5. *Si quis liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum, aut extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a Satana invectum in Ecclesiam; anathema sit.* Hic non solum Protestantium, sed etiam Iansenii error damnatur, qui docet, peccatores dominante concupiscentia in malum necessario abripi, et iustos in bonum rapiente superiori gratia ( t. 1. §. 332. Schol. 1. §. 360. Schol. 1. ), unde non manet electio: docet, non posse hominem velle resistere gratiae efficaciter moventi, quia habet ligatam facultatem, cum destituatur opposita superiori delectatione necessaria, ut voluntas possit velle oppositum ( loc. cit. et § 333. ): docet, liberum arbitrium in homine lapso periisse *l.* 3. *de stat. nat. laps. c.* 9. docet denique, voluntatem tantum se passive habere respectu boni formaliter sumpti cum victrici delectationi resistere non possit ( loc. cit. ). *Tertio.* Confirmatur dogma nostrum a PP. quorum longum catalogum texit Bellarminus *l.* 5. *de grat. et lib. arbitr. c.* 25. et antiquiores videri possunt in mea Analysi PP. Sufficiat nobis S. Augustinus et S. Thomas, ad quos adversarii maxime provocant. S. Augustinus in *l. de grat. et lib. arbitr.* expresse probat, utrumque debere admitti. Et *l.* 1. *ad Bonif. c.* 2. ait: *Quis nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere?* Sane S. D. nullibi necessitatem voluntariam ac mutabilem a Iansenistis inventam ( t. 1. §. 332. Schol. 1. ) admittit, cum *l. de nat. et grat. c.* 65.

**omnem necessitatem excludat; et *l.* 2. *de nupt. c.* 3. Pelagianam definitionem libertatis, omnem necessitatem etiam voluntariam, et mutabilem iuxta ipsos Iansenistas excludentem, approbet. Et S. Thomas *l.* 1.** *cont. gent. c.* 68. ait: *Dominium, quod habet voluntas super suos actus, per quod in eius est potestate velle, vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum, et violentiam causae exterius agentis.* Vid. Tournely *tr. de Deo. Quarto.* Ratio a priori est: Homo gaudet intellectu, et ideo universales ideas potest concipere, id est rerum similitudines in aliqua essentia convenientes. Quando ergo agendum est, et homo concipit bonum in genere, prout a vero et apparente abstrahit, ab uno non potius quam ab altero determinatur, consequenter hoc vel illud voluntati proponere, et voluntas hoc vel illud eligere, agere vel non agere, adeoque libere se determinare potest (§ 430.). Deinde quando homo sciens et volens agit, oppositum eius, ut vel ab actione cesset, vel contrarium operetur, non est absolute impossibile, quia supponitur, nullam contradictionem involvere. Ergo agere vel non agere, hoc vel illud agere potest; consequenter liber erit, etiam post lapsum, quia naturam intellectualem non perdidit. Ratio a posteriori est, quia si homo non esset liber libertate indifferentiae, frustra darentur consilia, exhortationes, praecepta, prohibitiones, praemia et poenae, quae omnia necessariam determinationem ad unum respuunt.

Systema Lutheranorum circa libertatem.

*Schol.* 1. Libertatem indifferentiae seu a necessitate negarunt olim *Stoici*, fato: *Astrologi*, influxui syderum: *Manichaei*, duplici animae in homine bonae et malae, quarum una alteram necessario impellit, omnia adscribentes. Novatores liberum hominis arbitrium saltem in rebus supernaturalibus ad salutem necessariis negant, et Lutheranorum circa hoc systema D. Schubert ita exponit in *Theol. Pol. p.* 4. *cap.* 6. et *Comp. Theol. p.* 4. *c.* 4. 1° Per liberum arbitrium intelliguntur vires, bonum agendi, et malum fugiendi. Unde ad illud 2° spectat recta cognitio boni et mali; et motivorum, bonum volendi, et malum nolendi; et talis dispositio seu relatio voluntatis ad intellectum, ut voluntas eius iudicia practica sequatur, bonumque cognitum appetat, et malum cognitum aversetur. Quare 3° liberum arbitrium a potentiis animae passivis differt, quia vires denotat aliquid ex seipso agendi, et non debet confundi cum viribus resistendi, seu impediendi conversionem; nam haec ab ignorantia, erroribus, et praeiudiciis rectae cognitioni contrariis oritur, item ex dispositione voluntatis ad malum, ac impotentia naturali vel sponte contracta meliorem cognitionem sequendi. E contra liberum arbitrium, et rectam cognitionem, et iustam voluntatis dependentiam ab intellectu involvit. 4° Igitur fieri potest, ut respectu alicuius generis bonorum et malorum adsit liberum arbitrium, respectu alterius generis desit; bona enim et mala diversa sunt; alia homo ex suis principiis cognoscere potest, alia vero non. Hinc 5° distinguendum est inter libertatem et liberum arbitrium; libertas generalius accepta est essentialis dispositio animae flexionem per motiva recipiendi, sive sint naturalia sive spiritualia vi superna-

turali praedita. 6° Hoc genus libertatis duas sub se species continet, scilicet libertatem naturalem, seu potentiam bonum et malum ex principiis naturalibus cognoscendi, et dispositionem naturalem, hanc cognitionem sequendi, quae libertas non differt a libero arbitrio: et libertatem spiritualem, quae est dispositio per gratiam Spiritus S. collata, bonum ex quocumque principio et motivo volendi, et malum fugiendi; quae libertas non est liberum arbitrium, sed arbitrium servum. Imo 7° in rebus spiritualibus, scilicet fide in Christum, et operibus bonis, in homine lapso non datur ob peccatum originale, quod sustulit potentiam bene operandi, et iustam relationem voluntatis ad intellectum, et voluntatem habituali dispositione ad malum corrupit, ita ut sola sensuum voluptate ducatur. Nihilominus 8° per regenerationem, quae est fidei productio, liberum arbitrio restituitur, quatenus Spiritus S. per verbum suum intellectum illuminat, et de coelestibus veritatibus convincit, et voluntatem movet, ut sensim illi spiritualia placeant: et quia haec fides est mutatio moralis, est actus liber, id est spontaneus, qui ab intellectu illuminato procedit, non vi coacto, et sic in homine lapso datur tantum quoad spiritualia libertas a coactione seu spontaneitas. 9° In rebus vero naturalibus oeconomicis, politicis, et quae ad felicitatem huius vitae et externum Dei cultum spectant, datur quidem libertas indifferentiae, ob ignorantiam tamen intellectus, et vehementiam affectuum valde infirma. Hoc systema ex dictis falsitatis arguitur.

*Schol.* 2. Iansenius duo in libertate distinguit. 1. Eius substantiam et essentiam, ad quam sufficere putat voluntarium perfectum, quod fit ex perfecta cognitione, licet sit necessarium. 2. Statum accidentalem huius vitae, qui postulat, ut homo in hac vita flexibilis sit ad bonum et malum, illique non immobiliter affixus: unde licet sub dominante cupiditate coelesti necessario ad bonum, sub terrena vero ad malum rapiatur, et determinatus sit; quia tamen semper ad bonum et malum flexibilis est, liber dici potest: licet enim stantibus praesentibus circumstantiis relative ad vim oppositam superioris delectationis necessitas vinci non possit, in aliis tamen circumstantiis vinci potest. Haec ex dictis ( maxime t. 1. § 352. ), et dicendis adhuc refutantur. **Iansenii systema de libertate.**

*Schol.* 3. Contra libertatem hominis in statu naturae lapsae adversarii obiiciunt: I. Cain non habuit libertatem in supernaturalibus, quia fuit *servus peccati, et ex maligno erat*; 1. *Ioan.* 3. *v*, 12. et Spiritualiter mortuus. Et *Ier.* 10. dicitur *Non est in homine via eius, nec viri est, ut ambulet, et dirigat gressus suos. Resp.* Cainum in spiritualibus liberum fuisse, patet ex *v.* 7. *Si bene egeris, recipies,* ubi agitur de actione supernaturali bonae oblationis. Servus peccati non habet quidem libertatem a peccato, bene vero a necessitate. Cain ex maligno erat libere, non necessario. Spiritualiter mortuus non habet facultatem ad supernaturalia ex se, sed ex gratia; nam in peccatore fides manet. Denique homo non habet in sua potestate vias suas quoad **Solvuntur obiectiones.**

executionem et exitum, bene vero quoad intentionem, propositum, et mediorum electionem, supposito auxilio Dei. II. *Ad Rom.* 7. dicitur: *Non quod volo bonum, hoc ago.* Et *ad Rom.* 9. *Non est volentis,* id est velle, *neque currentis,* scilicet currere, *sed miserentis Dei. Resp.* In primo loco S. Paulus loquitur de appetitus sensitivi motibus, non vero de consensu, qui nobis liber est. Alter locus non debet intelligi, quasi homo non velit, nec currat libero arbitrio; sed quia non vult, nisi moveatur, et iuvetur a Deo primo motore. III. S. Augustinus in *Ench.* c. 3. ait: *Libero arbitrio male utens homo, et se perdidit et ipsum.* Similia habet *ep.* 107. Et *l.* 2. *de perf. iustit. c.* 5. ait: *Secuta est peccantem dura peccandi necessitas.* Et in opere *cont. Iul.* totus est, ut impugnet libertatem indifferentiae tamquam basim totius haeresis Pelagianae. *Resp.* S. Augustinus in *Ench.* loquitur contra Pelagianos negantes peccatum originale, et volentes, liberum arbitrium per peccatum non esse debilitatum: hinc S. Augustinus contra eos probat, liberum arbitrium amissum esse per peccatum Adae, non quasi esset extinctum quoad substantiam, sed quia deterius factum est, et quoad bonum debilitatum. In *l. de perf. Christ.* loquitur S. D. de necessitate morali, id est magna difficultate a peccato abstinendi: vel loquitur de necessitate peccandi indeterminata, secundum quam peccata dicuntur necessaria, quia in statu naturae lapsae omnia collective vitari non possunt. Quae necessitas non officit libertati, quae circa particularia determinate versatur. Denique impugnat libertatem indifferentiae in sensu Pelagianorum volentium, eam per peccatum originale nullatenus esse sauciatam; non vero in sensu Catholicorum, qui gratiae necessitatem ad bonum usum liberi arbitrii astruebant.

An ad essentiam libertatis requiratur indifferentia?

*Schol.* 4. Certum est de fide, hominem in statu naturae lapsae gaudere libertate indifferentiae, seu a necessitate: sed nonnulli etiam Theologi Catholici putant, hanc indifferentiam non spectare ad essentiam liberi arbitrii in omni statu; sed libertatem libero arbitrio essentialem, quae illi in omni statu competit, esse praecise libertatem a coactione, seu spontaneitatem cum perfecta cognitione. Nos dicimus 1° veram et essentialem libertatem arbitrii consistere in immunitate a necessitate, et indifferentiam spectare ad eius essentiam; tum quia Tridentinum damnavit Lutherum et Calvinum libertatem hominis negantes: sed hi non negabant immunitatem a coactione seu spontaneitatem (Schol. 1.); sed libertatem indifferentiae: ergo hanc Tridentinum statuit, non solum pro statu huius viae, uti concedunt adversarii, sed pro omni statu, quia *can.* 5. eos damnat, qui dicunt, per peccatum amissum esse liberum arbitrium, non vero spontaneitatem, quam haeretici non negabant. Item S. Pius V. damnavit has propositiones: *Quod voluntarie fit, etiamsi necessitate fiat, libere tamen fit.* Et: *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Ubi prima propositio ideo damnatur, quia libertatem componit cum qualicumque necessitate: hinc omnis necessitas a libertate excluditur, quae tamen iuxta adversarios cum spontaneitate stare potest; tum

quia libertas essentialis arbitrii sita est in dominio, quod habemus super nostros actus ( § 431. ). Sed actus pure spontanei et necessarii licet cum advertentia rationis non sunt in nostro dominio, quia iuxta S. Thomam 1. *p. q.* 60. *a* 1. *Eius, quod ex necessitate est, non sumus domini*, cum nulla volitio naturalis, utpote praeveniens dominium nostrum et necessaria, sit in nostro dominio. Ergo non sunt liberi essentialiter. 2° Dicimus, indifferentiam contrarietatis sive physicam, sive moralem ad bonum et malum non spectare ad essentiam libertatis, sed solam indifferentiam contradictionis; tum quia eo ipso, quod voluntas sit indifferens ad ponendum vel non ponendum actum, est domina sui actus: tum quia non pertinet ad perfectionem, sed ad defectum intellectus, quod praetermisso ordine principiorum male inferat conclusionem. Ergo non pertinet ad perfectionem, sed defectum libertatis arbitrii, quod praetermisso ordine finis possit male eligere media et peccare: tum quia Christus, Angeli et Beati sunt liberi, et tamen non habent indifferentiam contrarietatis, cum sint impeccabiles ( t. 1. § 301. Schol. 2. § 212. § 404. ). Non obstat. I. S. Thomas *in* 2. *d.* 25. ubi ait: *Liberum arbitrium dicitur ex eo, quod cogi non potest. Resp.* S. D. definit liberum arbitrium inadaequate sumptum. II. Actus perfecte voluntarius est liber libertate essentiali arbitrii, quia illi praeest iudicium rationis, et voluntas seipsam movet: item imperatur a voluntate, et fit cum delectatione, ex quo iuxta S. Augustinum *in Ps.* 134. *libera voluntate* quid facimus: nec est coactus, quod est proprietas libertatis. *Resp.* Spontaneo actui non praeest semper iudicium rationis indifferens, sed subinde ad unum determinatum, et voluntas se movet determinatione naturae; quae repugnant libertati. Item imperatur a voluntate, sed non ita, ut voluntas possit non velle: est enim delectatione invincibili: non cogi est tantum proprietas voluntarii, non vero sufficit ad liberum. Ergo talis actus non est essentialiter liber. III. Sic gratia per se efficax perimeret libertatem, quia tollit indifferentiam determinando infallibiliter ad unum, et aequilibrium aufert. *Resp.* Gratia tantum tollit indifferentiam passivam, potentialem et suspensam ab actu, applicando ad actum, quae non spectat ad essentiam libertatis; imo est eius imperfectio, quia omnis potentia per suum actum perficitur: non vero tollit indifferentiam activam et actualem, quia voluntas sic agit, ut retineat potentiam non agendi, quae indifferentia est de essentia libertatis, quam gratia per se efficax non tollit, movens ita, ut actus libere fiat.

*Schol.* 5. Ex Scholio praecedenti fluit, quod potentia peccandi non spectet quidem ad essentiam libertatis, sed ad statum puri hominis viatoris. Nam 1. S. Scriptura, Patres et Concilia explicant libertatem huius viae per potestatem extendendi manum ad bonum et malum; eligendi vitam et mortem; id est, bene vel male agendi. Deinde peccare est actu libere agere; alias enim non peccaretur. Ergo potentia peccandi est libertas in actu primo; non enim datur actus se- **An potentia peccandi spectet ad essentiam libertatis?**

cundus sine primo ipsi proportionato. Denique potentia non peccandi in nobis viatoribus est pars libertatis: ergo etiam potentia peccandi, quia libertas circa unum e contradictoriis, involvit libertatem circa alterum, ut salva sit utriusque optio.

ART. 2. *De necessitate libertatis indifferentiae ad merendum, vel demerendum.*

Ad merendum et demerendum requiritur libertas indifferentiae.

§ 432. Ex libertate hominis oritur, quod mereri et demereri possit (t. 1. § 385.). Ad merendum autem vel demerendum in statu naturae lapsae requiritur in homine libertas a necessitate seu indifferentiae, excludens simplicem necessitatem seu determinationem ad unum etiam voluntariam et mutabilem, quae iuxta Iansenium oritur ex delectatione superiori relativa et indeliberata. Probatur 1° ex S. Scriptura, in qua proponuntur varia praecepta morum. Sed haec a iusto Legislatore non imponuntur, nisi illis, qui ab omni necessitate etiam simplici sunt liberi, ita ut possint observare, et non observare. Item Deus saepe aliquid hominibus promittit sub conditione, si voluerint, *Is.* 1. *v.* 19. *Matth.* 19. *v.* 17. quae promissiones forent irrisoriae, si in potestate hominis non foret, conditionem implere: sed sine libertate ab omni necessitate, hoc non est in hominis potestate, qui si sit determinatus per superiorem delectationem, non habet potentiam proxime expeditam relative, ex defectu alterius delectationis superioris, quae se tenet ex parte actus primi. Item iuxta S. Scripturam penes hominem stat, ut bene cum gratia, vel male ex suo defectu agat, *Deut.* 30. *v.* 11. *Ier.* 7. Sed per eum, qui delectatione superiori determinatur necessario sive ad bonum, sive ad malum, non stat, ut bene vel male agat, quia delectatio illa indeliberata necessario extorquet actum voluntatis deliberatum. 2° Hoc docent Patres. S. Iustinus in *apol.* ait: *Nisi libero arbitrio genus humanum et res turpes fugere potest, ac pulchras et bonas sequi, extra causam culpamque est eorum, quae quoquo modo aguntur.* S. Irenaeus *l.* 4. *c.* 71. *Qui operantur bonum, et gloriam, et honorem percipient, quoniam operati sunt bonum, cum possent non operari illud.* S. Augustinus hoc dogma tam crebro inculcat in libris *de liber. arbitr.* ut hos libros comburere debuisset, si liberum arbitrium ab hominibus auferre voluisset: *Quis peccat*, ait, *in eo, quod nullo modo caveri potest? peccatur autem; caveri igitur potest.* Et alibi: *Habemus liberum arbitrium, et in eo solum peccamus.* Et S. Thomas *q.* 6. *de malo* ait: *Quidam posuerunt, quod voluntas hominis ex necessitate moveretur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur . . . haec autem opinio est haeretica; tollit enim rationem meriti et demeriti in humanis actibus.* Ubi S. D. non solum damnat necessitatem Stoicorum, sed omnem etiam Iansenisticam parum ab ea differentem. 3° Ita definiunt summi Pontifices. S. Pius V. damnavit hanc Baii propositionem: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit.* Et Innocentius X. ac Alexander VII. damnarunt hanc propositionem:

*Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* 4°. Ratio est: Actus necessarii et mere spontanei non subiacent regulis morum; sunt enim invariabiles, et ad unum necessario determinati. Ergo non sunt morales, consequenter nec meritorii (§ 383. t. 1.).

2. Ad merendum tamen vel demerendum non necessario requiritur libertas contrarietatis, sed sufficit libertas contradictionis. Nam Christus erat impeccabilis, et tamen meruit. Deinde eo ipso, quod actus est liber libertate contradictionis, cadit sub regulis morum; de illo enim lex et ratio possunt disponere, ipsum praecipere, aut prohibere. Ergo est moralis, consequenter meritorius et demeritorius.

*Schol.* Baius et Iansenius docent, libertatem indifferentiae ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiri. I. Quia S. Augustinus *l. de duab. animab.* ait: *Libertas est animi motus, cogente nullo ad aliquid.* Et *l. de ver. Rel. c.* 14. ad peccatum solum voluntarium requirit. Et *l.* 5. *de Civ.* vult., *spontaneitatem*, *quae compatitur cum necessitate illa, qua necesse est, Deum vivere, sufficere ad meritum.* Et iuxta eumdem, illud habemus in libertate, quod cum volumus, facimus. *Resp.* S. D. in primo loco loquitur de spontaneitate late sumpta, prout excludit determinationem ad unum, et importat potentiam agendi et non agendi. In altero loco agit de necessitate consequente, et probat, praescientiam Dei libertati non obesse quia Deus necessario vivit actibus intellectus et voluntatis, inter quos plures circa creaturas versantes sunt liberi, et quibus Deus non vivit necessario, nisi quia voluit. In tertio loco per ly volumus intelligit, ita velle, ut possimus non velle. II. S. Bernardus *tr. de grat. et lib. arbitr.* ait; *Ubi consensus, ibi voluntas, porro ubi voluntas, ibi libertas*: et c. 10. *Nemo putet, ideo dictum liberum arbitrium, quod aequa inter bonum et malum potestate aut facilitate versetur; alioquin nec Deus, nec Angeli Sancti liberi arbitrii esse dicentur. Resp.* S. Bernardus per coactionem intelligit necessariam ad unum determinationem, quam docet libertati officere, tum quia promiscue utitur nomine necessitatis et coactionis: tum quia indifferentiam expresse indicat, dicens: *Destrueret* (ratio libertatem) *si necessitatem ei ullam imponeret, quominus libere pro arbitrio se se volveret sive in malum, sive ad bonum.* Et in altero loco solum vult, non requiri ad libertatem, ut homo ita ad bonum, sicut ad malum liber sit. III. S. Thomas *in* 2. *d.* 40. *q.* 1. *a* 1. ait: *Actus sunt in genere moris ex hoc, quod sunt voluntarii.* Et 1. *p. q.* 82. *a.* 1. *Necessitas naturalis non aufert libertatem voluntatis.* Et *in* 3. *d.* 12. *q.* 2. *a.* 1. *Impotentia coactionis, quae opponitur voluntario, tollit rationem meriti et demeriti, non impotentia, quae est ex perfectione in bonitate, quia haec voluntarium non tollit, sed ponit voluntatem confirmatam in bono. Resp.* S. D. in primo loco sumit voluntarium pro libero. In altero vult, necessitatem non auferre spontaneitatem. In tertio vult, non tolli rationem meriti vel demeriti ab impotentia bene vel male agendi orta ex confirmatione in bono vel malo

**Solvuntur obiectiones.**

## CAP. IV.

### De Actibus Moralibus.

Actus moralis quid? § 433. Actus humanus eo ipso quod sit liber (§ 431.) bene vel male in genere moris, fieri vel non fieri potest, adeoque cadit sub regulis morum, scilicet rectam rationem et legem (§ 432.): ac proinde ob hanc habitudinem ad regulas morum dicitur *actus moralis*, seu dirigibilis per regulas morum. Estque actus procedens a deliberata voluntate cum subiectione ad regulas morum

Quotuplex? *Schol.* Quia actus humanus est liber, adeoque regulis morum conformis vel difformis esse potest; hinc *moralitas*, quae est habitudo actus ad certas regulas morum, dividitur in *bonitatem* et *malitiam moralem*, ceu genus in suas species. Unde *actus moraliter bonus* est actus conformis regulis morum; adeoque laude et praemio dignus: *actus moraliter malus* est actus difformis regulis morum, vituperio et poena dignus.

### Art. 1. *De fontibus, seu principiis moralitatis actuum humanorum.*

Bonitas et malitia moralis desumitur ab obiecto. § 434. Actus humanus suam bonitatem aut malitiam moralem accipit *Primo* ab *obiecto*, quo nomine intelligitur omnis res, et persona, quae primo et per se attingitur: sic res aliena est obiectum furti, Deus est obiectum Charitatis, proximus obiectum homicidii. Item obiectum, hic non spectatur physice, sed moraliter: sic obiectum, ex quo cibi et potus sumptio habet, quod bona sit, non est cibus et potus secundum se, sed prout eo modo cibus comeditur, quo rectae rationi congruit. Multum etiam interest, an obiectum intrinsece ex natura sua rationi conforme sit, quia sic est omnino invariabile: an vero solum extrinsece vi legis positivae; sic enim aliquando bonum, aliquando malum ex circumstantiis fieri potest. Porro ab obiecto hoc modo spectato desumi bonitatem et malitiam moralem actus, patet tum ex eo, quia actio habet ab obiecto suam speciem in esse moris, sicuti in esse naturae: et quidem primario, quia moralitas ab obiecto desumpta ante omnem aliam moralitatem actui competit, utpote sine qua actus concipi non potest, sicuti tamen concipi valet sine aliis.

A circumstantiis. § 435. *Secundo* actus humanus bonitatem et malitiam moralem desumit a *circumstantiis*. Est autem circumstantia accidens quoddam actui extrinsecum, moraliter eum afficiens conferendo bonitatem, vel malitiam moralem, quando iam per obiectum constitutus est in esse morali. Septem autem vulgo circumstantiae numerantur, scilicet:

*Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.*

*Quis* denotat agentis qualitatem, v. g. quod sit Sacerdos. *Quid*, qualitatem vel quantitatem effectus, v. g. furtum 100. aureorum. *Quibus auxiliis*, media accidentaria, et instrumenta, v. g. ope daemonis. *Cur*, finem extrinsecum operantis. *Quomodo*, modum actionis accidentalem, v. g. cum scandalo. *Ubi*, qualitatem loci, v. g. sacri.

*Quando*, conditionem temporis, v. g. diei festi. Aliae item circumstantiae *speciem mutant*, v. g. furtum rei sacrae est sacrilegium: aliae intra eamdem speciem solum *aggravant*, uti furtum 100 aureorum. Porro a circumstantiis desumi bonitatem vel malitiam moralem, patet tum ex vidua illa duo minuta in gazo phylacium mittente, et Deo prae divitibus plura offerentibus placente: tum ex eo, quia Tridentinum iubet, circumstantias speciem mutantes confiteri: tum quia etiam circumstantiae dicunt habitudinem convenientiae vel disconvenientiae ad rectam rationem (§ 433.).

*Corollar. Pract.* 1° Circumstantia *Quis* actui malo saepe novam malitiae speciem addit, uti si coniugatus fornicetur, fit adulterium: subinde intra eamdem speciem malitiam auget; sic Religiosus gravius peccat, quam laicus intra eamdem speciem. 2° Circumstantia *Quid* saepe novam malitiae speciem actui addit, uti si parentes, consanguinei iniuria afficiantur: subinde intra eamdem speciem peccatum solum aggravat, uti si homo sanctus laedatur. 3° Circumstantia *Ubi* raro intra eamdem speciem tantum aggravat: saepe novam malitiae speciem addit, uti furtum in loco sacro. Peccata vero externa ex natura sua locis Sacris aliquam irreverentiam inferunt eo maiorem, quo magis actus externus sanctitati loci repugnat; ita tamen, ut seclusa speciali prohibitione Ecclesiae raro sit peccatum mortale, peccatum externum in loco sacro committere, nisi actus sit valde turpis, v. g. tactus impudici, et alii usui sacri loci directe repugnantes; unde in Confessione circumstantia loci ob sacrilegium exprimi debet. Subinde etiam peccatum in loco publico commissum rationem scandali addit. 4° Circumstantia *Quibus auxiliis* peculiarem malitiae speciem addit, si consilio, scandalo, etc. alii ad peccatum inducantur. 5° Circumstantia *Quomodo* subinde novam speciem addit, ut in rapina: subinde intra eamdem speciem aggravat, v. g. si quis ex scientia peccet. 6° Circumstantia *Quando* malitiam solum moraliter auget, non vero ordinarie novam speciem addit, nisi fiat ex expressa intentione, v. g. sacrum tempus inhonorandi. Resolvuntur casus.

§ 436. *Tertio* actus humanus desumit bonitatem et malitiam moralem a *fine*. Nam finis 1. facit actum ex indifferenti bonum vel malum; sic ambulatio pro conservatione virium Deo serviendi, bona, ad luxum ostentandum, mala est. 2. facit actum ex malo peiorem, uti si quis furetur, ut se inebriet. 3. facit actum ex bono malum, uti si quis ieiunet ex vana gloria. Ratio est, quia finis potest dicere ordinem conformitatis, vel difformitatis ad regulas morum. A fine.

*Corollar. Pract.* 1° Ut ergo actus sit moraliter bonus, obiectum, circumstantiae, et finis bona esse debent; si uni horum bonitas desit, opus malum erit. 2° Circumstantia finis mali actui ex obiecto malo malitiam specie distinctam addit, si finis pravus specie diversam deformitatem habeat, uti in furto fornicationis causa: vel solo numero distinctam, si pravitas finis sit eiusdem rationis cum pravo medio; sic duo furta committit, qui furatur instrumenta ad furandas pecunias. Resolvuntur casus.

3° Si media eiusdem specificae malitiae cum malo fine per se et ordinarie coniuncta esse soleant, cum fine eamdem numero malitiam contrahunt; uti tactus impudici fornicationem praecedentes, et ad eam relati; unde explicato actu principali in Confessione, illi explicari non debent: quod idem dicendum de actibus fornicationem subsequentibus, quia moraliter tamquam accessoria illi cohaerent, ita ut facile intelligi soleant, et vix decenter explicari, et a Confessario inquiri possint. 4° Circumstantia notabiliter aggravans in materia, in numero, pondere, et mensura consistente censetur, quando seorsim sumpta ab actu de se sufficeret ad mortale, v. g. si quis ultra 5. aureos eodem actu alios quinque furaretur. In aliis materiis censetur notabiliter aggravans, quando notabiliter excedit modum peccandi in talibus materiis, v. g. si quis per annum in odio continuo perseveraret.

An actus malus ex fine simpliciter malus sit? *Schol.* Actus bonus ratione obiecti, malus vero ratione finis simpliciter moraliter malus est. Nam qui bona opera faciunt, ut videantur ab hominibus, receperunt mercedem suam; quod non foret, si mala intentio totum actum non vitiaret. Dein haec actio ratione obiecti non est bona, quia obiectum ut medium conducens ad malum finem refertur. 2° Circumstantia tamen venialiter mala adveniens actui bono totam eius bonitatem non aufert, nec omne meritum delet; alias enim raro daretur actus meritorius, quia raro ullus datur actus virorum etiam sanctorum, qui non aliquo tempore, taedio, etc. obnubiletur; quod suavi Providentiae Divinae repugnare videtur. 3° Denique unus idemque actus potest simul habere duas bonitatis et malitiae species; unam ex obiecto, et alteram ex fine: sic cum quis furatur, ut se inebriet, duplex deformitas occurrit; una ex obiecto, seu re aliena sublata, alia ex fine, scilicet ebrietate: et cum quis dat eleemosynam ad redimenda peccata, duplex adest bonitas, misericordiae, et poenitentiae; bonum quippe bono non est contrarium.

An circumstantia venialiter mala actum vitiet?

An idem actus plures bonitates vel malitias habere possit?

### Art. 2. *De malitia requisita ad actum moraliter malum.*

Ut actus sit malus sufficit malitia indirecte volita

§ 437. 1. Ut actus sit moraliter malus, et malitia obiecti, circumstantiarum, et finis in eum refundatur, sufficit quod malitia sit indirecte, virtualiter et implicite volita: 1° enim malitia aliter intendi non potest, cum malum non possit appeti, nisi ratione boni adiuncti: 2° malitia non solum non est appetenda, sed etiam vitanda, non vitatur autem hoc ipso, quod indirecte et implicite intendatur: certe si hoc non sufficeret, pauci peccarent, cum pauci malitiam directe intendant, et omnes vellent, eam a suo actu abesse; imo si quis ita scelestus sit, ut eam appetat, id non potest, nisi sub aliqua bonitate, quam in ea apprehendit.

2. Ut vero actus sit moraliter bonus, requiritur, ut bonitas sit directe volita saltem in actu exercito. Nam bonitas est propter se appetibilis, et recta ratio dictat, quod sic appeti debeat. Sufficit autem in actu exercito esse volitam; non enim requiritur, ut quis in

actu signato dicat: volo eleemosynam, quia honesta est; sed sufficit velle eleemosynam sub ea ratione, qua honesta est, scilicet ad sublevandam proximi miseriam.

*An actus malus in bonum finem relatus bonus sit?*

*Schol.* Sicuti actus bonus in malum finem relatus simpliciter malus est (§ 436. Schol.); ita actus malus in bonum finem relatus simpliciter malus est; quia *ad Rom.* 3. Apostolus damnat eos, qui dicunt, faciamus mala, ut eveniant bona: nam ad malitiam sufficit, ut desit vel unicum, quae actui debentur (§ 436. Coroll.), iuxta illud: ***Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu.*** Ergo ubi medium malum est, actus simpliciter malus erit. Unde *c.* 4 *de Usuris* dicitur: *Scriptura S. prohibet, pro alterius vita mentiri.* 2° Malitia tamen eius minuitur, cum ad bonum finem dirigitur: quando enim actus malus ad bonum finem ordinatur, minor est affectus ad peccatum; quia tunc non tam amatur id, quod in peccato placere solet, quam ratio utilitatis, quae in eo detegitur relative ad bonum, quod procurare potest.

## Art. 3. *De conformitate Divinae voluntati ad actum moraliter bonum.*

*An actus bonus debeat esse conformis Divinae voluntati?*

§ 438. Ut actus humanus sit moraliter bonus, debet esse conformis Divinae voluntati in volito formali Divinae voluntatis, seu eius motivo, quod est bonum Divinum, et commune totius universi, prout ultimo ordinatur ad Deum, et gloriam Divinam. Nam voluntas humana, ut sit recta, debet velle, quod vult, propter bonum commune, et Divinum tamquam ultimum finem, cum hoc exigat natura appetitus rationalis particularis, ut ultimo tendat in bonum Divinum. In volito vero materiali actus humanus, ut sit bonus, non debet esse conformis Divinae voluntati, nisi eius voluntas per praeceptum, aut prohibitionem innotescat. Deus enim ut Provisor universalis attendit in volendo ad rationes universales, scilicet bonum commune totius universi, ad quod requiritur, ut conserventur contraria, et manifestentur Divina Attributa; et secundum has rationes res a Deo volita est bona, quae tamen secundum rationes particulares, ad quas homo iuxta voluntatem Dei debet attendere, mala est. Sic Deus tamquam Provisor universalis vult, patrem meum in haeresi mori, et ideo damnari, quae damnatio secundum rationes universales boni communis bona est; filio vero ad rationes particulares attendenti bona non est. Certe nemo sanae mentis dicet, me obligari ad volendum omnia mihi nociva, quae Deo volente mihi accidunt, v. g. famem, morbum, etc. ita ut mihi non liceat, quantum possum, illa fugere, et contraniti.

*Quomodo volito Divino materiali conformare nos possimus?*

*Schol.* 1. Melius et perfectius est, se conformare Divinae voluntati in volito etiam materiali, quando nobis est liberum et licitum illud velle vel nolle; secus si non sit. Illicitum autem nobis est velle volitum Dei materiale, quando obiectum a Deo non est positive volitum, sed tantum permissum, uti peccatum, et quando adest praeceptum de opposito illius, quod Deus vult secundum rationes superiores. Rursus in volitis materialibus a Deo, si res sit irrevocabiliter facta, nec

praeceptum volendi interveniat, non tenemur quidem illi complacere; imo possumus de ea dolere, et optare ut non sit, si fieri posset; stultum tamen est, illi contraniti. Si vero res necdum facta sit, sciatur tamen certo ex revelatione esse futura, non licet conari, ut non fiat, quatenus est formaliter a Deo efficaciter volita: licet autem contra illam conari spectatam materialiter, prout pendet a causis particularibus. Sic Christus D. revelavit S. Petro trinam negationem, qui tamen debebat conari, ne peccaret.

An detur actus indifferens?

*Schol.* 2. Quaerunt Scholae, an bonitas vel malitia moralis omni actui humano competat, sive an dentur actus indifferentes, qui nec boni nec mali sint moraliter. Potest autem actus humanus spectari vel in *specie* comparate ad obiectum tantum, abstrahendo a fine et circumstantiis; sic orare, in specie bonum est: mentiri, in specie malum: ambulare, in specie indifferens. Vel potest actus humanus spectari in *individuo*, prout a parte rei ponitur, et comparatur ad obiectum, finem, et circumstantias. Dari actus in specie indifferentes, nemo dubitat. Putamus vero, non dari actus indifferentes in individuo: 1° quia S. Augustinus *l.* 2. *de pecc. mer. c.* 18. ait: *Mirum, si voluntas in medio quodam potest ita consistere, ut nec bona nec mala sit: aut enim iustitiam diligimus, et bona est . . . aut si omnino non diligimus, non bona est.* Et *ep.* 82. ait: *Cavendum est, ne sicut Philosophi facta quaedam hominum media dicamus inter recte factum, et peccatum.* 2° Actio in individuo spectata fit propter aliquem finem; sed talis actio nequit esse indifferens, quia impossibile est, ut actio fiat propter finem, qui nec bonus nec malus sit, cum omnis finis sit vel Creator, in quo quis quiescit, et sic est bonus; vel est creatura, in ea quiescendo, et sic est malus. Ergo non datur actus in individuo indifferens; hinc etiam comedere propter solam voluptatem malum est, iuxta propositionem ab Innocentio X. damnatam. 3° Actus otiosus est moraliter malus; unde de verbo otioso rationem reddemus in Iudicio. Sed actio ad debitum finem non ordinata est otiosa, utpote carens utilitate, et necessitate, et spectans solum bonum delectabile sensuale, quod hominem rationalem a brutis non distinguit. Ergo est malus. 4° Homo tenetur omnes actus suos ad Deum referre, adeoque bonos moraliter facere: patet hoc ex 1. *ad Cor.* 10. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Haec verba non continere merum consilium, sed praeceptum, constat tum ex eo, quia dicitur in imperativo, *facite*; tum quia ita intelligit S. Augustinus *l. de corr. et grat. c.* 3. S. Maximus *hom.* 2. Et S. Thomas *l.* 3. *in c.* 3. *Ep. ad Col.* ait: *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine D. N. Iesu Christi.* Ubi subiungit: *Quidam dicunt, quod hoc est consilium, sed non est verum.* Non obstat, quod Scotistae obiiciunt I. S. Hieronymus *ep.* 89. ait: *Bonum est continentia, malum luxuria, inter utrumque indifferens, ambulare, digerere alvi stercora . . . hoc non est bonum, nec malum; sive enim feceris, sive non feceris, nec iustitiam habebis,*

***nec iniustitiam.*** ***Resp.*** **S. D. loquitur de actibus in specie indifferentibus; vult enim probare, observantiam legalium non esse indifferentem, sed vel bonam, vel malam, si spectetur secundum speciem; quod probat exemplo aliarum actionum, quoad speciem indifferentium. II.** Illud 1. *ad Cor.* 10. est tantum consilium, non praeceptum, quia non omnes hoc praeceptum intelligunt, dum v. g. sputa eiiciunt, nec in praeceptis Decalogi continetur; et Sedes Apostolica damnavit illas propositiones, in quibus dicitur, quod teneamur omnia in Deum referre. Item hoc praeceptum affirmativum saltem non semper obligaret, foret nimis rigorosum, homo continuo peccaret venialiter, v. g. movendo pedem sine relatione ad honestum finem; imo hic finis in multis actibus, v. g. frictione barbae, assignari nequit. *Resp.* Praeceptum illud Apostoli unusquisque attente agens in se experitur, quod ad dilectionem Dei reducitur. Deinde ex hoc praecepto tenemur omnia ad Deum referre, non relatione actuali aut virtuali explicita, sed implicita, agendo propter bonum honestum, in quo implicite Deum intendimus, quod S. Sedes non damnavit. Item hoc praeceptum obligat pro semper, quando deliberate agimus; non vero, quando indeliberate agimus. Nec est adeo difficile, quia sufficit virtualis relatio in finem honestum, inclusa in intentione vivendi secundum rectam rationem; unde non semper peccatur venialiter in illis levibus actionibus, vel quia referuntur virtualiter in Deum, vel quia sunt indeliberatae; si vero deliberate fiant, finis earum in promptu est, vel sublevamen naturae, et recta habitudo corporis secundum dictamen rectae rationis, ad suas et animae functiones necessaria. III. Spuere ob levem naturae commoditatem, non est malum, quia nihil inhonestum, nec bonum moraliter: alias esset laude dignum, et voveri posset: deinde homines se non accusant in Confessione, quod sine honesto fine expuerint: ergo est actus indifferens. *Resp.* Actus propter commoditatem facti sunt boni, et qui ex bono fine eos faciunt, sunt laude digni: voveri autem non possunt, quia non sunt de meliori bono, quam sit eorum omissio, quae si in nonnullis casibus non sit melior, illi etiam voveri possunt. Non accusant se homines de illis, quia vel sunt indeliberati, vel saltem virtualiter ad honestum finem referuntur, vel ob contrariae sententiae probabilitatem; hinc saepe saltem sunt materia dubia Confessionis. IV. Concilium Constantiense damnavit hanc propositionem Ioannis Huss: *Nulla sunt opera indifferentia; sed haec est divisio immediata humanorum operum, quod sint vel virtuosa, vel vitiosa.* *Resp.* Haec propositio in sensu Ioannis Huss damnata fuit, qui docebat, omnes actus hominis iusti esse bonos, et omnes peccatoris esse malos; sed iuxta nos iusti venialiter subinde peccant, et peccatores opus moraliter bonum subinde faciunt (t. 1. § 347.).

## CAP. V.

### *De actibus externis.*

Actus externus non auget præmium essentiale: § 439. 1. Actus externus, prout est mera executio actus interni, non addit ei bonitatem, aut malitiam ad praemium vel poenam essentialem. Ita colligitur *Primo* ex S. Scriptura, quae non minus laudat, et redarguit, quae qui sincere facere voluit, quam si de facto ea fecisset. Sic *Gen* 22. benedixit Deus Abrahae, quia non pepercit filio suo unigenito propter Deum, licet actu filium non obtulerit. Sic *Matth.* 5. dicitur: *Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam moechatus est eam in corde* suo. Hinc S. Bernardus *ep.* 77. *Quid planius, quod voluntas pro facto reputatur, ubi factum excludit necessitas? Secundo* actus externus nullam habet bonitatem vel malitiam intrinsecam moralem, sed est tantum bonus, vel malus denominative extrinsece a bonitate vel malitia actus interni, qui solus intrinsece liber est (§ 432.), cum e contra actus externus despotice subiaceat imperio voluntatis sine ulla indifferentia sibi propria (§ 419. Schol. 6.). Ergo cum moralitas in libertate fundetur (§ 433.), non habet moralitatem intrinsecam ad praemium vel poenam essentialem; alias toties quis hoc praemio spoliari posset, quoties ab actu externo impediretur.

Bene vero accidentale. 2. Actus tamen externus addit interno aliquam bonitatem vel malitiam in ordine ad praemium, vel poenam accidentalem. Nam in actu externo est specialis difficultas, v. g. in Martyrio tolerantia mortis: ergo ei correspondet aliquod praemium, non essentiale (n. 1.): ergo accidentale, scilicet laureola (§ 410. t. 1.).

Solvuntur obiectiones. *Schol.* 1. Scotistae videntur velle, quod actus externus augeat praemium et poenam essentialem, I. quia S. Augustinus *l.* 13. *de Trin. c.* 5. ait: *Mala voluntate quisque miser efficitur, sed miserior potestate, qua desiderium malae voluntatis impletur. Resp.* Actu externo peccati semper fit homo miserior; hic enim hebetat sensus, auget propensionem ad malum, generat scandalum, inducit obligationem restituendi, et subiicit censuris. II. Si actus externus nil essentiale confert, tantum gratiae recipiet qui Martyrium, Sacramenta, et ieiunium desiderat, quam qui actu illa suscipit; quod falsum est. Item Christus nobis non plus praestitisset mortem subeundo, quam volendo mori. Item qui vellet tantum placere Deo, quantum Beatissima Virgo, et omnes Sancti, tantum merebitur, quantum illa et illi: imo qui vellet, Deum infinito amore prosequi, vel infinitis pauperibus stipem dare, infinite merebitur; quae omnia falsa sunt. *Resp.* Martyrium ex singulari Dei privilegio, et Sacramenta ex institutione sua plus prosunt ex opere operato, si actu suscipiantur. Seria ieiunandi voluntas non minus gloriae essentialis meretur, quam actuale ieiunium; interim per hoc opus poenale homo satisfacit, et diutius actum internum continuat. Item si spectetur valor, unico quidem Christi actu redimi potuissemus, quia omnes eius actus infiniti valoris fuerunt (t. 1. §.

236. cum Schol.): posita tamen Dei ordinatione necesse fuit, ut actu moreretur, quia per eius Sanguinem opus nostrae redemptionis consummari debuit. Rursus, ut quis tantum placere vellet Deo, quantum Beatissima Virgo, et omnes Sancti, deberet tot, et tam intensos actus elicere, quot, et quantos illi elicuerunt: et tunc si opera externa ponere non posset, tantum, quantum illi mereretur; quod sane vix fiet. Idem dicendum de voluntate amandi Deum infinite, vel infinitas eleemosynas erogandi, quae voluntas est de rebus impossibilibus. III. Opus externum secundum se prohibitum est, et quidem distincto praecepto, quo eius desiderium prohibetur: imo tenemur actum externum in Confessione exprimere. *Resp.* Opus externum ideo prohibetur, quia re ipsa malum est, et variis effectibus obnoxium, quae in actu interno non occurrunt. Item actus externus in Confessione explicari debet, ut declaretur gradus malae voluntatis, et congrua media applicentur, et quia inducit censuras, et onus restituendi. IV. Damnata est haec Abaillardi propositio: *Nos vero dicimus, quod sola voluntas a Deo aeternaliter remuneratur sive ad bonum, sive ad malum; nec propter opera peior vel melior efficitur homo, nisi forte, dum operatur, in aliquo eius voluntas augetur. Resp.* Supposito, quod haec sit propositio Abaillardi, erravit ille, quia docuit, opera etiam prout ab interna voluntate procedunt, esse ad salutem inutilia, ideoque eos, qui exterius bene operari possunt, ad hoc non teneri; quod nos damnamus: nam opera externa praecipiuntur, et perfecta non est voluntas, quae non operatur, dum potest, cum bonitas interna in externa consummetur et perficiatur.

*Schol.* 2. Eventus ex opere sequens praevisus, et aliquo modo intentus, addit aliquid ad bonitatem, et malitiam moralem, sive per se, sive per accidens sequatur; quia melior, vel peior est voluntas eius, qui praevidens et intendens multa bona, vel mala ex opere suo secutura, illud facit, quam si nihil horum intenderet. Quod si igitur eventus hic per se sequatur, et si non sit praevisus, nec in se volitus, ad bonitatem, et malitiam aliquid addit, quia implicite et virtualiter est volitus. Si vero nullo modo sit intentus, et omnino per accidens sequatur, nihil addit, quia hoc modo eventus nullatenus est voluntarius. Dirigat ergo actus nostros in beneplacito suo omnipotens Deus, qui est ultimus omnium rerum Finis. **Quid eventus praevisus addat?**

## TRACTATUS IX.

### DE CONSCIENTIA, ET LEGIBUS.

### CAPUT I.

#### *De Conscientia, eiusque divisione.*

§ 440. Regula morum et actuum humanorum duplex est: alia interna, scilicet Conscientia: alia externa, nempe Lex. *Conscientia* est iudicium actuale practicum dictans, quid in particulari sit faciendum vel omittendum. Unde Conscientia distinguitur a *Synderesi*, quae est **Conscientia quid? Synderesis.**

Prudentia universalis. habitus intellectus nobis naturaliter inditus, qui versatur circa prima principia practica: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*: et a *Prudentia universali*, quae est habitus infusus vel acquisitus, qui ex primis principiis practicis deducit conclusiones universales, v. g. non debemus alteri facere, quod nobis fieri nollemus: sed nollemus rem nostram surripi: ergo non debemus rem proximi surripere. Conscientia denique subsumit: Atqui haec pecunia usuraria est res aliena: ergo ab ea manus cohibere debeo. Est igitur Conscientia ultimus prudentiae particularis actus et conclusio, quae ut recta sit, praemissas veras supponit.

Conscientia quotuplex? *Schol.* Conscientia varie dividitur. 1. Ratione sui seu iudicii, quod fertur, dividitur in *praecipientem*, dictantem aliquid esse de praecepto: *consulentem*, aliquid esse de consilio: et *permittentem*, aliquid esse permissum. 2. Ratione obiecti dividitur in *veram*, *rectam*, seu *bonam*, si iudicium de honestate vel turpitudine actionis bonum, seu verum sit: et in *falsam*, *erroneam*, seu *malam*, quae falso de bonitate, et malitia actionis iudicat, bonum malum, et malum bonum habens. Haec vel est *vincibiliter erronea*, ex errore, qui expelli potuit, et debuit; vel *invincibiliter erronea*, ex errore, qui expelli non potuit. 3. Ratione principii, et assensus, conscientia alia est *certa*, si certum vel evidens sit de actionis bonitate, vel malitia iudicium: alia est conscientia *dubia*, quando quis ita iudicat, aliquid esse licitum, ut simul iudicet, posse esse illicitum; unde in eo reperitur haesitatio, ac indeterminatio mentis, iudicium suum circa utramque contradictionis partem suspendentis, et neutri parti assentientis. Mens autem suspensa manet, vel quia rationes aequalis ponderis pro utraque parte habet, quibus in aequilibrio continetur, et tunc dicitur *positive dubia;* vel quia nulla ei assentiendi, vel dissentiendi ratio occurrit, et tunc dicitur *nesciens*, vel *ignorans:* quando vero manet suspensa ex defectu sufficientis motivi, tunc dicitur *dubia negative*. Dubium hoc vel mere *speculativum* est, quod versatur circa rem secundum se sine circumstantiis consideratam, v. g. an valeat Baptismus in nomine Iesu collatus: vel est *practicum*, quod versatur circa rem hic et nunc exercendam, v. g. an licitum sit mentiri: si dubitetur de operatione generatim, praescindendo a circumstantiis particularibus, vocatur *dubium speculative practicum*, v. g. an liceat die festo pingere: si vero dubitetur de actione particulari hic et nunc exercenda, dicitur *practice practicum*, v. g. an liceat mihi in hoc festo pingere. Ad conscientiam dubiam revocari potest conscientia *perplexa*, qua mens iudicat, committi peccatum, quaecumque pars opposita eligatur, quarum tamen una necessario eligenda est. Alia conscientia est *probabilis*, quae fundatur in opinione probabili. Est autem *opinio* actus intellectus, qui fertur in unam partem contradictionis, cum formidine, ne altera forte vera sit. *Opinio* vero *probabilis* est iudicium ex se quidem fallibile, nixum tamen absolute et comparative gravi motivo, quod virum prudentem ad assensum movere possit: si pluribus motivis graviori-

bus nitatur, dicitur *opinio probabilior:* si levi motivo assensum non merente nitatur, dicitur *tenuiter probabilis*: si rationes petantur ex natura rei, dicitur *intrinsece probabilis:* si ab auctoritate gravium virorum, *extrinsece probabilis:* si circa obiectum probabile non spectata praxi versetur, dicitur *speculative probabilis*: si circa praxim, *practice probabilis.* 4. Ratione subiecti conscientia est *tenera*, quae sollicite curat, levia etiam vitare peccata: alia *laxa*, quae neglectis minoribus gravia solum vitare curat: alia *pharisaica*, quae magna parvi, parva magni aestimat: alia *cauteriata*, per quam operans ob depravatum animum non curat instinctus honestos: alia *scrupulosa*, quae apprehendit et timet ex inani ratione, peccatum alicubi esse, ubi non est.

*Schol.* 2. Rursus *conscientia antecedens* est iudicium de honestate et inhonestate actionis necdum patratae: *consequens* de actione iam patrata. *Conscientiosus* ille dicitur, qui conscientiam rectam seu ducem rationem sequitur, nec turbulento affectuum concursu in agendo se determinari patitur. *Excusatio conscientiae* est, quando conscientia consequens cum antecedente consentit. *Accusatio conscientiae* est, quando consequens cum antecedente non concordat. *Morsus conscientiae* est taedium ex dissensu conscientiae antecedentis cum consequente ortum; qui morsus per aliquod remedium ab intellectu tolli nequit; impossibile enim est, quod conscientia consequens ab antecedente dissentiens simul cum ea consentiat. *Somnus conscientiae* est defectus conscientiae antecedentis cum consequente in homine ex consuetudine agente, qui neque, quid agendum sit, perpendit, neque actione iam patrata, quid actum sit, considerat: cum vero ob taedium ex actionibus iam patratis subortum, ad agnoscendam actionum patratarum malitiam adigimus, conscientia *evigilare* dicitur. *Sopire conscientiam* dicimur, cum cogitationes nostras ad ea dirigimus, quae actionibus suspectis qualemcumque rectitudinis speciem conciliant. *Tranquillitas conscientiae* est immunitas a taedio, quod ex pravis actionibus subnasci potest. *Custodia conscientiae* est cura de rectitudine et certitudine conscientiae. Denique *contra conscientiam agit*, qui licet actionem aliquam sub omnibus singularibus circumstantiis malam iudicet, eam nihilominus suscipit.

## CAP. II.

### *De obligatione sequendi dictamen conscientiae rectae.*

§ 441. Conscientia recta, seu vera praecipiendo vel prohibendo obligat voluntatem, ita ut peccet, si illam non sequatur. Patet hoc *Primo* ex illo *ad Rom.* 14. *Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est*: ubi Apostolus non loquitur de fide supernaturali; nam praemisit: *Qui discernit, si manducaverit, damnatus est, quia non est ex fide.* Palam autem est, quod qui non manducaret ex fide supernaturali, non ideo peccaret, aut damnaretur (t. 1. § 347.): unde conscientiam intelligit, uti interpretantur S. Chrysostomus, S. Ambro-

Conscientiam rectam sequi debemus?

sins, etc. et constat ex ipso contextu; loquitur enim ibi Apostolus de esu ciborum, qui per se mali non erant, sed quos quidam malos et immundos ob prohibitionem Legis Mosaicae putabant, et dicit: Si quis discernit inter cibos, et, quos reputat immundos, manducat, peccat, quia non agit ex fide, id est, ex conscientia: hinc praemisit: *Nihil commune per ipsum:* id est ex se immundum, *nisi ei, qui existimat, quid commune esse, illi commune est.* Quare licet S. Augustinus *l.* 4. *cont. Iul. c.* 3. intelligat Apostolum de fide supernaturali, nostrum tamen sensum non negat. Et ideo c. 13. *de restit. spol.* dicitur: *Quidquid fit contra conscientiam, aedificat ad gehennam. Secundo* voluntas peccat, si in operatione non sequatur suam regulam. Sed conscientia intellectus recte praecipiens, vel prohibens est proxima regula voluntatis operantis, et moventis alias potentias ad operandum (§ 419. Schol. 2.), et intimat nobis Legem aeternam. Ergo voluntas peccat, nisi eam sequatur. Conscientiam vero tantum consulentem sequi semper non tenemur.

## Art. 1. *De Conscientia erronea.*

Conscientia invincibiliter erronea obligat ad sequendum.

§ 442. 1. Conscientia invincibiliter erronea praecipiens, vel prohibens obligat nos, tum ne contra eam, quamdiu non deponitur, operemur; tum positive, ut iuxta eam operemur. Nam *Primo*, *ad Rom.* 14. *v.* 14. dicit Apostolus: *Scio et confido in Domino Iesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei, qui existimat, quid commune esse, illi commune est.* Sensus est: Scio fretus gratia D. Iesu, qui nos a iugo legis Mosaicae liberavit, nullo cibo veluti immundo nos inquinari, praeterquam si quis existimet, aliquam escam, v. g. carnem suillam, etiam nunc immundam esse; talis enim esca illi immunda, et illicita erit, propter errantem conscientiam. *Secundo*, qui habet conscientiam invincibiliter erroneam, bona fide iudicat, existere legem Dei praecipientem. Ergo cum voluntas feratur in obiectum, prout ab intellectu proponitur; si proponatur ut praeceptum, vel prohibitum, voluntas debet illud facere, vel omittere; alias enim, si contra hoc dictamen operetur, contemnit Deum Legislatorem aeque, ac si re vera lex illa existeret; sicuti e converso, si huic dictamini conformiter agat, Dei auctoritatem reveretur.

Conscientia vincibiliter erronea non obligat.

2. Conscientia vero vincibiliter erronea non obligat, nec eam sequi licet: quia agens iuxta conscientiam hanc, quam potest, et non vult deponere, errat voluntarie (§ 420. Schol. 1.) ergo actio vel omissio, quam contra praeceptum ex errore indirecte voluntario committit, ei ad culpam imputatur (§ 429. 437.)

Non licet tamen contra eam non depositam agere.

3. Quamdiu autem non deponitur conscientia vincibiliter erronea, non licet contra eam agere; nam nunquam licet agere contra conscientiam sive rectam (§ 441.), sive erroneam (n. 1.). Igitur talis homo, licet stante conscientia erronea non possit effugere peccatum, et necessario peccet necessitate consequente, absolute tamen, et antecedenter necessario non peccat; quamvis enim hanc conscientiam

nec sequi debeat, nec contra eam agere, potest tamen, et debet eam deponere, cum error vinci possit, et deinde operari.

*Schol.* Non obstat dictis I. quod non possit assignari lex obligans ad sequendam conscientiam erroneam. *Resp.* Obligat vi Legis naturalis, quae vetat agere contra id, quod putatur a Deo esse praeceptum: imo licet conscientia errans re ipsa non intimet legem aeternam, putatur tamen, eam intimare, crediturque a Lege Divina derivari. II. Sic posset quis putare, amare Deum esse peccatum, adeoque eum amando peccare. Item inferior non peccaret non obediendo Superiori, dum erronee putat, eum illicita praecipere. *Resp.* Implicat putare, Deum non amandum esse, quia amor est inclinatio in bonum, quod summum Deus est. Talis subditus debet suam conscientiam deponere, quia vincibilis est; si vero sit invincibilis, eam sequi tenetur. **Solvuntur obiectiones.**

*Corollar. Pract.* 1° Agens contra conscientiam, peccat mortaliter, vel venialiter in ea specie peccati, prout conscientia dictaverit contra hanc vel illam virtutem. 2° Illi, qui ordinarie a gravioribus peccatis abhorrent, si agant contra conscientiam dictantem, hoc vel illud esse peccatum, et plane abstrahant, an sit mortale, vel veniale; videntur solum venialiter peccare, quia praesumuntur se solum determinare ad levius: si vero ita sint comparati, ut tamen velint agere, sive sit veniale, sive mortale, vel si studio negligant veritatem inquirere, ne cogantur abstinere; peccant graviter, quia periculo mortalis se exponunt. 3° Qui contra conscientiam erroneam opus omittit, graviter peccat, si ad exequendum praeceptum vires habuerit. 4° Confessarius per se loquendo ut medicus spiritualis debet monere poenitentem laborantem etiam errore invincibili: per accidens vero et potissimum in impedimentis Matrimonii, uti notat Ill. D. Godeau, subinde dissimulare potest; quando ex monitione fructus non speratur, obstat scandalum, et imminet periculum, ne poenitens hucusque materialiter peccans, neglecta admonitione incipiat peccare formaliter. 5° Si vero Confessarius advertat, conscientiam erroneam poenitentis esse graviter culpabilem: vel si poenitens erronee credat, esse mortale, quod nullum, vel leve peccatum est, et vicissim: vel si ex dissimulatione grave damnum poenitentis, proximi, aut communitatis, vel nullitas Sacramenti sequeretur: vel si ipse poenitens dubitet, aut interroget, moneri debet, ut conscientiam erroneam deponat. 6° Conscientia consequens actionem praeteritam nec bonam, nec malam reddere potest: hinc peccata olim commissa explicanda sunt non secundum iudicium, quod nunc quis de illis habet, sed secundum illud, quod habuit, quando peccavit. 7° Ut Confessarius sciat, an poenitens laboret conscientia erronea invincibili, vel vincibili, interroget poenitentem, an in actu aliquam indecentiam adverterit: an suspicatus fuerit, subesse peccatum, vel peccandi periculum: an conscientia dictaverit, interrogandum esse Confessarium: an interrogationem ex verecundia vel metu, ne cogatur abstinere, neglexerit: si affirmet, censeri potest, errorem fuisse culpabilem. **Resolvuntur casus.**

### Art. 2. *De Conscientia dubia.*

Cum conscientia dubia non licet operari.

§ 443. 1. Nunquam licet operari cum conscientia practice dubia: ideoque peccat, qui dubitat positive, aut negative, an actio sua sit licita, vel illicita, peccato eiusdem speciei, et gravitatis, de quo dubitat, si stante dubio operetur. *Primo* enim, quod fit ex conscientia dubia de honestate actus, non est ex fide, seu persuasione, quod sit licitum et honestum: ergo est peccatum (§ 441.). *Secundo.* Qui exponit se periculo proximo peccandi, hoc ipso peccat, quia in moralibus se exponere periculo faciendi, et facere idem sunt: *Eccl.* 3. *Qui amat periculum, in illo peribit.* Sed dubitans exponit se periculo peccandi: ergo peccat: quia interpretative vult peccatum, et ita animo comparatus est, ut licet sit peccatum, tamen ageret.

Secus si sit speculative dubia.

2. Cum conscientia vero speculative dubia licet operari, dummodo operans practice prudenter iudicet, se hic et nunc licite operari; deposito tamen per principia aliunde tuta et vera dubio. Sic *Primo*, David 1. *Reg.* 21. prudenter iudicavit propter extremam necessitatem famis, licitum sibi esse, comedere panes propositionis, licet iudicio speculativo sciverit, laico hoc non licere: ergo si cum iudicio speculativo de inhonestate actionis stare potest iudicium practicum prudens de eius honestate, multo magis stabit cum dubio speculativo. Hinc *c. Dominus, de sec. nupt.* mulier, quae bona fide contraxit Matrimonium, si postea dubium de eius valore superveniat, in particulari prudenter iudicare potest, licitum sibi esse, reddere debitum. *Secundo*, regula actionum nostrarum non est notitia speculativa, sed practica: ergo speculativum deponi, et iudicium practicum rectum formari potest.

Resolvuntur casus.

*Coroll. Pract.* 1° Regulae pro deponendo dubio iuris esse possunt: 1. Sequendo opinionem gravi fundamento innixam. 2. Melior est in dubio conditio possidentis, maxime in materia iustitiae, si res bona fide possideatur, et veritas orto dubio deprehendi non possit. 3. Auctoritas virorum doctorum; exemplum bonorum, tolerantia Legislatoris, consuetudo Ecclesiae, et praxis tribunalium Ecclesiasticorum. 2° Regulae pro deponendo dubio facti, sunt: 1. In dubio factum non praesumitur, sed demonstrari debet. 2. Quando aliquid factum est, v. g. Missa audita, et dubitatur de accessorio, v. g. de attentione, praesumptio est pro valore actus. 3° In dubio de existentia legis, libertas est in possessione: si vero dubitetur de cessatione legis, lex est in possessione, quia ante dubium et libertas, et lex certa fuit. 4° In dubio facti attendendum, pro qua parte stet praesumptio iuris et fori externi, scilicet quae onus probandi in aliam reiicit: sic in dubio, an voto satisfeceris, possessio est pro voto, quia onus probandi tibi incumbit, eodem modo teneris confiteri peccatum, de quo dubitas, an confessus fueris, vel an sit mortale, vel veniale. Si vero dubites, an votum emiseris, an tantum propositum feceris, non es obligatus: si autem dubites, an animo te obligandi promiseris, praesumendum est, te ita promisisse, quod ordinarie fit. Si

dubitetur de sufficienti deliberatione, illa in adultis praesumitur, et in iis, qui post septennium votum emiserunt; si dubitetur, an ante vel post septennium, standum est pro voto. 5° Pro deponendo practice dubio, tenetur quis moralem diligentiam adhibere ad cognoscendam veritatem, et obligationem legis; alias peccat ex ignorantia culpabili. Quod si per inquisitionem dubium speculativum deponi non possit, tutius quidem erit, si illud, de quo dubitat, praestet, quod praeceptum, vel omittat, quod prohibitum esse dubitat: subinde tamen per dictamen reflexum dubium deponere potest hoc modo: dubito quidem de hac obligatione, sed quia de ea mihi non constat, nec eam reperire possum, illa utpote invincibiliter ignorata non teneor, adeoque non pecco, eam omittendo. Si vero dubium speculativum ex eo maneat, quia non potest, vel non vult inquirere veritatem, vel nequit sibi dictamen facere, eligere debet tutius, ne periculo peccati se exponat, et tenet illa regula: in dubio tutior pars est eligenda. 6° Dubitans, an post horam duodecimam biberit, praecise propter hoc dubium non tenetur a S. Communione abstinere; tum quia impedimentum est incertum, et ius communicandi certum: tum quia in hoc dubio facti, quod aliunde non praesumitur, non videtur Lex Ecclesiastica tam arcte constringere. Quod etiam dic de eo, qui dubitat, an inter lavandum guttam aliquam deglutierit. 7° Perplexus de opere faciendo, tenetur media adhibere, antequam tempus operis exequendi adveniat, ad tollendam perplexionem: si post diligentem inquisitionem perplexus maneat, eligat minus malum, et si utrumque aequale videatur, ex defectu libertatis non peccabit, quidquid egerit: si unum peccatum esse sciat, et de altero dubitet, tenetur eligere id, de quo dubitat, quia sic a malitia magis recedit.

## CAP. III.

### *De Opinione probabili.*

§ 444. Non licet operari secundum opinionem tenuiter tantum probabilem. Ita 1° definivit Innocentius XI. damnans hanc propositionem: *Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* 2° Ratio est: Opinio tenuiter probabilis nullo solido fundamento nititur (§ 440. Schol.); est solummodo apparenter probabilis, nec movet intellectum ad assensum, nec tollit dubium practicum. Ergo secundum illam non licet operari (§ 443. n. 1.). **Non licet operari iuxta opinionem tenuiter probabilem.**

*Coroll. Pract.* 1° Liber alicuius Auctoris iunioris non facit sententiam aliquam vere probabilem, iuxta prop. 27. ab Alexandro VII. damnatam. Si tamen Auctor sit omni exceptione maior, doctus, pius et prudens, et rationem affert, quam alii vel non considerarunt, vel non solverunt, ipse vero eorum rationes solvit; sententia eius erit vere probabilis. Nihilominus, quando quis invenit doctrinam in gra- **Resolvuntur casus.**

vissimo etiam Auctore fundatam, non licet eam tenere, si Papa contrarium definiat, uti patet ex prop. 30. ab Alexandro VIII. damnata. 2° Rudes tuto possunt sequi sententiam sui Confessarii, vel alterius viri pii, et docti, si ignorent invincibiliter, sententiam illam esse contra communem Doctorum; secus si hoc advertant. 3° Si quis mala fide inquirat sententiam suae libertati faventem, paratus illam sequi, licet levi fundamento nitatur, peccat, cum non possit sibi formare dictamen prudens, et practice certum.

### ART. 1. *De obligatione sequendi opinionem tutam vel probabiliorem in aliquibus casibus.*

Non licet Sacramentis conferendis sequi probabilem.

§ 445. Non est licitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore. Nam Innocentius XI. damnavit propositionem primam contrariam. Et ratio est, quia hoc modo Sacramentum exponeretur periculo nullitatis, et peccaretur contra reverentiam Sacramento debitam: nam probabilitas non potest facere, ut materia tantum probabilis fiat sufficiens ad valorem: nec ab ea dependet, ut periculum nullitatis Sacramenti ab ea avertatur, cum Sacramenta non a nostro dictamine, sed ab institutione Christi, et effectus Sacramenti a vera materia, et forma a Christo instituta dependeant. Deinde peccatur contra Charitatem proximi, qui exponitur periculo carendi gratia Sacramentali, qua indiget; imo in collatione Baptismi et Ordinis noceretur pluribus, qui cum opinione probabili forte re ipsa falsa a tali absolverentur.

Resolvuntur casus.

*Coroll. Pract.* 1° In casu necessitatis recte administrantur Sacramenta, praesertim maxime necessaria, cum dubio valoris saltem sub conditione: quia ratio dictat, ex duobus incommodis minus eligendum esse, et sic cessat periculum irreverentiae formalis. 2° In quaestione de valore Sacramenti sufficit moralis certitudo, ita ut opposita sententia negans, talem materiam esse sufficientem quasi nihil probabilitatis habere videatur: sic licet suscipere Sacramentum Poenitentiae cum Attritione cognita qua tali.

Iudex in civilibus probabiliorem sequi debet.

§ 446. 1. Iudex in causis civilibus debet sententiam ferre iuxta probabiliorem. Ita definivit Innocentius XI. damnans hanc propositionem: *Probabiliter existimo, iudicem posse iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem.* Ratio est, quia Iudex est constitutus a communitate, ut non pro suo beneplacito tamquam dominus, sed iuxta merita causae ferat sententiam; maiora vero merita causae habentur, quando pro una parte stant rationes probabiliores. Ergo probabiliorem sequi debet; alias committeret mendacium perniciosum, pronuntiando minus probabilem potiorem, quam tamen inferiorem esse cognoscit.

Et in criminalibus quando agitur de condemnando?

2. Iudex etiam in criminalibus, quando agitur de condemnando reo, probabiliorem sequi debet, ex regula iuris 47. *Praesumitur innocentia, ubi culpa non probatur.* Sed si sint contra reum rationes minus probabiles, culpa non probatur, quia habetur solum semiplena

probatio, quae iudicem exponit periculo, ne innocentem damnet. Ergo innocentia praesnmitur.

3. Quando vero in crimiualibns agitur de reo absolvendo, index minus probabilem reo faveutem amplecti debet: qnia dum agitur de vita et capite, requiruntur ab accusatore probationes lnce clariores, et indubitatae, *l. fin.* c. *de prob.* Sed tales non sunt, quando pro innocentia rei stat probabilitas: hinc melius est impunitum relinquere facinus nocentis, quam forte inuocentem damnare, *l.* 5. *ff. de poenis*: et cum sint partium iura obscura, reo favendum est potius, quam actori. Nec obstat propositio damnata ( n. 1. ), quia praesumendum non est, Sedem Apostolicam velle aliquem poenis addici, cuins facinora non snnt omnino certa. **Non vero quando agitur de absolvendo.**

*Coroll. Pract.* 1° Si Iudex advertat, pro utraque parte stare rationes aeqne probabiles, ob accepta ab una parte munera sententiam pro illa ferre nequit; sed si neutra pars facto, vel iure superare sibi videatur, causam ad superiorem iudicem deferat, vel arbitros cum partium consensu constituat, vel transactionem suadeat, vel rem divisibilem dividat, vel indivisibilem uni ita adiudicet, ut alteri pretium dimidii refundat. 2° Iudex peccat, si in casu intricato unum solum vel alterum Anctorem consulat, et sine diligenti examine sententiam ferat, quia periculo alterum laedeudi se exponit. 3° Etiam Arbitri, Principes, Magistratus, et Consiliarii debent in sententia ferenda, decernendis tributis, oneribus imponendis, bello decernendo, sequi probabiliorem, quia alias iudicium practicum prudens formari non potest. 4° Advocatus potest suscipere causam minus probabilem defendendam, quia causam non definit, sed tantum rationes pro causa dubia affert, quas iudex discutiat. Si vero causam omnino iniustam esse cognoscat, vel in decursu advertat, eius patrocinium nec suscipere, nec prosequi, et clientem, ne inutiles expensas faciat, ad desistendum inducere debet, et plerumque ob periculum revelandi secreta huius causae, partis adversae patrocinium suscipere non licet. **Resolvuntur casus.**

§ 447. Medici et Chirurgi tenentur adhibere medicamenta certa relictis incertis, vel probabiliora et tutiora caetoris relictis: quia ex officio, charitate, et tacita conventione cum aegro tenentur eius sanitatem procurare eo meliori modo, quo possnnt; quod non fieret, nisi eligerent probabiliora, et tutiora. Si tamen media certa, et probabiliora non habeantur, praestat adhibere potius probabilia, quam nulla: imo si mors moraliter certa sit, et solum habeatur medium dubium, an profuturum, an obfuturum sit, illud adhibere licet; quia probabilis spes vitae praeferenda est periculo accelerandi mortem, quae absque eo secutura creditur. **Medici et Chirurgi probabilius sequi debent.**

§ 448. Quilibet ex lege Charitatis tenetur seqni tutiorem, relicta minus tuta, quando agitur de vitando damno temporali, vel spirituali ab inhonestate actionis distincto. Nam quamdiu probabilius indico, qnod actio vel mihi vel alteri sit nociva ob damnum ab ipso peccato **Tutius sequendum, quando de vitando damno a peccato di-**

stincto a- formali distinctum, non possum formare prudens dictamen de honestate actionis, quia virtualiter ipsum damnum eligo; nam prudeus etiam dictamen non removet periculum, vel damnum, quod ex actione imminet. Sic non licet explodere bombardam in obiectum, quod puto esse feram, si probabilius iudicem, esse hominem.
gitur.

Art. 2. *De opinione probabiliori minus tuta in conflictu tutioris.*

Tutius non semper sequendum est.

§ 449. Quando agitur de sola honestate obiectiva actus, scilicet, an liceat, necne, vel de probabilitate iuris; licitum est sequi opinionem probabiliorem minus tutam faveutem libertati, relicta minus probabili tutiori legi faveute. 1° enim licet sequi opinionem iuter probabiles probabilissimam, uti patet ex propositione Synnichii ab Alexandro VIII. damuata. Ergo etiam probabiliorem, quia in probabilissima aeque ac in probabili manet formido de opposito. 2° Summi Pontifices dispensarunt in Matrimouio rato, contra tutiorem aliorum opinionem. 3° Qui probabiliorem sequitur, agit ex motivo virum gravem ad assensum determinante: ergo licite agit; Certe si tutius semper sequendum foret, frustra Theologiae moralis seuteutias probabiliores indagaret, frustra viros doctos consuleremus, cum tutius ante omne studium omnes norint. Item peccassent S. Thomas et reliqui Theologi, qui uon semper tutiores senteutias in suis libris proponunt; aggravaretur iugum Christi, et fieret intolerabile; plures ex nimia anxietate stultescerent, et omuis humauus convictus deperiret.

Solvuntur obiectiones.

*Schol.* 1. Non obstat 1. quod *Matth.* 7. dicatur *angusta via, quae ducit ad vitam*. Et ad *Thess.* 5. *Omnia probate; quod bonum est, tenete.* Et: *Ab omni specie mala abstinete vos.* Et *Prov.* 14. *Est via, quae videtur homini iusta; novissima autem eius deducunt ad mortem. Resp.* Angusta via est, sed non angustissima et nulli fere pervia. In priori loco loquitur Apostolus de fratribus prophetantibus, quorum doctrina rite examinata et sane reperta, tenenda est. In altero loquitur de vitando scaudalo. Locus *Proverb.* est de iguorantia vincibili. II. S. Augustinus *l. de util. cred.* c. 11. ait: *Opinio nunquam est sine vitio.* Et S. Gregor. *l.* 5. *mor. c.* 6. dicit, Sanctos de bonis operibus formidare. Et S. Thomas *quodlib.* 8. *a.* 13. *Illud quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusat per hoc, quod est secundum conscientiam. Resp.* S. Augustinus per opiuiouem obstinatiouem in errore intelligit. S. Gregorius vult, quod, licet tutius eligamus, ob vanam gloriam, et alias circumstantias semper formidare debeamus. S. Thomas loquitur de lege vincibiliter ignorata, et conscieutia vincibiliter erronea. III. Ex opinione probabili non potest formari iudicium practice certum de houcstate actus, quia conclusio nequit esse certior principio: imo sequens opinionem etiam probabiliorem, contra legem agens violat legem, et quidem voluntarie cum cognitione malitiae. Ergo peccat. *Resp.* Ex opinione probabili formatur couclusio practice certa per iudicium reflexum, et dictamen moraliter cer-

tum, scilicet: ille non peccat, qui facit, quod prudenter iudicat obiective esse licitum: sed qui operatur iuxta opinionem probabiliorem, hoc facit: ergo non peccat: hinc in tali casu adest cognitio malitiae, sed non formalis, quia lex invincibiliter ignoratur.

*Schol.* 2. Litigant hic Theologi cum magna animorum contentione, an licitum sit in concursu duarum opinionum de honestate obiectiva actionis sequi probabilem, minus vel non tutam, relicta probabiliori saltem tuta, vel magis tuta. Ante solutionem huius quaestionis certo teneo: 1. Laxas sententias in doctrina morali, quae sub ementito nomine probabilis sententiae a nonnullis Casuistis inventae sunt, tamquam morum corruptelas omni studio esse vitandas et execrandas, quarum proinde plures merito sacra Sedes Apostolica iusto anathemate confixit. 2. Rigoristarum non minus opiniones Christianae doctrinae morali periculosas existimo, utpote qui nunquam probabilitati assurgunt, et in defectu certitudinis directae semper et ubique tutiora eligenda esse contendunt, sicque onera obligationum nimium accumulant; cum e contra Probabilioristae probabiliorem sententiam etiam minus tutam velut absolute tutam approbent; in quo a Rigoristis differunt. His suppositis, restat proposita quaestio resolvenda contra Probabilistas, qui volunt, opinionem minus vel aeque probabilem et minus tutam in concursu probabilioris in praxim deduci posse. Quamvis vero quaestionis huius resolutio in praxi sit admodum difficilis, cum opinio aliqua obiective probabilis in certis circumstantiis probabilior subiective esse queat, et cum probabilitas subiectiva secundum cuiusque intellectum etiam spectetur, et quod uni probabile, alteri probabilius videatur; hinc necdum clare intelligo, an haec quaestio tanti momenti sit, quanti eam aestimavit doctissimus quidam Professor, qui hanc meam notam, quam in prima editione huius mei opusculi Theologici apposui, docte impugnasse dicitur, quamvis eius Dissertatio vel Theses ad manus meas necdum devenerint. Licet autem hanc quaestionem in citata mea prima editione problematice solum tractaverim, et Lectorum iudicio causam hanc et controversiam decidendam reliquerim; facile tamen unusquisque advertere potuit, tum ex rationibus, tum ex resolutione plurimorum casuum in decursu occurrentium, me pro sententia Probabilioristarum stare, quam proinde modo absolute amplector, et Probabilistarum argumenta dissolvo. Quare sit.

**An liceat sequi probabilem relicta probabiliori**

*Schol.* 3. Inter duas opiniones inaequaliter probabiles nunquam sequi possumus minus probabilem minusque tutam, relicta probabiliori. I. Quia *Deut.* 26. praecipitur, ut ex toto corde et anima servemus mandata. Et *Matth.* 7. via ad coelum angusta esse dicitur. II. S. Augustinus *l.* 3. *cont. Donat.* ait, eum graviter peccare, qui in rebus ad salutem animae pertinentibus certis incerta praeponeret. S. Chrysostomus *hom.* 44. *in Matth.* ait, populum debere veriorem eligere. Et S. Thomas *quodlib.* 8. *a.* 13. dicit, plures Praebendas recipientem ex contrarietate opinionum periculo se exponere, et sic peccare.

**Rationes pro sententia probabiliori.**

III. Iuxta regulam iuris, in dubiis tutior pars est eligenda. Deinde Probabilismum modo saeculo 16° natum represserunt Summi Pontifices. Sic Alexander VII. a. 1659. damnavit Apologiam Casnistarum Probabilistarum, et a. 1664. Apologema Caramuelis pro licito usu cuiuscumque opinionis probabilis. Et a. 1665. damnavit hanc propositionem: *Si liber sit alicuius iunioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constat, reiectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem*. Et a. 1666. damnavit alias 45. propositiones laxas probabilitati innixas. Item Innocentius XI. alias 65. proscripsit, et inter alias banc: *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione probabili*. IV. Sequens opinionem probabilem non potest sibi formare conscientiam moraliter certam de honestate formali sui actus, ne quidem ex principiis reflexis; nam illa principia: Qui probabiliter operatur, prudenter operatur: Lex, quae probabiliter iudicatur non existere, est insufficienter promulgata, et invincibiliter ignorata, adeoqne non obligat; sunt incerta, et a gravissimis Theologis negantur. V. Unusquisque tenetur in materia fidei et morum sincere quaerere latentem veritatem, et ad eam niti, quia Religio Christi est Schola veritatis, et hoc officium probi viri et recta ratio exigit. Sed qui sequitur id, quod probabilius credit esse falsum, non quaerit sincere veritatem, nec ad eam, quantum potest, nititur. VI. Sententia minus probabilis in conflictn probabilioris, non est proprie, solide et expedite probabilis: tum quia vis motivorum sententiae minus probabilis eliditur a fortioribus motivis probabilioris: tum quia vir prudens nequit assentire opinioni, quam probabilius falsam, quam veram etiam comparative ad se iudicat. VII. Agens iuxta minus probabilem agit imprudenter, quia posset, et deberet de bonestate sui actus ob motiva urgentiora dubitare: item non vitat transgressionem legis materialem, quantum potest, et viam pandit innumeris laxitatibus, pro quibus fere semper stant rationes probabiles. Vid. Ill. D. Godeau *Th. Mor.* et alios plurimos in not. citat.

Solvuntur obiectiones.

*Schol.* 4. Obiiciunt Probabilistae I. Nulla adest lex obligans ad sequendam opinionem probabiliorem, quamvis maior sit perfectio. *Resp.* Non agitur hic de maiori perfectione, sed de aeterna salute, et peccati mortalis periculo, quod semper vitare tenemur. II. Esset onus intolerabile, et obligatio moraliter impossibilis, si quis ante actionem teneretur in sententiam probabiliorem inquirere, et obnoxia infinitis scrupulis, adeoque lex impracticabilis opposita suavi iugo Christi. *Resp.* Inquisitio probabilioris sententiae docto ex bonis Moralistis, rudi ex consilio docti Theologi facile alleviabitur: qui vero a legitimis seu rationabilibus scrupulis animas per minus probabiles sententias liberare nititur, falsa eas securitate decipit, et mortem eis conciliat. III. Non possumus habere integram rerum moralium certitudinem, ad quam proinde Deus nos non obligat, sed solum ad operandum cum morali certitudine, et ad prudenter agendum ex honesta et licita ratione. *Resp.* Opinio probabilis in concursu probabilioris

nec moralem certitudinem habet, sed dubia evadit, cum qua ne quidem prudenter agere quis potest ob periculum peccati. IV. S. Augustinus relatus c. *Ego solus* d. 9. rationes probabiles ait sufficere ad regulandum iudicium prudens. Et Summi Pontifices dispensarunt iuxta sententiam probabilem, relicta tutiori. *Resp.* S. Augustinus non loquitur de operatione, sed de scripturarum canonica auctoritate, quam se dicit admittere, si a viris gravibus cum probabili ratione gravi nulla stante pro contrario, asseratur. Summi vero Pontifices probabiliorem, etsi minus tutam in dispensando secuti sunt. V. Probabilismus graves habet propugnatores, needum fuit damnatus; imo in editione tot librorum eum defendentium taeite ab Ecclesia probatus. *Resp.* Probabilismo praevalere debent Evangelium, Traditio, Patres, et Concilia. Ecclesia vero, etsi necdum universim omnes libros Probabilismum defendentes damnaverit, nunquam tamen approbavit; de quo fuse disserentem vid. Ill. Godeau *Th. Mor.*

*Schol.* 5. In concursu duarum opinionum aeque probabilium cum generetur dubium, tutius eligendum est. Nam I. In dubiis tutior pars est eligenda. Sic c. 1. *Significasti, de Homic.* in dubio an Sacerdos occiderit hominem, debet censeri irregularis. Idem, c. *Illud, de Cler. excomm.* et in multis aliis locis Iuris Canonici, statuitur. II. Omnis prudens in negotiis temporalibus eligit tutiorem: ergo multo magis in negotio animae. III. Ex lege Charitatis tenemur observare mandata Dei, quantum possumus: sed qui non sequitur tutiora, non observat mandata Dei, quantum potest: ergo tenetur ea sequi IV. Illa opinio est eligenda, quae nullum dubitandi locum relinquit, seu cui nulla subest suspicio, quod res sit illicita; alias exponeret se quis periculo peccati. Sed haec est opinio tutior. Ergo est eligenda. Vid. cit. Ill. Godeau *Th. Mor. tom.* 1. **Rationes pro tutiori sequendo.**

Art. 3. *De certitudine morali dictaminis practici ultimi.*

**§ 450. Dictamen ultimum practicum ad honeste operandum debet esse saltem moraliter certum, ita ut excludat omnem prudentem formidinem de opposito.** Nam 1° S. Thomas 1. 2. *q.* 19. vocat conscientiam applicationem scientiae ad actum: sed scientia non patitur secum formidinem de opposito: ergo nec conscientia practice practica; consequenter debet esse moraliter certa. 2° Qui habet dictamen ultimum tantum probabile, hoc ipso iudicat, illud, quod agit, probabiliter esse illicitum (§ 440. Schol.): consequenter exponit se periculo peccandi, et peccat (§ 443.). **Dictamen ultimum practicum moraliter certum esse debet.**

*Schol.* Non obstat I. Qui probabilius practice iudicat, id, quod agit, non esse peccatum, facit quod est in se moraliter: ergo non peccat. *Resp.* Hoc falsum est: supposito enim iudicio probabili vel probabiliori, potest quis per iudicium reflexum moraliter certo iudicare, id, quod agit, non esse peccatum (§ 443. Coroll. n. 5. et § 440. Schol. 1. obi. 3.). II. Certitudo moralis in omnibus rebus haberi nequit. *Resp.* Non potest quidem haberi, quando agitur de peccato **Solvuntur obiectiones.**

materiali; secus si agatur de peccato formali. III. Hoc modo non operamur secundum conscientiam probabiliorem, sed semper secundum conscientiam rectam. *Resp.* Non operamur secundum conscientiam probabilem tamquam dictamen ultimum, et regulam proximam actionum; operamur tamen secundum probabiliorem tamquam obiectum ultimi dictaminis.

Resolvuntur casus. *Coroll. pract.* 1° Illicitum est operari secundum opinionem alienam, quam quis iudicat speculative et practice esse falsam; quia nequit sibi formare prudens dictamen practicum. 2° Qui iudicat, alienam sententiam esse falsam, quia non penetrat rationes oppositas, quam tamen scit a viris doctis et piis defendi, eam sequi potest, cum dictamine reflexo moraliter certo, iudicium de falsitate oppositae sententiae deponendo. 3° Sola probabilitas extrinseca Doctorum non fundat opinionem practice tutam; sed tantum concomitanter simul cum rationibus, quas operans vel scit afferri ab iis, vel prudenter praesumit. 4° Infidelis censens, Catholicam Religionem probabilius veram esse, licet suam probabiliter veram esse credat, tenetur probabiliorem sequi, Fidem Catholicam amplectendo, iuxta propositionem 4. ab Innocentio XI. damnatam, quia agnita veritate probabiliori Catholicae Religionis, tenetur inquirere in motiva credibilitatis, ut veritatem inveniat: Catholici vero omne dubium excutere debent, quia evidentiam credibilitatis habent. Stante vero sola probabilitate Religionis Catholicae, Infidelis non tenetur eam amplecti, quia illi prius Catholica Religio debet apparere evidenter credibilis, uti patet ex prop. 21. ab Innocentio XI. damnata: debet tamen immediate inquirere, ut veniat ad agnitionem verae Fidei, quam etiam propter signa credibilitatis evidentia certo inveniet; vel illustrationem a Deo petere, quam illi Deus non denegabit. 5° Religiosus, qui non certo, sed probabilius solum iudicat, esse illicitum, quod Superior praecipit, potest et tenetur obedire, quia praesumptio est pro Superiore. 6° Confessarius nec potest et nec debet contra suam propriam opinionem se conformare opinioni sui poenitentis probabili, illum absolvendo: ordinarie, quia ille est Iudex et Doctor, nisi forte poenitens sit vir pius, prudens, et forte doctior ipso Confessario, ut proinde merito ob rationes graves ab illo allatas dubitare possit, an non poenitentis opinio sit probabilior; unde deposito dubio eum poterit absolvere. Ita Cl. P. Ricci *Th. Mor. tom.* 1. *tr.* 1. 7° Per se loquendo etiam suscipiens Sacramentum tenetur sequi tutiorem de valore Sacramenti, ob reverentiam illi debitam (§ 445.), nisi minus tuta sit probabilissima (§ 449.).

### Art. 4. *De scrupulis, eorumque causis, et remediis.*

Licet agere contra scrupulos. § 451. Licitum est contra scrupulos stricte tales operari, etsi perseverent: quia scrupulus non est iudicium determinatum, sed inanis apprehensio (§ 440. Schol.). Ergo stare potest cum iudicio practico de honestate actionis, quod hoc ipso fit, quando quis inanem apprehensionem ceu scrupulum contemnit, et contrarium agit.

*Coroll. Pract.* 1° *Causae* scrupulorum *intrinsecae ex parte animae* sunt 1. Ignorantia, qua quis inter tentationem, et consensum non discernit. 2. Occulta superbia, et tenacitas iudicii. 3. Nimia Iustitiae Divinae apprehensio, et modica confidentia in Divina Misericordia. 4. Nimia sollicitudo apparentiam peccati fugiendi, et plenam certitudinem habendi, hoc vel illud non esse peccatum. 5. Nimia austeritas, et morosa fuga omnis humanae conversationis. *Causae extrinsecae ex parte animae* sunt 1: Permissio Dei. 2. Tentatio daemonis. 3. Conversatio frequens cum scrupulosis. 4. Lectio Moralistarum sine iudicii discretione. *Causae ex parte corporis* sunt: Complexio frigida et melancholica, et debilitas capitis. 2° *Signa scrupulosi* sunt 1. Pertinacia iudicii. 2. Frequens mutatio sententiae ob leves rationes, et inconstantia ac perturbatio in agendo. 3. Reflexiones impertinentes innumerarum circumstantiarum. 4. Timor peccati in actionibus etiam honestis. 5. Signa externa, motus et gestus ridiculi. 6. Perpetuus timor, an Confessio bene peracta sit. 3° *Remedia* contra scrupulos sunt 1. Audacter contra eos operari. 2. Iudicium Confessarii, ad quem tamen in singulis actibus recurrere non expedit; sed regulis ab eo praescriptis ipse scrupulosus utatur. 3. Sequela proborum, et doctorum virorum, et illius, quod ipse scrupulosus alteri prudenter suadere vellet. 4. Sentire de Domino in bonitate, et simplicitate cordis. 5. Fuga otii, quod animum perpetuis reflexionibus implet. 6. Oratio ad Deum pro obtinenda animi tranquillitate. 4° *Principia Confessarii* pro scrupulosis sunt 1. An poenitens, vere, ex qua causa, et in qua materia sit scrupulosus. 2. Confessarius sit patiens, ac cum gravitate resolute sine haesitatione, et sine data ratione suae responsionis respondeat, scrupulosos superbos arguat, pusillanimes ad spem Divinae Misericordiae animet, dubia in benigniorem partem interpretetur, docens, eum, qui bona fide procedit, adhibita mediocri diligentia non errare, et dubium in alio rationabile a scrupuloso contemnendum esse. 3. Oret diligenter pro suo cliente. 5° *Principia pro ipso scrupuloso* sunt 1. Non tenetur quidquam repetere in Confessione, nisi de omissione certus sit: hinc facta semel Confessione generali, non amplius confiteatur generaliter, sed sola peccata, quae ipsi postea adhuc incidunt. 2. Non credat, se peccasse mortaliter, nisi certo sciat, se plene consensisse: maxime, si continuo tentationi resistat, et doleat; imo pro scrupulosis sufficit, tentationes cum contemptu reiicere, et ad alia obiecta se convertere, quippe non tenentur per actus positivos illis resistere: sane si scrupulosus consentiendo, se plene a Deo avertisset, non tam cito et faciliter ad Deum converteretur ob summam malitiam peccati mortalis. Vid. meas *Institutiones Theol. Mysticae tom.* 1. ubi plura de scrupulis fuse tractata reperies.

Resolvuntur casus.

## CAP. IV.

### De Legibus.

Lex quid? § 452. Regula morum externa est *Lex*, quae est praeceptum Superioris iustum et stabile, communitati perfectae impositum, in commune bonum ordinatum, ac legitime promulgatum.

Quotuplex? *Schol.* Lex respectu materiae, quam respicit, alia est *imperans*, alia *prohibens*: hinc praecepta legis alia sunt *affirmativa*, quae bonum imperant: alia *negativa*, quae malum et inhonestum prohibent. 2. Relate ad Legislatorem, lex alia est *naturalis*, alia *positiva*. 3. Positiva, alia est *Divina*, quae in *veterem* Iudaico populo in veteri Testamento datam; et in *novam* a Christo in Evangelio latam dividitur: alia est *humana*, quae vel est *Ecclesiastica*, lata a potestate Ecclesiastica; vel *civilis*, lata a potestate civili: de his in subsequentibus.

Lex debet ferri in bonum commune. § 453. De ratione legis est, ut feratur pro communitate et in bonum commune, tamquam proprium finem. Nam lex in hoc differt a praecepto, quod praeceptum solum unum vel alterum privatum respiciat. Ergo debet ferri pro communitate, et quidem perfecta (§ 452.); quo nomine intelligitur multitudo hominum inter se unitorum, in qua, qui praeest, habet iurisdictionem politicam ad graviores etiam poenas infligendas. Deinde lex respicit totam communitatem, quam in bonum finem dirigit (§ 452. ). Ergo finis eius debet esse bonum commune; inordinatum enim foret, quod bonum totius ordinaretur ad bonum partis, cum totum non sit propter partem, sed pars propter totum. Certe in hoc Rex differt a Tyranno, quod Rex bonum commune, Tyrannus bonum privatum spectet. Ergo etiam leges Regum et Tyrannorum in eo differunt, quod illae bonum commune, hae privatum attendant.

Solvuntur obiectiones. *Schol.* Pseudopolitici cum suo Machiavello docent, non esse de essentia legis, ut feratur in bonum publicum, sed sufficere, si in unum bonum privatum Principis feratur. I. Quia alias non esset obtemperandum legibus, nisi de recta intentione legislatoris constaret: et sic subditi animarentur ad rebelliones, dicentes, se iniquis legibus gravari. *Resp.* Praesumi debet recta legislatoris intentio, si opus praeceptum sit iustum, et reipublicae utile. Et rectitudo in mente legislatoris non spectat ad essentiam legis, sed sola bonitas operis iniuncti: unde subditi rebellionis ansam male arripiunt, maxime, quia in dubio praesumptio stat pro legislatore. II. Leges tributorum dantur pro bono privato Principis. Item feruntur leges in bonum privatum, v. g. pupillorum, militum etc. *Resp.* Princeps in tributis spectatur ut caput reipublicae, quam sine magnis expensis administrare nequit; hinc expedit, ut pro sustinendis publicis oneribus aerarium eius locuples sit. Leges pro pupillis ultimato respiciunt bonum commune, quod exigit, ut qui ex defectu aetatis sibi satis prospicere non possunt, per leges sint tuti a fraudibus. Milites vero per leges fiunt parati ad defensionem patriae. III. Reges vocantur domini, subditi vero servi:

dominus autem disponit de bonis servi in propriam utilitatem. *Resp.* Reges sunt domini, non dominatu servili, sed politico et civili; ideoque non imperant subditis ut mancipiis, sed liberis.

*Lex debet aliquo modo promulgari.*

§ 454. Ut lex obliget actu, requiritur aliqua eius promulgatio: lex enim est regula actuum humanorum (§ 452.). Sed actus humani per illam regulari non possunt, nisi innotescat per promulgationem (§ 429 n. 1.). Ergo aliqua promulgatio requiritur. Porro haec promulgatio pro diversitate legum diversa est. Lex aeterna, et naturalis promulgatur unicuique per dictamen rationis. Lex Divina positiva subinde promulgatur per internam revelationem, uti Prophetis; subinde per externam propositionem sine solemnitate, sicut Christus eam promulgavit suis Apostolis; subinde cum solemnitate, uti Lex Vetus in monte Sinai, et Nova in die Pentecostes. Lex vero humana semper cum aliqua solemnitate promulgari debet, quia homo legem proponere debet ut persona publica, ad quod aliqua solemnitas requiritur.

*Promulgatio an sit de essentia legis?*

*Schol.* Promulgatio non videtur esse de essentia legis, sed tantum conditio insupplebiliter requisita, ut lex actu obliget. Nam promulgatio se habet ad legem, ut applicatio regulae ad regulatum, sed applicatio regulae non est de essentia regulae, sed supponit illam constitutam; ergo etiam promulgatio.

*Potestas legislativa Rectori aut communitati competit.*

§ 455. Potestas legislativa competit vel illi, qui curam communitatis gerit, vel ipsi communitati. Quippe qui curam communitatis gerit, vel ipsa communitas debet prospicere bono communi. Ergo huius vel illius est, leges condere, quae prospiciunt bono communi. Deinde lex habet vim imperandi, et coercendi. Sed nullus privatus habet potestatem multitudini imperandi, eamque coercendi, nisi Rector illius, vel multitudo. Ergo illis competit potestas legislativa.

## CAP. V.

### *De Lege aeterna.*

*Lex aeterna quid?*

§ 456. Omnis potestas legislativa a Deo est, quia Deus universum gubernat (t. 1. § 107.), ac rebus omnibus providet (t. 1. § 252.): ideo datur in Deo dictamen rationis practicae circa agenda, vel omittenda, ideoque *Lex aeterna*, quae est ratio Divinae sapientiae, secundum quod est directiva actionum et motionum creaturarum in ordine ad bonum commune totius universi.

*An in Deo, et pro quibus detur?*

*Schol.* Lex aeterna differt ab Idea Divina, quia Idea Divina est exemplar rerum faciendarum, et creandarum; Lex vero aeterna ordo rerum gubernandarum, vel inferens eis necessitatem, uti in rebus naturalibus; vel inducens obligationem moralem, uti in creaturis intellectualibus. Differt a Providentia, quia Lex habet vim obligandi, non vero Providentia: Lex respicit bonum commune; Providentia bonum etiam particulare. Hinc Lex aeterna vere habet rationem legis saltem respectu creaturarum intellectualium; respectu enim irratio-

nalium nonnisi improprie rationem legis habet, qnatenns eas dirigit in suis motibus per instinctum naturalem. Dens autem non sabditur Legi aeternae, quia Lex aeterna est ipse Deus, et Lex solum datur ad dirigendas creaturas defectibiles, qnod Deo non competit.

A legi aeterna omnes leges derivantur.

§ 457. A Lege aeterna omnes aliae Leges derivantur. Nam 1° *Prov.* 8. Sapientia aeterna, cuius ratio est Lex aeterna, dicit: *Per me Reges regnant, et legum conditores iusta decernunt.* Et *ad Rom.* 13. *Non est potestas, nisi a Deo.* Hinc S. Augustinus *l.* 1. *de lib. arb. c.* 6. ait: *In temporali lege nihil est, quod non ex hac aeterna sibi homines derivaverunt.* 2° Lex aeterna est ratio gubernationis in primo et supremo gubernante (§ 456.), et lex per essentiam; cum e contra aliae leges sint leges per participationem. Ergo omnes rationes, gubernationes, et omnes leges, quao sunt in inferioribus gubernantibns, a Lege aeterna derivantur. Derivantur, inquam, tum tamquam ab exemplari, ita ut omnes leges, nt sint iustae, debeant esse conformes Legi aeternae: tum tamquam a causa efficiente, quia omnis potestas legislativa inferior est a Deo: tnm quia Lex aeterna mediante lumine rationis, vel fidei dictat et approbat, quae, et quando leges pro diversitate circumstantiarum sint instituendae.

Solvuntur obiectiones.

*Schol.* Dices I. Lex Divina positiva est aeterna: ergo non derivatur a Lege Dei aeterna. *Resp.* Lex Divina positiva, prout est in Deo Legislatore, non derivatur a Lege aeterna, sed est ipsa Lex aeterna inadaequate: bene vero, prout est in illis, qui eam vel publicant, vel iuxta illam alios gubernant, vel seipsos iuxta eam dirigunt: hoc modo derivatur a Lege aeterna II. Lex naturalis non derivatur a Lege aeterna, quia mentiri ante omnem Legem aeternam est malum et contra legem naturalem. *Resp.* Lex naturalis materialiter sumpta ratione sui fundamenti, quod est habitudo convenientiao, vel disconvenientiae extremorum inter se, abstrahendo ab existentia huius legis non derivatur a Lege aeterna; nam Deum colere, bonum foret, etsi Deus per impossibile hoc non intelligeret: derivatur vero a Lege aeterna lex naturalis formaliter sumpta, qnatenus dictamen rationis iudicat de hac convenientia, vel disconvenientia; quia hoc dictamen est a Deo, et aeterno eius dictamini veluti exemplari conforme. III. Lex humana nonnulla permittit, quae aeterna prohibet. *Resp.* Lex humana illa non approbat, sed tantum tolerat, ne fiant peiora, qnod idem provenit ab ordine Legis aeternae.

## CAP. VI.

### *De Lege naturali.*

Lex naturae quid?

**§ 458. Igitur a Lege aeterna derivatur Lex naturalis, qnae etiam Ius naturale dicitur (§ 457. Schol.). Est autem *Lex naturae* ordinatio Divinae Sapientiae per dictamen synderescos naturae rationali manifestata, praecipiens rectae rationi consentanea, et prohibens dissentanea, addunt nonnulli, et permittens indifferentia.**

*Schol.* 1. **Circa definitionem Legis seu Iuris naturalis variant Auctores. Veteres Iurisconsulti Ius naturae definiunt, quod natura omnia** animalia docuit. Verum haec definitio non placet, quia etiam bruta legis incapacia, legi subiicit; imo profluxisse videtur vel ex sententia Pythagoricorum Metempsichosim defendentium, adeoque bruta et homines eadem anima praeditos credentium; vel ex opinione Stoicorum putantium, bruta aeque ac homines anima rationali informari. Vasquez vult, legem naturalem esse ipsam naturam humanam rationalem, quatenus eidem ratione suae essentiae tamquam normae certae actiones conveniunt vel disconveniunt. Verum hoc non placet, quia natura in se spectata nec dirigit, nec praecipit; quod tamen ad legem requiritur (§ 452.). Thomistae volunt, legem naturalem consistere in dictamine rationis, seu iudicio praeceptivo, quod est actus synderesis. Sed hoc dictamen non est actus alicuius superioris, nec praecipit, sed tantum indicat praeceptum: ergo non est lex naturalis. Nec obstat I. quod *ad Rom.* 2. dicitur *opus legis scriptum in cordibus* nostris, *testimonium reddente conscientia.* Et *v.* 14. *Legem non habentes, cum naturaliter ea, quae legis sunt, faciant, sibi ipsis sunt lex.* Et *Ps.* 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui. Resp.* Lex naturae dicitur scripta in cordibus nostris per dictamen, ceu legis applicationem, et promulgationem. II. S. Damascenus legem naturae vocat *conscientiam.* S. Hieronymus *Legem intelligentiae.* S. Maximus *rationem naturalem.* S. Augustinus *legem a Deo scriptam in cordibus nostris. Resp.* Patres in rigore Scholastico non loquuntur, et promulgantem pro ipsa lege sumunt. III. Lex naturae in homine esse debet, sed non alibi, nisi in intellectu. *Resp.* Lex naturae sufficienter homini est intrinseca per promulgationem, alio modo intrinseca esse non debet. Dictamini nonnullae proprietates legis conveniunt, non ut quod, sed ut quo, tamquam applicanti, et promulganti legem naturae. Solvuntur obiectiones

*Schol.* 2. Ius naturae a nonnullis dividitur in ius naturae *primaevum*, quod hominibus et brutis commune est: et *secundaevum*, quod solis hominibus proprium est: verum haec divisio est inutile inventum nonnullorum ad salvandam definitionem Iustiniani, scilicet: ius naturae est id, quod natura omnia animalia docuit: quae reiecta fuit (Schol. 1.). Melius dividitur in *absolutum*, quod absolute independenter ab omni statu, et consensu, vel obligatione obligat: v. g. Deum colere: et *conditionatum*, quod supposita conditione, vel consensu obligat. De caetero lex naturae etiam in affirmativam, et negativam dividi potest (§ 452. Schol.). Lex naturae quotuplex?

*Schol.* 3. *Obiectum materiale* legis naturalis est omne id, quod convenit naturae rationali, ut praecipiatur, et omne, quod eidem disconvenit, ut proinde prohibeatur ab Auctore naturae. Hinc lex naturalis versatur circa prima et generalia morum principia, v. g. bonum faciendum, malum fugiendum: et circa magis particularia, per se tamen nota, v. g. iustitia servanda. Item versatur circa alia praecepta ex primariis immediate vel mediate deducta, quae fundant hone- Obiectum eius.

statem moribus necessariam; uti sunt praecepta Decalogi. *Obiectum formale* iuris naturae consistit in conformitate principiorum cum Lege Dei, ceu norma universali, per quam naturae congrua fiunt formaliter honesta, vel iusta: et naturae dissona, fiunt formaliter inhonesta, et iniusta. Dictamen vero est promulgans legem naturalem.

ART. 1. *De existentia legis naturalis.*

Datur lex naturalis. § 459. Datur Lex naturalis. *Ad Rom. 2. Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt; ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis; ipsi sibi sunt lex, testimonium illis reddente conscientia ipsorum.* Deinde patet ex communi hominum consensu, et recta ratione, quae agnoscit in multis discrimen inter bonum et malum, etiam citra Divinam revelationem. Ratio est: Quia creatura rationalis, ut finem suum per operationem rectam consequatur, indiget aliqua regula, cum ipsa sibi non sit regula. Ergo haec regula, quae est Lex naturae (§ 458.), datur; nam natura in necessariis non deficit.

Principium cognoscendi iuris naturae. *Schol. 1. Principium cognoscendi* ius naturale significat propositionem generalem immediate notam in se, ex qua veluti radice omnia, et sola iuris naturalis capita vel ultro fluunt, vel facile deducuntur: unde debet esse primum, unicum, in ipsa natura fundatum, verum, evidens, quoad se et quoad nos notum, soli et omni iuri naturae cognoscendo proprium. Principium cognoscendi iuris naturae non debet confundi cum Principio essendi illius, et existendi, seu cur existat, et obliget ius naturae. In utroque hoc principio assignando non conveniunt Doctores. *Principium essentiae* seu possibilitas iuris naturae fundatur in non repugnantia, quod natura rationalis per regulam aliquam dirigi possit, et in hoc omnes conveniunt. *Principium existentiae* iuris naturae, quod continet rationem, cur ius naturae obliget et tale sit, nonnulli assignant voluntatem Dei obligatoriam. Sed hoc modo bonitas et malitia actionibus moralibus non esset intrinseca. Alii convenientiam vel disconvenientiam cum natura humana assignant. Sed haec sententia legibus naturalibus vim obligationis perfectae detrahere videtur, quia hoc modo nec praeciperetur quid, nec dirigeretur. Dici potest: quod Principium existentiae iuris naturalis immediatum sit convenientia, vel disconvenientia cum natura rationali; mediatum vero est voluntas Dei, et eius ordinatio obligans ad illud sequendum. Vid. *Elem. iur. nat.* Bourlamaqnii. Quoad *Principium cognoscendi* iuris naturae iterum discrepant Doctores. Puffendorfius et Thomasius *Principium socialitatis* assignant, scilicet: *Illa facienda, quae necessario conveniunt cum vita hominis socialis: illa vero omittenda, quae illi repugnant.* Verum hoc principium non est primum, quia vita socialis ab alio principio, scilicet amore, fluit: non est adaequatum, quia ex eo non fluunt officia erga Deum, et seipsum, quae Puffendorfius male secundario solum ad ius naturae retulit: non est proprium, quia non in absoluta necessitate fundatur:

(Margin notes: Principium essendi. — Principium existendi.)

non est verum, tum quia ius naturae in homine etiam extra societatem existente datur: tum quia ius naturae non solum externam, sed etiam internam hominis felicitatem spectat: tum quia evertit vitam solitariam, et anachoreticam. Cocceius pro principio cognoscendi ius naturae assignat voluntatem Dei obligatoriam. Sed ille principium cognoscendi cum principio essentiae et existentiae confundit. Wolfius hoc principium defendit: *Illa facienda, quae nos statumque nostrum perficiunt: illa omittenda, quae felicitatem nostram destruunt.* Verum hoc principium non soli iuri naturae competit, sed legibus etiam positivis, imo etiam consiliis, per quorum observantiam status noster perficitur. D. Martini Profess. Vienn. in suis Positionibus hoc principium proponit: *Illa quae finibus rerum a Deo conditarum, quatenus ex ipsa earum essentia atque natura intelligi et actionibus nostris liberis applicari possunt, facienda; quae vero illis repugnant, omittenda sunt.* Sed an hoc principium sit satis evidens, et an fines rerum quivis facile possit intelligere, non immerito dubitatur. Alii unum aliquod iuris naturae principium assignari posse negant, sed plura statuenda esse docent. Verum licet forte ad principium iuris naturae non requiratur, quod sit unum, et incomplexum grammaticaliter, seu consistat in termino simplici; requiritur tamen unitas principii philosophica aut iuridica, quae consistit in dependentia et subordinatione principiorum specialium, seu propositionum secundum quid fundamentalium ad principium generale, seu propositionem iuris naturae absolutae fundamentalem. Denique plures Principium iuris naturae hoc statuunt: *Fac ea, quae ex amore Deo, tibi et proximo naturaliter debito, et ad felicitatem naturae rationali propriam necessario facienda vel omittenda sunt.* Hoc principium est omnium primum, quia amor est fundamentum finis a natura intenti, nempe felicitatis naturae rationali propriae. Ergo etiam est fundamentum mediorum ad hunc finem, scilicet legum naturalium; sicuti amor supernaturalis est principium fundamentale omnium legum Divinarum: *ad Rom.* 13. *Si quod ... est mandatum, in hoc verbo instauratur: diliges proximum tuum, sicut teipsum.* Est unum principium, cuius triplex obiectum per subordinationem in unum coalescit. Est evidens; nam felicitatem, ceu finem instinctus naturae prodit: amorem tamquam medium, prima principia ostendunt: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Est verum et proprium; amor enim in debito naturae fundatus, ab omni alio amore, beneficentiae, humanitatis, etc. distinguitur. Est adaequatum, quia omnia alia praecepta naturae sub se continet, uti consideranti facile patebit.

*Schol.* 2. Convenit inter Theologos, non posse dari ignorantiam invincibilem de primis praeceptis iuris naturae, quae sunt per se nota, et ex sola terminorum apprehensione intelliguntur. Nec datur ignorantia invincibilis de secundariis praeceptis secundum se spectatis in adultis perfectum usum rationis habentibus, quia ex primariis immediate deducuntur discursu facili, et omnibus obvio, cuius etiam ru- An detur ignorantia invincibilis iuris naturae?

diores capaces sunt. Si vero secundaria praecepta spectentur ut vestita aliqua circumstantia bona, et apparenter excusante a peccato, a rudioribus saltem ad tempus ignorari invincibiliter possunt, v. g. non licere mentiri leviter ad conservandam vitam innocentis; quia haec sunt obscura. Quantum vero ad praecepta remotiora, et obscuriora, docent Lovanienses, neque de illis dari posse ignorantiam invincibilem. Verum affirmativa sententia est communior, et probatur 1. ex S. Augustino, qui *l. 1. de serm. Dom. in monte c.* 16. postquam narrasset, mulierem Antiochenam pro redimendo marito suo ex eius consensu copiam sui corporis accepta auri libra fecisse, relinquit indecisum, an hi coniuges peccaverint, quia nullo modo iudicarunt, actum illum sub his circumstantiis fuisse adulterium: sed si non daretur ignorantia invincibilis iuris naturae, peccassent; ergo datur. Et S. Thomas 1. 2. *q.* 100. *a.* 1. ait: *Quaedam sunt, quae subtiliori consideratione rationis a sapientioribus iudicantur esse observanda, et ista sic sunt de lege naturae, ut tamen indigeant disciplina, qua minores a sapientioribus instruantur.* Ergo rudes ea invincibiliter ignorare possunt. 2. Datur ignorantia iuris naturae, quae nec studio, nec mortificatione passionum, nec orationis assiduitate, nec recto usu scientiae acquisitae vinci potest. Sic S. Hieronymus *ep.* 11. simulationem; Cassianus *coll.* 17. mendacium officiosum esse licitum putaverunt, et erraverunt. S. Thomas 2. 2. *q.* 67. *a.* 2. vult, iudicem teneri condemnare innocentem iuridice convictum, quod negat S. Bonaventura: et multi Doctores de nonnullis contractibus adhuc disputant, an sint usurarii, qui tamen omnia praedicta media adhibuerunt. 3. Licet sequi sententiam inter probabiles probabilissimam circa ius naturae, et tamen etiam probabilissima falsa esse potest. Non obstat I. quod Gentiles dicantur inexcusabiles, qui sine lege peccarunt, *ad Rom.* 2. Et *Ps.* 4. dicatur: *Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona? signatum est super nos lumen vultus tui. Resp.* Apostolus loquitur de Gentibus contra legem naturae vincibiliter ignoratam peccantibus. Psalmista vero loquitur de impiis, de primis principiis ob lumen naturale per pravos habitus obtenebratum quaerentibus: *Quis ostendet nobis bona?* cui respondet: *Signatum est, etc.* II. S. Augustinus *ep.* 154. docet: *Si quis bonum putaverit esse, quod malum est, hoc putando utique peccat. Resp.* Vel loquitur de ignorante vincibiliter, vel de peccato materiali. III. S. Thomas dicit, etiam in difficillimis non dari ignorantiam invincibilem. *Resp.* Solum vult, in difficillimis solitarie consideratis, et non controversis non dari ignorantiam; secus si comparate ad sententias contrarias spectentur, et sint controversae, ubi saepe dubium generatur. IV. Deus vult legem naturae ab omnibus observari: ergo omnibus innotescere debet; alias impossibile quid praeciperet. *Resp.* Deus in iis, quae invincibiliter ignorantur, ad observationem non obligat.

ART. 2. *De obligatione legis naturalis.*

§ 460. Lex naturalis omnes creaturas rationales obligat. Nam Lex naturae est ordinatio Divinae Sapientiae, etc. praecipiens rectae rationi consentanea, prohibens dissentanea (§ 458.). Sed haec omnes creaturas rationales obligat, quae secundum rectam rationem agere debent. Ergo omnes obligat. Lex naturae omnes obligat.

*Schol.* 1. Okam, Gerson et Petrus de Alliaco putarunt, Deum posse absolute dispensare in omnibus praeceptis legis naturae, imo totam illam legem abrogare, ita ut etiam odium Dei non sit peccatum. Scotistae vero censent, Deum posse dispensare in praeceptis secundae tabulae tantum, excepto mendacio. Verosimilius nobis est, Deum in lege naturae proprie dispensare non posse, sed tantum improprie. Ratio est 1. Quia Deus non potest efficere, ut ea quae prohibentur iure naturae, uti odium Dei, homicidium, etc. sint licita, et honesta: neque quae praecipiuntur, uti officia Religionis, non sint honesta, materia legis manente immutata, quia hi actus sunt intrinsece mali, vel honesti independenter a voluntate Dei, et Deus nequit facere, ut id, quod est ex se tale, manens tale, non sit tale: sicuti nequit facere, ut homo manens homo non sit animal rationale: ergo nequit proprie dispensare in lege naturali. 2. Deus nequit proprie dispensare in lege, quam necessario tulit, et necessario conservat: sed ex supposito, quod voluerit creare hominem, necessario tulit, et necessario conservat legem naturalem; nam tamquam iustissimus, et sanctissimus non potuit non prohibere, quae sunt rationi dissona, et praecipere, quae sunt consentanea: ergo in lege naturae proprie dispensare nequit. 3. Deus dispensare nequit in lege aeterna, quia nequit suam rationem pervertere: ergo nec in lege naturae. Non obstat I. quod Deus dispensaverit in homicidio, praecipiendo Abraham, ut filium occideret. In fornicatione, praecipiendo, ut Propheta sumeret fornicariam, *Osee* 1. In furto, ut Israelitae furarentur vasa Ægyptiorum, *Exod.* 12. In matrimonio inter fratres et sorores Adami. In polygamia cum Abraham, Iacob, etc. In libello repudii cum Iudaeis. *Resp.* In his omnibus dispensatio nonnisi impropria dicta occurrit. Deus tamquam supremus vitae Dominus mandans Abrahamo, ut filium occideret, fecit, occisionem non esse amplius materiam legis naturalis, per quam non prohibetur qualiscumque occisio, sed illa solum, quae fit modo iniusto, et auctoritate privata. Inter Osee et meretricem verum fuit matrimonium: ita S. Augustinus *l.* 22. *cont. Faust.* c. 88. cum ea autem non adoptavit spurios antea natos, uti quidam volunt; sed hi filii post contractum matrimonium concepti, et nati fuerunt, uti colligitur ex *v.* 3. 6. 8. vocantur autem filii fornicationum per catachresim, quia fuerunt ex matre olim meretrice. Vel dici potest, quod mulier illa Osee legitimo matrimonio iuncta ad vitam meretriciam reversa sit, et tres illas proles ex aliis acceperit: unde ly *fac tibi filios fornicationum* significat: fac adoptando, nutri- An Deus in lege naturae dispensare possit?

eudo, nomen imponendo, non vero generando. Quare v. 3. dicitur quidem: *Ipsa concepit, et peperit*, sed non dicitur: ex Osee: imo contrarium innuitur, c. 2. v. 4. *Filii fornicationum sunt, quia fornicata est mater eorum; confusa est, quae concepit eos, quia dixit: vadam post amatores meos.* Et c. 3. v. 1. vocatur *adultera*, quam tamen Osee iubetur diligere, et quasi emere, v. 2. ubi fornicatio spiritualis Israelis adumbratur. Quando filii Israel ex mandato Dei tulerunt spolia Ægyptiorum, non fecerunt furtum, quia non alienum invito domino, sed, quod suum erat, annuente supremo rerum Domino acceperunt. Matrimonium inter fratres et sorores tempore necessitatis non est contra ius naturae. Polygamia uxorum fini primario Matrimonii non repugnat, adeoque Deus dispensare potuit. In libello repudii Deus mutavit materiam, quatenus sustulit dominium, quod habebant coniuges mutuo in corpora, quo sublato manebant liberi, contractu priori irritato. Non obstat II. Si lex naturae esset a Deo indispensabilis, Deus necessario iudicaret, hos actus esse amandos, illos odio habendos, et sic voluntati Divinae necessitas imponeretur. *Resp.* Haec necessitas non est absoluta, sed solum ex hypothesi, quod Deus naturam rationalem creaverit, ubi necessitatur approbare illi consentanea, et improbare illi dissentanea. Non obstat III. quod Deus utpote Legislator in suis legibus dispensare possit. *Resp.* Deus in legibus positivis dispensare potest, non vero in naturalibus, ad quas necessitatur ex hypothesi naturae rationalis.

**An in lege naturae detur epikia?** *Schol.* 2. Ex dictis sequitur, quod etiam Papa in lege naturae dispensare non possit. Nec epikia habet locum in lege naturali, utpote quae non tantum universaliter praecipit, sed etiam ad singulares casus descendit, et epikia locum non habet, quando legislator praesens consuli potest; ratio vero legem naturae intimans semper, et ubique adest.

## CAP. VII.

### *De Lege positiva.*

**Lex positiva Divina quid?** **§ 461.** **Praeter Legem naturalem datur etiam Lex positiva, quae vel est Divina, vel humana (§ 452. Schol.) *Lex Divina positiva* est, quae libere a Deo in tempore fertur.**

**Quoluplex?** *Schol.* Lex Divina positiva alia est *Veteris*, alia *Novi* Testamenti. Leges veteris Testamenti, aliae sunt *Caeremoniales*, quae certas ad Dei cultum caeremonias, et ritus praescribunt: aliae *Iudiciales*, quae circa causas in iudicio versantur: aliae *Morales*, quae docent, quid sit iuri naturali, et bonis moribus conforme vel difforme, uti *Praecepta Decalogi* in duabus Tabulis scripta. Quomodo vero haec praecepta in duabus tabulis distributa fuerint, non satis constat: probabilior est sententia S. Augustini, talem partitionem fuisse, ut una tabula tria praecepta ad Dei cultum pertinentia contineret; altera septem reliqua, spectantia ad proximi dilectionem. Haec praecepta Decalogi habentur *Exod.* 20. scilicet 1. *Ego sum Dominus Deus tuus: non habebis*

*Deos alienos coram me: non facies tibi sculptile, ut adores illud.* 2. *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* 3. *Memento, ut diem Sabbati sanctifices.* 4. *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longaevus super terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* 5. *Non occides.* 6. *Non moechaberis.* 7. *Non furtum facies.* 8. *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* 9. *Non concupisces uxorem proximi tui.* 10. *Non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, et universa quae illius sunt.* Haec praecepta explicabuntur, quando de virtutibus Theologicis, et Cardinalibus sermo erit. *Lex Evangelica* continet praecepta Sacramentalia, fidei et moralia.

### Art. 1. *De Lege veteris Testamenti.*

§ 462. 1. Vetus igitur Testamentum est a Deo. Ita 1° docet S. Scriptura; nam *Exod.* 22. legimus: *Locutus, est Dominus cunctos sermones hos. Malach.* 4. v. 4. *Mementote legis Moysis servi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israel, praecepta et iudicia.* Praeterea Deum in Moyse et Prophetis locutum fuisse, docet S. Paulus initio *Epistolae ad Hebraeos:* et S. Petrus, *Act.* 3. v. 18. Idem sacri libri ubique testantur, ita ut merito Christus Dominus Pharisaeos increpans, *Matth.* 15. v. 6. dixerit: *Vos irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras.* 2° Eamdem veritatem probat S. Augustinus in libris *contra Faustum*: Tertullianus *adv. Marcion.* S. Hieronymus *in Ep. ad Tit.* Et Concilium Toletanum in *Conf. fid.* ait: *Si quis dixerit, aut crediderit, alterum esse Deum priscae Legis, alterum Evangeliorum; anathema sit.* 3° Lex vetus ordinabat homines ad Christum, tum testimonium de ipso perhibendo, tum eos a cultu idolorum removendo. Sed diabolus nunquam legem instituisset, ut homines adducerentur ad Christum, a quo eiiciendus erat. Ergo non diabolus, sed Deus veteris Legis Auctor fuit. Lex antiqua est a Deo.

2. Moyses proinde Legis a Deo institutae promulgator tantum fuit, uti patet ex verbis Moysis, *Deut.* 6. *Haec sunt praecepta, et caeremoniae, atque iudicia, quae mandavit Dominus Deus vester, ut docerem vos.* Accedit testimonium Apostoli, *ad Gal.* 3. v. 19. scribentis, legem ordinatam per Angelos *in manu Mediatoris*: ubi nomine Mediatoris, non Christus, sed Moyses intelligi videtur; tum quia Lex vetus opponitur Evangelio, tum quia S. Paulus ibi respicit ad verba Moysis, *Deut.* 5. v. 5. *Ego sequester et medius fui inter Dominum, et vos.* Moyses eam tantum promulgavit.

3. Quare Vetus Testamentum bonum fuit: *ad Rom.* 7. v. 12. *Itaque Lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et iustum, et bonum.* Et 1. *ad Tim.* 1. v. 8. *Scimus autem, quia bona est Lex, si quis ea legitime utatur.* Et Christus ipse legem circumcisionis, et coenam legalem: ac Beatissima Virgo Maria legem purificationis observavit. Certe Lex vetus nonnisi bonum praecipit, uti dilectionem Dei; et omne malum prohibet: *Non concupisces*: idque in honestum finem; Et illa bona est.

remotum, vitam aeternam, proximum, Christum: *ad Rom.* 10. *Finis legis Christus ad iustitiam omni credenti*. Ergo bona est (§ 434. et seqq.).

Solvuntur obiectiones Manichaeorum. *Schol.* Marcionitae, Manichaei, et Priscillianistae docent, duo esse rerum principia, alterum bonum, a quo Lex Evangelica prodiit: alterum malum, quod fuit auctor Veteris Legis; quae proinde bona non est. I. Quia *Ezech.* 20 dicitur: *Dedi eis praecepta non bona*. Et *ad Hebr.* 8. ait Apostolus, vetus Testamentum *culpa non vacasse*. *Resp.* Illa praecepta dicuntur non bona, id est imperfecta, quam imperfectionem vocat Apostolus culpam, scilicet improprie dictam. II. Lex Mosaica, *Lev.* 19. *v.* 18. iubet tantum dilectionem amicorum, non vero inimicorum, quod Christus *Matth.* 5. v. 44. reformat. Fovet ulciscendi cupiditatem, *Exod.* 21. *v.* 24. *Oculum pro oculo*, quam Christus prohibet, loc. cit. *v.* 39. Permittit libellum repudii, quem Christus sustulit, *v.* 27. Prohibet iuramentum invocatione Divini Nominis factum, *Exod.* 20. *v.* 7. quod Christus reiicit, loc. cit. *v.* 34. *Resp.* Lex praecipit, odio habenda esse vitia, homines vero diligendos; cumque Iudaei in hominis etiam odium ferrentur, Christus legem interpretatur, iubendo diligi inimicos. Poena talionis ex sententia iudicis solum infligenda statuitur, ut immoderatae vindictae modus ponatur. Libellus repudii tantum ob duritiem Iudaeorum permissus fuit. Iuramenta sub invocatione Divini Nominis observanda lex praescribit; alia tamen promissa etiam servari debent. III. Lex dicitur *ministratio mortis*, 1. *ad Cor.* 3. fovet cupiditatem, promittendo temporalia; et tale iugum imponit, quod nec Patres nostri portare potuerunt. *Resp.* Dicitur *ministratio mortis* occasionaliter per accidens, quia nitimur in vetitum: lex promittebat temporalia velut media apta ad movendos homines ad eius observantiam, non vero tamquam ultimum finem. Erat iugum intolerabile sine gratia, non vero cum illa. IV. Moyses dicitur Legislator Iudaeorum, imo *Lex per Moysen data est*, *Ioan.* 1. *v.* 15. *Resp.* Dicitur Legislator, quia legem promulgavit: hinc S. Ioannes dicit, legem ab eo datam, non vero latam fuisse. Vide S. Irenaeum in *libr. contr. haer.* Et Tertull. *cont. Marcion.* in mea Analysi PP.

Lex vetus obligabat Iudaeos. § 463. Lex vetus quoad praecepta caeremonialia, et iudicialia obligabat solos Iudaeos; quia illis solis data fuit, *Deut.* 4. Gentilibus tamen licebat legem amplecti, quamvis sine ea absolute salvari potuerint: *Exod.* 12. *Si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, et facere Phase Domini, circumcidetur prius omne masculinum eius, et tunc rite celebrabit, eritque sicut indigena terrae*. Praecepta vero moralia, quae pertinent ad legem naturalem, Gentiles servare tenebantur, non tamen vi legis scriptae: hinc non subiiciebantur poenis temporalibus a lege contra praevaricatores latis.

### Art. 2. *De veteris Legis abrogatione.*

Lex vetus a § 464. Lex vetus quoad praecepta caeremonialia et iudicialia in

adventu Christi abrogata fuit. Nam *finis Legis Christus*: *ad Rom.* 10. Sed obtento fine cessat usus mediorum. Item Lex erat umbra futurorum, *ad Hebr.* 10. *v.* 4. et figurabat Christum venturum: *Omnia in figura contingebant illis:* 1. *ad Cor.* 10. *v.* 11. Sed praesente luce evanescit umbra, et praesente veritate figura illam praenuntians falsa evadit. Ergo et Lex vetus adveniente Christo abrogata fuit. Vid. S. Iustinum in *dial. cum Tryph.* Christo abrogata fuit

*Schol.* 1. Ebionitae, Cerinthiani et Nazaraei cum Evangelio legalia adhuc observanda esse, et legem veterem a Christo non esse abrogatam contendebant. I. Quia *Baruch* 4. dicitur: *Hic est liber mandatorum Dei, et lex, quae est in aeternum. Resp.* Iuxta phrasim Scripturisticam illud saepe aeternum dicitur, quod longissimo tempore durat. II. Christus, *Matth.* 5. testatur, se non venisse *legem solvere, sed adimplere. Resp.* Christus non venit solvere legem quoad praecepta moralia, bene vero quoad caeremonialia, et iudicialia. Item venit adimplere, quatenus gratiam, quam significabant, exhibuit, non vero quasi caeremonialia confirmasset. Solvuntur obiectiones Ebionitarum

*Schol.* 2. Quaerunt hic Scholae, quonam tempore lex vetus abrogata fuerit. Ubi quatuor tempora distinguenda sunt. Primum, in quo lex nova fuit constituta, et vetus abrogata. Secundum, quando haec mutatio fuit promulgata. Tertium, quando lex vetus ita obligare desiit, ut tamen eius observatio non fuerit per se illicita. Quartum, quando lex evasit mortifera, et usus eius omnino illicitus et superstitiosus. Igitur Scotus censet, Circumcisionem in institutione Baptismi: sacrificia autem, aliosque ritus legales post resurrectionem Christi abrogatos fuisse. Communior est sententia, legem veterem quoad omnia caeremonialia, et iudicialia in morte Christi obligare desiisse. Nam *ad Hebr.* 1. 7. *v.* 12. dicitur: *Translato enim Sacerdotio, necesse est, ut et legis translatio fiat.* Sed Sacerdotium Leviticum translatum non est, nisi in morte Christi. Ergo eodem tempore lex vetus abrogata fuit. 2. Vetus Testamentum viguit, usque dum *Christus* Novi Testamenti Mediator fieret: sed talis factus est *morte intercedente*, loc. cit. *v.* 15. ergo tunc cessavit. Idem docent Patres et Interpretes in illa verba *Matth.* 25. *Et Velum templi scissum est in duas partes.* Et in illa *Ioan.* 19. *Consummatum est.* Unde Christus ipse in vita sua legalia observavit. Non obstat I. illud *Luc.* 16. *v.* 16. *Lex et Prophetae usque ad Ioannem. Resp.* Lex et Prophetae quatenus nuntiabant Christum venturum usque ad Ioannem, non vero quatenus lex alia facienda, vel vitanda praecipit. Non obstat II. quod praecepta veteris Legis ad Christum ducerent, eiusque essent figurae; adeoque eo adveniente statim cessare debuerint. *Resp.* Legis praecepta ad Christum ducebant, quem praenuntiabant non praecise, sed ut Redemptorem Iacob, et Novae Legis ac gratiae Auctorem, quod modo in morte Christi impletum fuit. Non obstat III. Baptismus ante mortem Christi institutus fuit: ergo circumcisio facta est inutilis, et consequenter ipsa lex, quae nonnisi a circumcisis observari debebat. Quo tempore.

*Resp.* Baptismus ante mortem Christi institutus quidem, sed non praeceptus fuit: hinc licet tunc circumcisio non esset necessaria ad delendum originale, proprium tamen adhuc effectum habuit, scilicet, consignare populum Dei, et idoneum reddere ad caeremonialia legis observanda.

An S. Petrus observando legalia peccaverit? *Schol.* 3. S. Hieronymus putabat olim, legalia statim post promulgatum Evangelium facta fuisse mortifera: cum vero nosset, Paulum se totondisse in Cenchris, et Timotheum circumcidisse, docuit *in* c. 2. *ad Gal.* Apostolum simulatione usum fuisse, ut, quae nocebant eis, qui ex Gentibus crediderant, correptionis hypocrisi emendarentur. Eodem modo vult, S. Petrum se gessisse, cum cogebat Gentes iudaizare, et a S. Paulo reprehensum esse non ex animo, sed opportuna tantum simulatione. Cum S. Augustinus haec legisset, scripsit circa annum 395. epistolam ad S. Hieronymum, quae est 28. ubi ait, dolere se, quod a S. Hieronymo patrocinium susceptum esset mendacii, et fore, ut non mediocriter commoveretur, si S. Hieronymus rationes sibi propositas non solveret. Cum haec epistola S. Hieronymo reddita non esset, S. Augustinus circa annum 397. aliam numero 4$^{\text{omam}}$ scripsit, ubi explosa simulatione Apostolorum a S. Hieronymo asserta, eum ad canendam palinodiam hortatur. S. Hieronymus accepta hac epistola dubitans, an esset S. Augustini, ad eum scripsit, ut indicaret, si sua esset; cui deinde epistolam 72. dedit, rogans, ut se in cella latitantem ad pugnam non provocaret, et cum hae epistolae essent paulo acerbiores, earum aculeos S. Augustinus epistola 73. retundebat. Denique S. Hieronymus circa annum 404. rescripsit, et Apostolorum simulationem non officiosum mendacium, sed honestam dispensationem esse probavit; cuius tamen argumenta S. Augustinus epistola 82. anno 405. data, solvit. Quaeritur ergo, an ex eo tempore, quo coepit promulgari Evangelium, lex vetus mortifera facta sit, et consequenter, an S. Petrus observando illo tempore legalia peccaverit. Dicimus 1. Non statim a morte Christi legalia fuerunt mortifera, sed ad vitandum scandalum, et ne lex Moysis tamquam impia reiici videretur, licitum fuit, aliquandiu veteres caeremonias observare. Hoc quippe fecerunt ipsi Apostoli: sic S. Paulus *Act.* 16. *v.* 3. circumcidit Timotheum: c. 18. *v.* 18. se totondit in Cenchris: *c.* 21. *v.* 26. more Iudaeorum se purificavit: S. Petrus decennio post Christi mortem in visione habita *Act.* 10. *v.* 14. ait: *Nunquam manducavi omne commune et immundum.* Et in Concilio Ierosolymitano statutum fuit, ut abstineretur ab immolatis simulacrorum, et a sanguine, et suffocato, *Act.* 15. *v.* 29. Ergo legalia tunc absque eo, quod essent mortifera, permissa fuerunt. Quippe hoc modo honori legis Mosaicae consulebatur, uti S. Augustinus *ep.* 82. ait: *Sicut defuncta corpora necessariorum officiis deducenda erant quodammodo ad sepulturam, nec simulate, sed religiose: non autem deserenda continuo, vel inimicorum obtrectationibus tamquam canum morsibus proiicienda.* Hinc dicimus 2. Apostoli observarunt legalia

non ex simulatione, sed sincere, et S. Paulus S. Petro intempestive legalia observanti sine simulatione restitit. Nam nunquam licet mentiri etiam ad honestum finem: sed illa simulatio fuisset mendacium, et vera deceptio: ergo Apostolis non licuit. Deinde assumere signum falsae Religionis, etiam tantum simulate, est grave peccatum. Sed in supposito, quod lex statim fuisset superstitiosa et mortifera, Apostoli legalia observantes, huius criminis reos se fecissent. Ergo graviter peccassent, imo alios suo exemplo ad peccatum induxissent, quod de illis utpote in gratia confirmatis credere nefas est. Quare S. Petrus observavit legalia non animo simulandi, licet eius agendi ratio minus cauta et prudens Gentilibus suspicionem iniiceret, legalia esse ad salutem necessaria; et ideo vere fuit reprehensibilis, et seria fuit S. Pauli reprehensio: quod tandem ipse S. Hieronymus agnoscens in sententiam S. Augustini descendit, *l.* 1. *c.* 8. *contra Pelagianos.* Non obstat I. quod S. Paulus *ad Gal.* 5. *v.* 2. dicat: *Quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* Sane legalia erant signa futurorum in morte Christi completa, qua finita, facta sunt mendacia. *Resp.* Circumcisio nil proderat ad salutem, sed solum tolerata tunc fuit ad vitandum scandalum Iudaeorum. Item legalibus tamquam signis futurorum post mortem Christi uti non licuit; bene vero tamquam exuviis legis mortuae, et cum honore sepeliendae, ex quo capite observatio eorum bona fuit. Non obstat II. S. Paulus solum simulavit, se S. Petrum reprehendere, tum quia *ad Gal.* 2. ait: *In faciem ei restiti:* id est apparenter; in Graeco enim legitur: ὅτι κατεγνωσμένος ἦν *quoniam reprehensus erat*, id est male de eo iudicabatur; licet re vera reprehensibilis non esset: tum quia S. Paulus testatur, se simulasse observantiam legalium, 1. *ad Cor.* 9. *v.* 20. *Et factus sum Iudaeis tamquam Iudaeus. Resp* Ly *in faciem* significat coram *omnibus*, Graece κατὰ πρόσωπον. Deinde legendum esse: *quia reprehensibilis erat*, patet ex contextu, ubi dicitur, quod non recte ambularet ad veritatem Evangelii; talis vero est reprehensibilis: ideo vero in Graeco ponitur *reprehensus*, quia in phrasi Hebraica participia ponuntur pro verbalibus. S. Paulus Iudaeis tamquam Iudaeus factus est *non mentientis aestu*, ait S. Augustinus *ep.* 82. *sed compatientis affectu*, quando Gentibus scandalo non fuit. In *Ep. ad Gal. c.* 2, *v.* 13. dicitur quidem: *Et simulationi eius consenserunt caeteri Iudaei.* Verum simulatio hic sumitur pro segregatione, quia ex ea Gentiles inducebantur, ut crederent, Iudaeos segregari a Gentilibus. Non obstat III. Simulatio ad lucrandum proximum est licita: sic Christus simulavit se peccatorem: in Emmaus finxit, se longius ire: S. Magdalenae sub specie hortulani apparuit: Naaman simulavit adorationem idoli: Catholici se olim simularunt Priscillianistas, ut cum illis agerent: S. Eusebius Vercellensis finxit, se velle subscribere fidei Arianae. *Resp.* Christus non simulavit se peccatorem, sed poenas peccatorum luit. In Emmaus finxit, se longius ire sine simulatione; re vera enim longius profectus esset, nisi discipuli eum detinuissent.

Non dicitur Christus apparuisse hortulani specie, sed S. Magdalenam putasse, eum esse hortulanum. Naaman idolo nullum cultum, sed Principi suo politicam reverentiam exhibuit; Syri enim sciebant, eum idola non venerari. Simulationem illam Priscillianisticam reprobat S. Augustinus. S. Eusebius Arianismum non simulavit, sed tantum dixit, non convenire, si magister post filium subscribat; unde petiit, ut scriptum incendatur: Ariani ergo decepti sunt, putantes S. Eusebium velle subscribere, quod ille nec dixit, nec voluit.

*Schol.* 4. In Pentecoste Lex Evangelica promulgata est; Mosaica tamen non statim mortifera facta fuit, sed modo post destructum templum Ierosolymitanum. Apostoli quidem *Act.* 15. iusserunt, ut Christiani abstinerent ab Idolothytis ad vitandum scandalum Iudaeorum, quibus hoc idololatria videbatur. Item a sanguine, sive liquido, sive in suffocato contento, ut Iudaei ab hoc esu abhorrentes facilius ad conversationem cum Gentilibus conversis allicerentur; et a fornicatione, quam Gentiles pro crimine non habebant: sed hae leges tunc non erant Mosaicae, sed Apostolicae; et lex de suffocato cessante Iudaeorum scandalo cessavit. Denique S. Petrus, quem nonnulli à Cepha, cui S. Paulus restitit, male distinguunt, uti probat D. Calmet in dissert. *ep. ad Gal.* praefixa, observando legalia videtur S. Augustino ex inadvertentia venialiter peccasse. Baronius vero censet, eum ne quidem venialiter peccasse, nisi materialiter, quia illa inadvertentia fuit invincibilis, et nullatenus voluntaria.

### Art. 3. *De Lege novi Testamenti, seu Evangelica.*

Lex Evangelica est vera Lex.

§ 465. Abrogata Lege Veteri, Christus Legem Evangelicam tulit, quae habet veram rationem Legis, et praeter fidem, alia etiam praecipit. Nam 1° *Matth.* 5. ait Christus: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno coelorum;* ubi etiam in sequentibus plura mandata proponit. Et *Matth.* 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* 2° Christus loco legalium instituit nova praecepta caeremonialia; praecepit enim novum offerri Sacrificium, et alia celebrari Sacramenta. 3° Lex vetus praeter fidem alia praecipiebat: ergo etiam Lex Evangelica. Nulla tamen praecepta moralia Christus Veteri Legi addidit, sed ea tantum accuratius, quam Moyses, explicavit, et auctoritate sua confirmavit. Unde Lex naturalis per Christum explicata, et confirmata est vere Divina, et Evangelica, et Christianus in legem naturalem peccans, non solum solvit iura naturae, sed etiam Christi, et gratiae, adeoque maiora meretur supplicia.

Solvuntur obiectiones Lutheranorum.

*Schol.* 1. Lutherus et Calvinus docent, Legem Evangelicam, utpote legem libertatis nullum aliud praeceptum continere, quam fidem confidentialem, qua stante nullum aliud peccatum nobis imputatur. I. enim *ad Rom.* 3. *v.* 27. Apostolus in eo opponit legem veterem Evangelio, quod illa sit *lex factorum*, hoc vero *lex fidei*. Ergo opera non praecipit: hinc dicitur Evangelium, seu bonus nuntius, et

Christus, *Matth.* 28. ait: *Venite ad me, omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. Resp.* Evangelium est lex fidei, quia dat fidem, et gratiam, quibus praecepta implentur, non vero fidei otiosae: catenus dicitur bonus nuntius, quia gratiam nobis attulit. II. *Ad Gal.* 4. *v.* 4. dicitur: *Misit Deus Filium suum . . . . . ut eos, qui sub lege erant, redimeret. Resp.* Ille non est sub lege, qui ex amore Dei legem custodit, quales sunt Christiani, qui illa delectantur; is vero est sub lege, et ab ea premitur, qui illam illibenter servat. III. 2. *Ad Cor.* 3. dicitur: *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas. Resp.* Ibi libertas a iugo veteris legis et timore servili, non vero ab omni praecepto.

*Schol.* 2. Leges Evangelicae *Primo* aliae spectant Deum: scilicet, Deum ex toto corde, et tota anima diligendum: *Matth.* 22. *v.* 38. Hunc amorem publica fidei professione et accurata mandatorum observatione esse manifestandum: *ad Rom.* 10. *v.* 10. Deum in spiritu et veritate esse adorandum: *Ioan.* 4. *v.* 23. Eius nomen summe venerandum: *Matth.* 6. *v.* 9. Eius iustitiam timendam: *Matth.* 10. *v.* 28. Spem in eo collocandam: *Matth.* 7. *v.* 7. Regnum Dei prae omnibus quaerendum: *Luc.* 12. *v.* 31. In omnibus operibus Dei gloriam esse quaerendam: *Matth.* 5. *v.* 16. Perfectionem Patris coelestis esse imitandam *Ib. v.* 48. *Secundo.* Praecepta erga proximum sunt: Mutua dilectio: *Matth.* 23. *v.* 34. Amor erga omnes proximos: *Luc.* 10. Etiam erga inimicos: *Matth.* 5. *v.* 44. Fuga contentionis, 1. *ad Cor.* 13. *v.* 4. Iracundiae; *ad Eph.* 4. *v.* 26. Iudicii temerarii: *Luc.* 6. *v.* 37. Exercitium mansuetudinis, liberalitatis, misericordiae, pacis erga omnes: *Matth.* 5. Bonum exemplum: *Ibid.* Honor, obsequium, obedientia, tributum, cui haec debentur: *ad Rom.* 13. *Tertio.* Erga nosmetipsos: Beneficium redemptionis a damnatione ob peccatum originale, et fiducia in Christi meritis collocanda: *Act.* 4. *v.* 12. Fuga superbiae: 1. *ad Cor.* 4. *v.* 7. Oratio: *Luc.* 18. Mortificatio carnis etc. *Quarto.* Leges caeremoniales Evangelicae sunt Sacramenta, SS. Eucharistiae Sacrificium, Conventus ad Dei laudes celebrandas: *ad Eph.* 5. Quorum plura quidem etiam Philosophos observasse, praetendunt Deistae: verum hanc falsam praetensionem iam dudum refutavit Tertullianus in *Apologet.* c. 46. ubi Philosophorum nominatissimorum Socratis, Platonis etc. vitia detegit. Sinenses etiam litterati, quos tantopere Voltairius commendat, superstitiosi partim, partim Athei sunt, teste Duhalte *tom.* 3. *Histoire universelle*, et plebs Sinensis, fraudulenta, mendax, et contra naturam libidinosa est. Vid. Leland *Nouvelle Démonstration Evangélique.* Quare etiam ipse Rousseau famosus Deista fatetur *Emil. l.* 3. » Contempleris enim omni suo splendore Philosophorum libros, » quod parvi sunt in comparatione Evangelii, fierine potest, librum » tam sublimem simul et simplicem humanae mentis esse opus? »

Leges Evangelicae.

§ 466. Lex Evangelica non solum praecepta, sed etiam consilia proponit. Hoc patet ex variis S. Scripturae locis. *Matth.* 19. *v.* 21.

Lex Evangelica proponit c-

tiam consilia. *Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus.* Ubi Christus necessitatem praecepti non imponit, sed quod perfectius est, liberae electioni permittit. Item 1. *ad Cor.* 7. *De virginibus praeceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Ergo dantur consilia in Evangelio.

Durabit usque ad finem saeculi. § 467. Lex Evangelica usque ad finem saeculi perdurabit. Ita *Matth.* 24. promittitur: *Praedicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio.* De Sacerdotio patet *ad Hebr.* 7. ubi Christus dicitur habere *sempiternum Sacerdotium.*

## CAP. VIII.

### *De Lege Humana.*

Lex Humana quid? § 468. A Lege Divina positiva progredimur ad *Humanam*, quae est ordinatio rectae rationis legi naturali conveniens ad bonum commune, ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata. Omnis quippe lex humana derivatur a lege naturali, non quidem ut conclusio necessaria, sed ut principiis legis naturalis conveniens, et ea determinans. Sic ex hoc principio naturali: Fures sunt puniendi, legislator humanus infert: Ergo sunt suspendendi: quae conclusio non sequitur quidem necessario ex principio posito, nec ex alio principio naturali subsumpto; alias foret lex naturalis: sed lex naturalis de puniendis furibus per iudicium humanum determinatur ad suspendium, tamquam poenam congruam, hoc modo: Fures sunt puniendi; sed poena eorum congrua est suspendium: ergo suspendio sunt puniendi.

Leges humanae sunt necessariae. § 469. Leges humanae sunt necessariae, non quidem simpliciter, et absolute, sed sic, ut attenta hominum pervicacia, corruptione, et pronitate in malum sine legibus humanis nec plebs virtutem, nec respublica pacem habere, et conservare possit. Nam Deus dedit hominibus potestatem homines regendi: *Per me Reges regnant, et legum conditores iusta decernunt*: *Prov.* 8. Sed haec potestas foret frustranea, si leges non forent aliquando necessariae. Ergo in data hypothesi sunt necessariae. Deinde plures dantur protervi, qui verbis et honestate non moventur, ut rectam rationis viam sequantur. Ergo potestate legislativa opus est, ut legibus coactivis a malo retrahantur.

Solvuntur obiectiones. *Schol.* Nonnulli antiqui Philosophi leges humanas inutiles, libertati noxias, et naturae nostrae ad transgressionem proclivi perniciosas esse putarunt. I. Quia ad exequenda rectae rationis officia sufficit lex naturalis. *Resp.* Lex naturalis est nimis universalis, nullam poenam determinat, et a multis quoad remotiora praecepta ignoratur; adeoque lex humana subvenire debet. II. Pro lege humana sufficit arbitrium iudicis. *Resp.* Legibus humanis facilius omnibus inconvenientiis occurritur: tum quia leges ex multis casibus, arbitria ex paucis fiunt: tum quia leges iudicant in universali, nec tam facile sicuti iudices passione aliqua excaecantur.

### Art. 1. *De Lege Ecclesiastica.*

§ 470. Lex humana vel est Ecclesiastica, vel Civilis (§ 452. Schol.). Datur igitur in Ecclesiae Pastoribus potestas legislativa etiam coactiva. Sic 1° Apostoli *Act.* 15. tulerunt legem de abstinendo a suffocato, et Idolothytis. 2° Apostoli multa praeceperunt, quae non extant in Evangelio, v. g. ne bigami ordinentur: 1. *ad Tim.* 3. *v.* 2. Ne accusatio Presbyteri sine duobus, vel tribus testibus recipiatur: 1. *ad Tim.* 5. *v.* 19. Quod idem definivit Concilium Constantiense *sess.* 6. *et.* 8. contra Ioannem Huss, qui solis bonis Superioribus potestatem legislativam concessit. 3° Ratio est, quia Ecclesia est Respublica bene ordinata, in qua debet dari vis coactiva, et legislativa, ne corruat. Ecclesiae Pastores habent potestatem legislativam.

2. Potestas legislativa competit Papae pro tota Ecclesia. Nam *Matth.* 16. Christus dixit S. Petro: *Tibi dabo claves regni coelorum*; ubi per claves intelligitur spiritualis iurisdictio, et potestas gubernativa, uti ex sequentibus patet: *Quodcumque ligaveris super terram*, *etc.* Et ex illo *Ioan.* 21. *Pasce agnos meos*; pascere enim denotat potestatem imperandi: 2. *Reg.* 5. *Tu* (David) *pasces populum meum Israel.* Idem constat ex Traditione. Saeculo 2° S. Victor legem tulit de tempore celebrandi Paschatis. Saeculo 3. S. Stephanus, de non rebaptizandis baptizatis ab haereticis, et sic de reliquis saeculis. Et quidem Papa.

3. Eamdem potestatem habent Concilia generalia, utpote quae si illis Papa saltem per suos Legatos praesideat, totam Ecclesiam repraesentant. Quod etiam patet ex continua Traditione, ex qua liquet, in omnibus Conciliis varias leges conditas fuisse, quas fideles devotissime susceperunt. Concilia generalia.

4. Episcopi etiam pro suis dioecesibus, in quibus Spiritus S. eos posuit regere Ecclesiam Dei: et Concilia Nationalia, et Provincialia, pro sua natione, et Provincia, et Comitia generalia Ordinum Religiosorum pro suo Ordine, et Abbates pro suis subditis leges ferre possunt, uti ex usu recepto et approbato patet. Episcopi, etc.

*Schol.* Lutherani docent, leges condi posse in Ecclesia ad bonum ordinem conservandum: ius illas ferendi exerceri posse ab Episcopo, si in id tota Ecclesia consentiat, vel Magistratus politicus, qui Ecclesiae curam gerit: leges has externam habere obligationem, si ab universa Ecclesia receptae fuerint: ideoque eum, qui has leges transgreditur, iure societatis merito privari, aut ab Ecclesia tamquam societate, aut ab Episcopo consentiente, et per eum iura sua exercente Ecclesia: denique etiam poenis civilibus animadverti posse in transgressores, si hae leges a Magistratu vim legis civilis obtinuerint. Ex quo sequitur, Papam ut talem leges condere non posse, quae servandae essent ad salutem aeternam obtinendam, nec media cogentia adhibere posse, ad ea consequenda, quae saluti inserviunt, et potestatem etiam civilem, leges Ecclesiasticas modo explicato condere posse. Contra potestatem legislativam Ecclesiae obiiciunt. I. *Is.* 33. Solvuntur obiectiones.

dicitur: *Dominus legifer noster.* Et *Deut.* 12. *Quod praecipio tibi, hoc tantum facito, nec addas quidquam nec minuas.* Et Christus, *Matth.* 19. *v.* 18. quaerentes, quaenam praecepta servanda essent, ad Decalogum remittit: *Resp.* Dominus est legifer principalis, alii eius vicarii. Prohibetur aliquid Divinis praeceptis contrarium addi. Christus ad Decalogum remittit, non excludendo praecepta Ecclesiae. II. Per leges Ecclesiasticas laeditur Christiana libertas; nam Christus nos a lege liberavit. *Resp.* Leges non tollunt, sed regulant usum libertatis; et per Christum solum a iugo legis Mosaicae liberati sumus. III. Apostolis Christus tantum praecepit, ut doceant viam salutis, non ut leges ferant: sane Religio utpote cultus Divinus in voluntate residet, et nulli coactioni legis subest. *Resp.* Christus Apostolis non tantum dixit: *Docete omnes gentes*; sed etiam: *Quaecumque ligaveritis*: et S. Petro: *Pasce agnos meos.* Religio quidem interna coactioni non subest; bene vero externa, et consequenter interna, ut externa bona sit.

**Princeps saecularis nequit ferre leges Ecclesiasticas.** § 471. Ex dictis (§ 470.) sequitur, Potestates saeculares non habere auctoritatem statuendi leges Ecclesiasticas. 1° enim S. Petro, et eius successoribus data est potestas *ligandi, atque solvendi*; nec super Imperatorem, aut Regem, sed super Principem Apostolorum fundata est Ecclesia, *Matth.* 16. et Spiritus S. posuit Episcopos *regere Ecclesiam Dei*: *Act.* 20. Ergo terrena potestas nequit ferre leges Ecclesiasticas. 2° Principi saeculari non licet in Ecclesia sacras functiones exercere: ergo nec leges circa res sacras et Ecclesiasticas ferre. Hinc Hosius ad Imperatorem scripsit: *Neque te misceas Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere praecipe. Tibi Deus imperium commisit: nobis, quae sunt Ecclesiae, concredidit.* Nihilominus tamen possunt Principes saeculares leges ferre, ad leges Divinas, et Ecclesiasticas promovendas, non tamquam Ecclesiae Iudices, sed vindices, et defensores.

**Solvuntur obiectiones.** *Schol.* Protestantes opponunt I. In veteri Lege David, 1. *Par.* 15. *v.* 3. praecepit, a Levitis afferri arcam de domo Obededom. Et 2. *Par.* 24. Ioas sancivit collectam pecuniariam pro aedificio templi. Et 4. *Reg.* 23. iussit, ut proiicerentur de templo vasa Baal, et Phase celebraretur. *Resp.* Levitas ad portandam arcam Deus elegit. 1. *Par.* 15. Arca pecuniaria a levitis deferenda, et Phase celebrandum in Exodo praescribuntur: adeoque allati Reges solum pro statutis a Moyse legibus servandis invigilarunt. II. Imperatores etiam Gentiles rogatu Christianorum leges pro bono Ecclesiae ferebant. Sic S. Iustinus in sua *Apologia* opem Imperatorum implorat: Aurelianus Imperator dixit sententiam de Paulo Samosateno: S. Athanasius coram Probo contra Arium disputavit. *Resp.* Imperatores Gentiles a Christianis rogati non fuerunt, ut leges Ecclesiasticas ferrent, sed vel ut fidei nostrae triumphum contra haereticos spectarent, vel impiorum audaciam sua auctoritate retunderent. III. Antiqui Imperatores Concilia coegerunt: electionibus Episcoporum praefuerunt: et Constantinus M. in antiqua inscriptione dicitur: *Auctor Religionis*

*et Fidei*: **Carolus M.** *verae Religionis Rector*: **Rex Britonum**, *Vicarius Dei. Resp.* **Imperatores ex consensu, vel iussu Papae Concilia** coegerunt: electionibus ad turbas cohibendas interfuerunt: titulos Auctoris, et Rectoris fidei meruerunt, tamquam Religionis vindices, et protectores, non tamquam Principes, et Legislatores.

*Iurisdictio spiritualis et civilis in eadem persone convenire potest.*

§ 472. Minime tamen pugnat cum spirituali Ecclesiae regimine in Superioribus Ecclesiasticis temporalis iurisdictionis, et regni potestas. 1° enim S. Scriptura nos docet, primos Patriarchas, Noemum, Abrahamum, Iacobum, priusquam Levitae loco primogenitorum surrogarentur, sacerdotio functos esse, et victimas mactasse, et tamen simul iurisdictionem temporalem exercuisse. Melchisedech simul fuit Rex Salem, et Sacerdos Dei altissimi. *Gen.* 14. *v.* 18. De Moyse, Heli, Samuele, et gloriosa serie Machabaeorum, liber Exodi, prior Regum, et libri Machabaeorum idem aperte testantur. Christus Dominus regio simul, et sacerdotali semine ortus, *Princeps regum terrae* appellatur, *Apoc.* 1. *v.* 5. Et de seipso testatur, *Matth. ult. Data est mihi potestas in coelo, et in terra.* 2° Potestas civilis etiam ordinata est ad bonum spirituale subditorum: ergo non pugnat cum potestate spirituali. 3° Suffragatur communis populorum consensus. Reges Æthiopum sacerdotes simul fuisse, scribit Diodorus. Idem de Ægyptiis narrat Plutarchus: de Sarptianis Herodotus: de Atheniensibus Plato: de Romanis Halicarnassaeus.

### Art. 2. *De obligatione legis Ecclesiasticae.*

*Lex Ecclesiastica obligat in conscientia.*

§ 473. Porro Lex Ecclesiastica obligat in foro conscientiae. Nam 1° *Matth.* 16. dicitur Petro: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis.* Si in coelis; ergo etiam in conscientia. *Luc.* 10. *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit.* Ergo qui legem Ecclesiasticam infringit, legem Divinam violat: et *Matth.* 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus.* 2° Eadem veritas definita est in Concilio Constantiensi contra Wicleffum, et Huss. *sess.* 8. *et* 15. Et Tridentinum *sess.* 7. *can.* 8. ita statuit: *Si quis dixerit, baptizatos liberos esse ab omnibus S. Ecclesiae praeceptis, quae vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur; anathema sit.* 3° Ecclesia habet vim legislativam (§ 470.), et multa extra Decalogum praecipit etiam sub gravi poena. Ergo in conscientia obligare potest.

*Resolvuntur casus.*

*Coroll. Pract.* 1° Lex Ecclesiastica pro gravitate, vel levitate materiae obligat in foro conscientiae graviter, vel leviter. Ut igitur graviter obliget, requiritur gravitas materiae, quae non debet spectari nude, sed cum omnibus circumstantiis; maxime vero cum fine, quo modo aliquid in se leve fit grave ratione boni communis, scandali etc. 2° Gravitas materiae respectu omnium legum desumi potest, 1. ex repugnantia cum natura rationali. 2. Ex gravi repugnantia contra Charitatem Dei, sui ipsius, et Proximi. 3. Ex comminatione poenae aeternae legi in S. Scriptura addita, vel si Superior utatur verbis

severe praeceptivis; v. g. praecipio in virtute S. Obedientiae: qua Superior: sub interminatione Divini iudicii, vel sub gravi poena. 4. Ex auctoritate Patrum, Theologorum et prudentum. 5. Ex fine magni momenti. Si vero Legislator utatur verbis de se quidem praeceptivis, ita tamen, ut veram subditos obligandi voluntatem non exprimat, v. g. iubemus, volumus, nolumus, etc. tunc eiusmodi sanctiones nec sunt leges, nec mera consilia, sed simplices ordinationes, seu regulae directivae, non semper sub peccato obligantes. 3° Transgredi legem ex contemptu rei praeceptae non semper est peccatum mortale, sed tunc solum, quando adest gravitas materiae, vel culpabilis error in doctrina; v. g. si quis contemneret transgressionem ex se levem, quia censet, veniale non esse poena dignum apud Deum: vel si quis contemneret consilia Evangelica, tamquam inutilia. Transgredi vero legem humanam ex contemptu formali Legislatoris, quatenus Superior est, semper est peccatum grave; quia sic contemnitur, ut Vicarius Dei: contemptus autem Legislatoris, prout homo est, habens suos defectus, potest esse veniale ratione parvitatis materiae, quia sic eius potestas non contemnitur. 4° Transgrediens non peccat graviter, si Superior sub mortali rem levem tum ratione sui, tum ratione circumstantiarum praecipiat, quia tunc sub gravi peccato obligare nequit. Potest tamen etiam res gravis leviter praecipi, vel prohiberi.

Art. 3. *De promulgatione legis Ecclesiasticae.*

Lex Ecclesiastica ut obliget, promulganda est.

§ 474. Ut Lex Ecclesiastica obliget, requiritur aliqua eius promulgatio. Quippe ad omnem legem, ut actu obliget, requiritur aliqua promulgatio (§ 454.). Sed lex Ecclesiastica est vera lex (§ 470.). Ergo ut actu obliget, requiritur aliqua eius promulgatio.

Qualis promulgatio requiratur?

*Schol.* Quaeritur hic, qualis promulgatio ad legem Ecclesiasticam requiratur. Vanroy, Pontius etc. docent leges Pontificias Romae promulgatas in toto orbe obligare, sine nova promulgatione in singulis dioecesibus, nisi Pontifex exprimat, eas in singulis Provinciis esse promulgandas. Dicendum videtur, leges Pontificias debere in singulis Provinciis promulgari, si ius novum statuant, ut in iis obligent, nisi summus Pontifex contrarium exprimat. Nam 1. quando ius Canonicum nil statuit, standum est iuri civili; c. 1. *de nov. oper. nunt.* Sed ius Canonicum hic silet, et civile exigit promulgationem in singulis Provinciis; *Nov.* 60. Ergo in legibus Pontificiis requiritur. Hinc Pius IV. in Bulla: *Ad Sacrorum*, quantum ad tempus, quo incipiunt obligare decreta Tridentini, sequitur hanc Constitutionem iuris civilis, dicens: *Quia etiam iure communi sancitum est, ut constitutiones novae vim nonnisi post certum tempus obtineant.* 2. Ideo legis promulgatio requiritur, ut lex subditis possit innotescere. Sed hoc nonnisi post longissimum tempus in vastissimo Ecclesiae imperio usque ad finem orbis extenso fieret, si Romae solum promulgetur; brevi vero, si in singulis dioecesibus promulgetur. Ergo ita velle censetur Papa, nisi contrarium exprimat. Certe sine hac promulgatione

magna confusio fieret, si lex in una Provincia nota observaretur, in altera incognita non obligaret. 3. Summi Pontifices sciunt, multas leges suas in multis Provinciis ex defectu promulgationis non observari: sic Bulla Coenae non obligat in Gallia: clandestina Matrimonia sunt valida, ubi Tridentinum non est receptum, et promulgatum. Ergo signum est, eorum leges in singulis Provinciis esse promulgandas. Quod si vero lex Pontificia ius antiquum sive naturale, sive Divinum, vel humanum, solum declaret, sufficit, Romae esse promulgatam, ut eos obliget, qui illud quocumque modo resciunt, quia sunt tantum leges declarativae, seu declarationes legum iam promulgatarum; poenae tamen in his legibus latae, quia ius novum constituunt, in singulis Provinciis promulgari debent. Item si Pontifex expresse statuat, ut lex Romae solum promulgata obliget, videtur hoc ex gravibus causis decernere, adeoque scientibus obediendum est. Non obstat I. quod multae Decretales in corpore iuris contentae Romae solum promulgatae, ubique tamen obligent. *Resp.* Leges corpori iuris insertae censentur plus quam virtualiter in singulis Provinciis promulgatae. II. Omnes lites Romam evocatae deciduntur iuxta leges ibi promulgatas. *Resp.* Ex hoc sequitur, has leges in foro externo obligare, non vero in foro interno in aliis Provinciis, unde saepe remittuntur ad locorum Ordinarios, iuxta leges ibi promulgatas dirimendae. III. Pius IV. declarat, decreta Tridentini incipere obligare 1. Maii, post tres menses ab eorum confirmatione, quo brevi tempore in omnibus orbis partibus promulgari non potuerunt. *Resp.* Decreta haec ibi solum obligabant, ubi erant virtualiter promulgata, cum statim typis mandata fuerint, vel quod tantum obligent in foro externo.

*Corollar. Pract.* 1° Non requiritur, ut lex singulis in communitate intimetur: nec scriptura necessario ad promulgationem legis requiritur, sed satis est, voce denuntiari. 2° Lex Pontificia ante factam promulgationem in aliqua dioecesi non obligat, nisi sit de re ad fidem pertinente. 3° Lex Pontificia statim post factam in aliqua dioecesi promulgationem obligare incipit, si Papa tempus non determinet. **Resolvuntur casus.**

### Art. 4. *De independentia legis Ecclesiasticae a populi acceptatione.*

§ 475. Lex Ecclesiastica quoad obligationem non pendet a populi acceptatione. Nam 1° Potestas legislativa Romani Pontificis immediate a Christo descendit (§ 470. n. 2.): et iurisdictio Episcoporum etiam est immediate a Christo ( t. 1. § 33. Schol. 2.), absque ulla a populo dependentia. Ergo ad valorem legis Ecclesiasticae acceptatio populi non requiritur. 2° Potestas ligandi a Christo Ecclesiae concessa significat etiam vim coactivam per censuras: ergo Ecclesia illos, qui suas leges acceptare nolunt, etiam vi ad eas servandas compellere potest; consequenter acceptatio eorum ad valorem legis non requiritur. 3° *Luc.* 10. *v.* 16. dicitur: *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit.* Ergo idem crimen est, non obedire Ecclesiae Pastoribus, **Lex Ecclesiastica non pendet ab acceptatione populi.**

eorum leges non acceptando, ac Dei mandata contemnere. Ergo valor legum Ecclesiae ab acceptatione populi non dependet.

Solvuntur obiectiones. *Schol.* Iuenin, et Marca docent, leges Ecclesiasticas pendere a populi acceptatione. I. Quia Gratianus *d. 4. c. In istis*, refert, Telesphorum Papam non punivisse Clericos, qui contra suam legem a Dominica Quinquagesimae a carnibus non abstinuerant, quia moribus utentium probatum non fuit. Nam *leges instituuntur, cum promulgantur: firmantur, cum moribus utentium approbantur. Resp.* Verba haec sunt Gratiani, et prima indicant, legem per contrariam consuetudinem abrogatam: alia, leges per usum contra consuetudinem contrariam roborari. II. Principes Ecclesiastici invigilare debent saluti singulorum suorum subditorum, exemplo boni pastoris deserentis 99. oves, ut unam perditam inveniat. Ergo invitis leges obtrudere non debent. *Resp.* Etiam debent invigilare bono communi totius Ecclesiae, ad quod quilibet in particulari concurrere debet, et leges pro ea latas observare; nam 99. oves Angelos, centesima genus humanum significat. III. In Gallia, Hispania et Belgio leges Pontificiae non habent vim, nisi fuerint in supremis Curiis acceptatae, et promulgari permissae, sive nisi fuerint munitae *Placito regio. Resp.* Placitum regium descendit ex iure supremae inspectionis pro iuribus status publici, et potestate condirectiva in causis disciplinae: cuius iustitiam probavi in meis *Inst. I. E. tom.* 1. § 136.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Episcopi debent leges Pontificias in suis dioecesibus promulgare, et in usum deducere, si ipsis Roma transmissae sint, cum mandato expresso, vel tacito, ut eas promulgent, nisi alia gravis ratio obsistat. 2° Si legislator Ecclesiasticus Superiorem habeat, et subditi putent, se habere iustum gravamen contra legem, vel eam repugnare iuribus patriae, vel esse nimis severam, possunt ad Superiorem appellare: si vero supremus sit, possunt supplicare pro tollenda lege: pendente vero appellatione, vel supplicatione, ex praesumpto consensu Legislatoris suspenditur obligatio legis. 3° Si Legislator populi repugnantiam sciat, et conniveat, non urgendo executionem legis, censetur legem revocare tamquam subditis incommodam; si vero ignoret durat, obligatio legis, donec legitimae praescriptionis tempus decurrat, ubi etiam ille excusatur ab obligatione legis, qui ad eam observandam paratus est, et data occasione eam observat; cum interim alii plerique eam non acceptent, quia aequitas non videtur permittere, ut hic solus, vel cum paucis legem observare debeat. Si vero non obstante supplicatione Superior legis executionem urgeat, lex potius firmatur, quam revocatur. 4° Si lex Pontificia a maiori populi parte non recipiatur, currit contra eam praescriptio, et quidem 10. annorum Legislatore ignorante; si vero recepta fuerit, 40. annorum. Porro licet forte primi, quibus lex data fuit, eam non recipiendo, et in usum non deducendo peccaverint; eorum tamen successores, si eam longo tempore in dioecesi non receptam nec observatam videant, non peccant, non observando, quia censetur per non usum abrogata.

**Art. 5.** *De materia legis Ecclesiasticae.*

§ 476. Materia legis Ecclesiasticae non tantum sunt actus externi variarum virtutum, sed et indifferentes, si necessarii, vel utiles sint ad finem a Legislatore intentum, et ad bonum commune spirituale vel temporale. Materia legis Ecclesiasticae.

*Schol.* Certum est, legem civilem non posse praecipere vel prohibere actum mere internum, quia finis legis civilis est tranquillitas publica, qui sine actibus internis obtineri potest, dummodo actus externi bene ordinentur. Certum etiam est, quod Legislator possit praecipere actus mixtos, scilicet actus externos, qui quoad esse suum physicum sine internis quidem subsistere possunt, ad quorum tamen honestatem actus internus necessario requiritur, ut ex interno et externo unus actus moralis constituatur. An vero actus pure internus directe ab Ecclesia praecipi possit, negant Thomista. Nos affirmamus. 1. Quia vis regiminis Ecclesiastici habet pro obiecto salutem aeternam; sed ad hanc non solum actus externi, sed et interni quam maxime conducunt. Nec iuvat dicere, regimen Ecclesiasticum spectare salutem aeternam, per actus internos indirecte praeceptibiles procurandam. Nam ex hoc sequeretur, Ecclesiam posse praecipere solos actus mixtos, qui tamen ad salutem non sufficiunt, cum plures actus mere interni requirantur. 2. Ad praecipiendum actum mere internum sufficit potestas legislativa, et non requiritur vis coactiva, uti patet in lege naturae: sed hanc potestatem accepit Ecclesia sine restrictione ad actus pure externos, et mixtos (§ 470.). Ergo actus mere internos praecipere potest. 3. Licet actus interni voluntatis non possint pati violentiam, Ecclesia tamen potest ferre legem directivam conscientiae de illis actibus, a lege poenali distinctam; v. g. potest definire, actum fidei sine motivo supernaturali non esse actum virtutis Theologicae. Ergo etiam praecipere potest actum mere internum. 4. Praelatus potest Religionis suis subditis praecipere orationem mentalem, etsi hoc praeceptum non sit coactivum, quia cognoscere et punire nequit. Ergo etiam Ecclesia hoc potest. 5. Ecclesia nobis credenda praecipit, cum tamen fides sit actus mere internus. Non obstat I. c. *Sicut, de Sim.* dicitur: *Ecclesia non iudicat de occultis.* Et c. *Tua nos, de Sim. Nobis datum est, de manifestis tantummodo iudicare.* Et c. 14. *de Poenit. d.* 1. *Cogitationis poenam nemo patitur. Resp.* Ecclesia non iudicat de occultis puniendo, bene vero praecipiendo; nam ab ea etiam Simonia mentalis prohibetur. II. Legislator nequit praecipere actus mere internos, si sit Civilis. Ergo nec Ecclesiasticus. *Resp.* Disparitas est, quia regimen saeculare solum spectat bonum publicum, quod ex bono ordine actuum externorum haberi potest. III. Ecclesia transgressores legis mere internae punire non potest. Ergo nec eam ferre potest. *Resp.* Ex modo dictis vis coercitiva ad potestatem legislativam non est necessaria.

An actus mere interni praecipi possint?

Resolvuntur casus.

*Coroll. Pract.* 1° Consilia Evangelica absolute praecipi non possunt,

utpote nimis ardua: conditionate tamen praecipitur continentia, si quis velit suscipere SS. Ordines. 2° Non omnia peccata externa ab humana potestate executive cum poena prohiberi possunt, propter fragilitatem humanam, et ad maiora mala vitanda: graviora tamen merito sub poena prohibentur.

### Art. .. *De praeceptis Ecclesiae.*

Praecepta Ecclesiae. § 477. Praecepta Ecclesiae universaliter omnes obligantia quinque numerantur. 1. Statutos Ecclesiae dies festos celebrato. 2. Sacrum Missae Sacrificium diebus festis reverenter audito. 3. Ieiunia certis diebus indicta servato. 4. Peccata tua Sacerdoti proprio annis singulis confitetor. 5. SS. Eucharistiam ad minimum semel in anno, idque circa Pascha, sumito. De his suo loco.

Collectiones Canonum, et corpus Iuris Canonici. *Schol.* 1. Dantur et aliae leges Ecclesiasticae, quarum pleraeque in corpore Iuris Canonici continentur. Antiquas leges Ecclesiasticas iuxta materiarum diversitatem primus in unum Codicem digessit Stephanus Ephesinus Episcopus circa annum 385. quae Collectio in Concilio Chalcedonensi laudata usque ad annum 454. in Ecclesia floruit, dicta *Collectio Canonum Orientalium*, cui cum alii Canones additi fuissent, *Codex Canonum Ecclesiae universae* inscribi meruit. Alteram Collectionem Iustiniano imperante fecit Dionysius exiguus circa annum 527. *Corpus canonum* appellatum. Saeculo 8° novam Collectionem fecit Martinus Bracarensis. Saeculo 9° Capitularia Regum Francorum in generali Episcoporum, et procerum conventu ex Conciliis desumpta fieri coeperunt. Saeculo 10° Regino Abbas Prumiensis Opus Canonum composuit. Saeculo 11° Opus Decretorum composuit Burchardus Episcopus Wormatiensis, quod in axiomata, ab eius nomine Brocardica dicta, redegit. Item S. Ivo Episcopus Carnutensis excerptionem Ecclesiasticarum regularum ex Conciliis et decretis Pontificum collegit. Saeculo 12° Gratianus O. S. B. *Decretum* suum compilavit, quod tribus partibus constat: Prima continet 101. distinctiones: Secunda 36. causas, quarum quaelibet in quaestiones, et hae in capita distribuuntur: quaestioni 3ae causae 33ae insertus est Tractatus de Poenitentia. Tertia continet 7. Distinctiones de consecratione. Citari solet: *c. Placuit d.* 16. id est: *canone, Placuit, distinctione* 16. vel: *c. Ecclesiarum* 12. *q.* 2. *canone, Ecclesiarum, causa* 12. *quaestione* 2. vel: *c. Sacramento*, *d.* 2. *de cons. canone, Sacramento, distinctione* 2. *de consecratione.* Altera pars moderni Iuris Canonici continet *Decretales* a S. Raymundo de Pennafort O. P. iussu Gregorii IX. collectas: in quinque libros dividitur, libri in titulos, et tituli in capitula, ideo dicta, quia integra decreta summorum Pontificum non referuntur: citatio fit: *c. ex transmissa X. de foro compet.* id est: *capitulo, ex transmissa, extra*, scil. *decretum*: *de foro etc.* scilicet *tit. de foro. etc.* Tertia pars est *liber Sextus Decretalium*, sic dictus, quia prioribus quinque a Bonifacio VIII. adiectus fuit, qui etiam 5. libros in titulos et capitula divisos

continet. Citatur: *c. Romana, de appellationibus in* 6. id est: *capitulo, Romana, de appell. in Sexto.* Quarta pars sunt *Clementinae*, seu Constitutiones a Clemente V. seu Concilio Viennensi editae, quas publici iuris fecit Ioannes XXII. eius successor. Citantur: *c. Abbates, Clement. de rescriptis*, id est: *capitulo, quod incipit: Abbates, in Clementina, cuius titulus est de Rescriptis.* Quinta pars continet *Extravagantes*, sic dictas, quia extra corpus Iuris Canonici; antequam insererentur, quasi vagabantur, aliae sunt, quae dicuntur Ioannis XXII. aliae aliorum Pontificum dicuntur *communes*, et citantur: *c. ad conditionem, de verb. signif. Extrav. Ioan.* 22. id est: *capitulo, ad condit. titulo, de verb. sign. in Extrav. Ioannis* 22. Extra corpus Iuris Canonici plures alii libri sanctionum Canonicarum extant, scilicet, *Concilium Tridentinum*, quod plura decreta pro reformatione continet. *Bullarium Romanorum Pontificum* a Cherubino collectum, quod eatenus auctoritatem habet, quatenus Bullae in eo contentae in forma authentica exhibentur. *Regulae Cancellariae*, quae sunt certae Constitutiones summorum Pontificum maiori ex parte causas Beneficiales concernentes, quas primus Ioannes XXII. edidit, et quae deinde ab eius successoribus auctae fuerunt. *Declarationes Cardinalium* a Congregatione Cardinalium Tridentini interpretum prodeunt, quae sola ex Constitutione Pii IV. reiectis omnibus aliis privatis commentariis sub excommunicatione prohibitis, dubia circa intellectum Tridentini emergentia solvere potest. *Rota Romana* a mensa rotunda dicta, quae est summi Pontificis in causis litigiosis tribunal. Vide meas *Instit. I. E. tom.* 1. § 35. *et seqq.*

*Schol.* 2. Canones a Gratiano collecti non aliam habent auctoritatem, quam fontium, unde sunt deducti. Ita deciderunt Auditores Rotae Romanae: hinc Canones ex Conciliis generalibus desumpti, plenam: ex Provincialibus, pro sua quique Provincia: ex Patribus vel Historicis, pro sua quique auctoritate, obligationem pariunt. *Paleae* sunt quaedam additiones Decreto Gratiani factae. *Decretales* in Gallia non sunt receptae; bene vero in Germania. *Declarationes Cardinalium*, si consulto Pontificis fiant, et in forma authentica cum sigillo, et subscriptione appareant, vim legis obtinent. *Decisiones Rotae* solum inter partes, non vero ius universale efficiunt. Vid. cit. loc. *I. E.*

**Qualem auctoritatem Ius Canonicum habeat?**

*Schol.* 3. Sub initium saeculi 8$^{vi}$ Collectionem anterioribus ampliorem compilavit Isidorus Mercator, qui Decretales Pontificum Siricio antiquiorum in eam intulit. Verum plerasque has Decretales spurias esse probant Critici ex notis falsitatis, quas prae se ferunt. Nam 1. absunt a Codice Dionysii exigui. 2. Spectant solam eminentiam Romani Pontificis, in cuius gratiam cunctae videntur, cum incredibile sit, praetensos eorum Auctores in materia et stylo tam perfecte conspirasse. 3. Laudant S. Scripturam iuxta textum Vulgatae Damaso posteriorem. 4. Usque ad finem saeculi 8$^{vi}$ ita latuerunt, ut a nullo citatae fuerint; quod vix fieri potuisset. 5. Non attingunt negotia aetati illi propria. Non tamen omnes Epistolae Decretales Siricio anti-

**An decretales Siricio antiquiores sint genuinae?**

quiores sunt supposititiae: sic genuinae sunt, quae ab antiquis Patribus et Scriptoribus Ecclesiasticis memorantur, uti literae S. Cornelii, et Iulii a S. Athanasio citatae: Liberii a S. Hilario relatae. S. Damasi ad Episcopos Illyricos, a S. Hieronymo allegatae. Non obstat I. quod Nicolaus I. *c.* 1. *d.* 19. has Decretales pro genuinis habuerit: Leo IV. Decretalis Silvestri meminerit: Canonum Collectores eas suis Collectionibus inseruerint: et plura Concilia eas citaverint. *Resp.* Nicolaus I. in genere solum pro genuinis decretis Pontificum pugnat. Leo non Silvestrum, sed Siricium citat, uti notat Blondellus, vel Decretalem Silvestri pro genuina habitam allegat. Compilatores posteriores ex defectu crisis ab Isidoro Mercatore decepti fuerunt. Concilia de genuinis Decretalibus loquuntur, vel si spurias laudent, non ad materiam, sed Auctores eorum respexerunt. II. Has Decretales S. Isidorus Hispalensis teste Hincmaro collegit. *Resp.* Auctor earum citat Concilium Tolet. XI. Synodum VI. Gregorium II. qui post S. Isidorum floruit; adeoque non ille, sed Isidorus peccator, postea Mercator dictus, eas compilavit.

Canones Apostolorum an sint genuini? *Schol.* 4. Apostolos varios sanxisse Canones, dubitare vix licet. In corpore Iuris Canonici Collectio Canonum Apostolicorum habetur, quos a S. Clemente collectos ferunt. Inter hos nonnulli ab Apostolis re vera sanciti reperiuntur, uti patet ex testimonio Veterum. Sic saeculo 2° Tertullianus ad Praxeam scribit, Canones Apostolorum esse nobis per manus traditos. Saeculo 3° S. Gregorius Thaumaturgus in *ep.* Canonem refert, quod *can.* 66. de raptu sponsae dicitur. Saeculo 4° Nicaenum I. citat canonem 13$^{tium}$ prohibentem translationem Episcoporum. Saeculo 6° Dionysius exiguus eos ex Graeco vertit. Saeculo 7° Cresconius 35 Canones in sua Collectione refert. Saeculo 8° Synodus VII. *c.* 1. eorum meminit Saeculo 9° Leo IV. in *ep. ad Britannos*. Interim non satis constat, quot ex illis Canonibus ab Apostolis statuti, et a quibus in scripturam redacti fuerint: uti patet ex ipsa sententiarum diversitate: Graeci enim fere omnes 85. admittunt. Latini cum Dionysio exiguo solum 50. recipiebant. Collector eorum aeque incertus est Alii S. Clementem Papam: alii S. Clementem Alexandrinum: Petrus de Marca Episcopos Concilii Iconiensis assignat. Gottus putat, eos collectos esse a viris piis, qui ex praxi primorum saeculorum eos consarcinabant. Successu tamen temporis genuinis Apostolorum Canonibus alii adiecti sunt, tum a Catholicis, uti patet ex illis Canonibus, qui disciplinae illius temporis minus congruunt, et definitiones ab Ecclesia posterioribus saeculis modo factas continent: tum ab haereticis, quia nonnulli ex illis Canonibus apertos errores contra fidem continent. *Constitutiones Apostolicae* sub nomine S. Clementis citari solitae erroribus scatent, et sunt apocryphae. *Canones* vero *Poenitentiales* sunt venerandum antiquitatis monumentum.

## Art. 7. *De iis, qui Ecclesiae legibus tenentur.*

*Soli subditi tenentur legibus?*

§ 478. 1. Soli subditi rationis compotes tenentur legibus Ecclesiasticis. Nam Superior non habet potestatem praecipiendi, nisi suis subditis. Ergo etiam nonnisi subditi habent obligationem obediendi : et quidem soli rationis compotes, utpote qui sunt liberi et capaces directionis.

2. Peregrini in aliquo loco non tenentur legibus proprii territorii; quia potestas legislativa se non extendit ultra proprium territorium. Ergo etiam leges certo loco affixae, nonnisi in eo loco existentes obligant. Imo peregrini per se loquendo etiam non tenentur legibus particularibus illius loci, ubi subsistunt, quia ob brevem moram iurisdictioni illius Legislatoris non subiiciuntur: *l. haeres absens ff. de Iudiciis*. Quod tamen tunc solum tenet, si nec scandalum, nec alia iusta Superioris constitutio adsit, et brevissima ibi mora fiat.

*Resolvuntur casus*

*Coroll. Pract.* 1° Legislator etiam Ecclesiasticus non quidem quoad vim coactivam, ita ut poenam incurrat, bene vero quoad vim directivam, et indirecte ex decentia naturali obligatur propriis legibus, quia turpis est omnis pars suo toti disconveniens: hinc iuxta multos secluso etiam scandalo infringens propriam legem in materia gravi mortaliter peccat, licet alii eum absente scandalo solum venialiter peccare velint. 2° Ebrii legibus Ecclesiae sunt subiecti licet per accidens in ebrietate non peccent, eas transgrediendo; nisi ebrietas deliberata cum aliqua praevisione violandi praecepti fuerit. Peccant tamen illi, qui ad eius transgressionem ebrium alliciunt, quod idem dicendum de amentibus ad tempus. 3° Infantes, et perpetuo amentes nullis legibus humanis obligantur : hinc possunt illis carnes praeberi diebus prohibitis, non tamen iniungi opera servilia diebus festis, quia iniungens censetur per eos velut instrumentum laborare : nec licet, eos ad iram provocare, ut blasphement, alios verberent, etc. quia haec sunt intrinsece mala, et principali agenti libero tribuuntur. 4° Pueri cum primum rationis usum adepti sunt, quod communiter circa septennium contingit, non solum naturalibus, et Divinis, sed etiam Ecclesiasticis, et humanis legibus obligantur, si earum materia puerili aetati sit consentanea; hinc excusantur a lege ieiunii, et Communionis. 5° Probabilius est, quod incola civitatis, ubi est dies festus, si mane egressurus et perventurus sit ad oppidum, ubi festum non celebratur, ideoque opera servilia ibi licite exercere potest, nihilominus obligatus sit ad Missam audiendam, antequam egrediatur, quia haec videtur esse mens Ecclesiae, et praxis timoratorum. 6° Mane discessurus e loco, ubi non est ieiunium, potest ibi vesci carnibus, et domum redux, ubi servatur ieiunium, iterum quidem comedere potest, sed a carnibus abstinere debet, quia hoc praeceptum adhuc observare potest : attamen ritum illius loci ordinarie quis sequi debet, in quo maiori parte diei degit. 7° Si quis ideo exiret e loco proprio, ut se a lege v. g. ieiunii eximeret, putant quidem

aliqui eum a peccato excusari, quia utitur iure suo; sed alii censent, eum graviter peccare ob fraudem et dolum. 8° Peregrinus quidem per se non tenetur particularibus legibus loci, ubi subsistit: tenetur tamen saepe tum ratione scandali, tum iis legibus, quarum violatio cederet in damnum, et iniuriam illius loci, ubi moratur; v. g. ne certa arma inferantur, etc. hoc enim exigit bonum commune. 9° Peregrini legibus communibus Ecclesiae tenentur, in omni loco, ubi vigent; imo si ex speciali privilegio in proprio domicilio non observarentur, v. g. in quadragesima dispensaretur, peregrinus extra proprium domicilium in loco, ubi non est dispensatum, existens, privilegio dispensationis non gauderet, quia lex quadragesimae est communis, et privilegium illud est locale, non vero personale. Dicta de peregrinis, etiam de vagis tenent. 10° Ut vero aliquis loci alicuius incola dicatur, sufficit, ut per medium annum in eo commoretur, vel etiam breviori tempore, cum certo tamen manendi proposito, ad expedienda negotia ibi domicilium figat. 11° Peregrini gaudent privilegiis et consuetudinibus favorabilibus locorum, per quae transeunt: sic Germanus transiens per Belgium diebus Sabbati a Festo Nativitatis Christi, usque ad Purificationem, carnes licite comedere potest. 12° Si leges certum tempus non determinent, impleri debent, quamprimum commode fieri potest; si determinent, tempus accipiendum est de momento in momentum, non mathematice, sed Ecclesiastice secundum Calendaria approbata, et horologia rite ordinata. 13° Catechumeni et Infideles non subduntur legibus Ecclesiae, cui non subsunt: bene vero haeretici.

### Art. 8. *De requisitis ad legis Ecclesiasticae observationem.*

Requisita ad observationem legis. § 479. Ut Lex Ecclesiae impleatur, debet opus praeceptum fieri scienter, et voluntarie; actus enim humanus sine cognitione, et voluntate non fit (§ 419.), quem tamen lex praecipit. Non tamen necessario debet fieri ex Charitate; nam haec propositio 16. Baii damnata est: *Non est vera Legis obedientia, quae fit sine Charitate:* licet, ut impletio praecepti sit meritoria. Charitas requiratur (§ 385.). Qui vero debito modo opus praeceptum ponit, satisfacit, etsi nollet satisfacere, nisi ipsa obedientia praecipiatur; quia ordinarie voluntas satisfaciendi non praecipitur. Denique uno actu diversa praecepta impleri possunt, nisi aliud ex mente praecipientis colligatur.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1°. Qui in die praecepto ieiunat ex vana gloria, vel ut gulam piscibus oblectet, praecepto ieiunii satisfacit, licet contra legem temperantiae peccet. * ( Sed alii probabiliter contrarium censent, quia Ecclesia praecipit opera, quae ad vitam spiritualem conducunt. ) * 2° Qui die festo Missam reverenter audit, vel Breviarium attente recitat, diei festi immemor, vel nolens satisfacere, vel volens repetere Breviarium, satisfecit, quia praestitit id, quod praecipit Ecclesia: ex conscientia tamen erronea non repetendo, vel ratione contemptus aut inobedientiae, peccare potest. 3° Qui debet alteri 100.

non satisfacit, si liberaliter ei donet 200 florenos : et qui ex voto tenetur recitare Rosarium, non satisfacit, si recitet animo non implendi: quia hae obligationes oriuntur ex animo promittentis, qui sicuti libere se obligavit, ita in debito libere permanere potest: secus foret, si quis immemor, Rosarium se vovisse, illud oret, vel promissum impleat, ubi obligationem solvit. 4° Qui omnino violenter v. g. Sacro interest, vi in templo detentus, praecepto non satisfacit; quia actum humanum non ponit: si vero ex metu poenae in templo Sacrum audiret, non auditurus, si poena non infligeretur, praecepto satisfacit, licet perversa sua voluntate peccet, quia metus non tollit voluntarium (425.). 5° Non satisfacit, qui die festo audit Sacrum, ad quod ex poenitentia obligatur, nisi Confessarius aliud exprimeret; si vero singulis diebus Sacrum audiendum impositum foret, ex benigna Confessarii interpretatione die festo unicum audire sufficeret. Si obligatus ad Rosarium sub duplici titulo, recitando non determinet, cui velit satisfacere, videtur utrique ex parte satisfecisse.

### Art. 9. *De excusantibus a legis Ecclesiasticae observatione.*

§ 480. Ignorantia invincibilis antecedens, et concomitans, tam iuris, quam facti (§ 428. Schol.) excusat a culpa violantem legem Ecclesiasticam; quia tunc transgressio illi non est voluntaria (§ 429.): non vero ignorantia vincibilis; quia tunc transgressio est saltem indirecte voluntaria (loc. cit. n. 3.). Item nullus *metus* excusat ab observatione legis naturalis, in iis, quae intrinsece mala sunt; bene vero in praeceptis Ecclesiasticis (§ 425. cum Schol. et Coroll.). Ignorantia invincibilis excusat a lege.

§ 481. Impotentia physica, et moralis implendi praeceptum ab eius observatione excusat; quia ad impossibile nemo tenetur. Item impotentia

*Coroll. Pract.* 1° Licet febricitans absolute possit audire Sacrum, quia tamen sine evidenti valetudinis incommodo templum adire nequit, ob moralem impotentiam ab hoc praecepto excusatur: impotentia vero moralis prudentis iudicio determinanda est. 2° Si praeceptum sit de re divisibili, quae commode dividi solet, tunc qui non potest servare totum, tenetur ad partem, quam implere potest, si haec sit notabilis, et certum sit, eam observari posse, quia sic adhuc salvatur ratio legis. 3° Si vero lex sit circa rem indivisibilem, tunc qui non potest servare totum, non tenetur ad partem, quia non salvatur ratio legis. An vero in parte salvetur ratio legis, colligi potest, tum ex materia, fine et ratione legis; tum ex intentione legislatoris; tum ex communi usu, et iudicio prudentum. 4° Qui in re praecepta nequit observare accidentale, tenetur observare principale, si possit, quia principale non trahitur ab accessorio. Hinc qui die festo venit post Offertorium ad Missam in suo loco unicam, tenetur reliquas partes Missae substantiales audire. Qui vero praevidet, quod post Praefationem debeat discedere, non peccat totam anteriorem partem omittendo, quia destructo principali destruitur accessorium. 5° Non pec- Resolvuntur casus.

cat, qui ponit impedimentum penitus liberans ab obligatione praecepti, vel non aufert, licet possit, vel non praevenit implendo legem; alias enim peccaret, qui ex iusta causa petit dispensationem. Peccat vero, qui tunc ponit impedimentum mere excusans, quando lex vel actu iam urget, vel obligatio moraliter iam existit. Hinc exiens hora 11. noctis ad venandum, praevidens, se non posse altero die audire Sacrum praeceptum, vel proiiciens Breviarium, ne cogatur illud recitare, peccat non implendo praeceptum, quia qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media proxime necessaria, et impedimenta per se impedientia tollenda. Ille autem non peccat contra legem, qui uno alterove die, antequam urgeat lex humana, se reddit impotentem ad eam observandam, modo non ex directa intentione violandi legem impotentia procuretur, vel impedimentum ponatur. Praecepta tamen naturalia etiam ad hoc obligant, ne aliquot diebus ante obligationem impedimentum ponatur; unde miles peccat, qui die Lunae omnem pecuniam dilapidat, praevidens, se reliquis diebus ex raptu victurum. Porro quandonam lex humana obliget ad non ponendum impedimentum pridie instantis executionis, desumendum ex communi usu fidelium, et iudicio timoratorum prudentum. 6° Non licet agere in fraudem legis: ille autem sic agit, qui vel ponit impedimentum mere excusans ab observatione legis, actu saltem moraliter existentis: vel tale impedimentum ante legem actu urgentem ponit ea intentione, ut a lege postea actu obligante se eximat. E contra in fraudem legis non agit, qui ponit impedimentum omnino liberans ab obligatione, si illud ponere non prohibeatur. 7° Qui ex observatione legis periculum sibi imminens prudenter praevidet, in casibus frequenter contingentibus, v. g. in esu carnis uno alterove die, in auditione Missae, etc. per se loquendo dispensatione non indiget, quia necessitas excusat: in casibus vero gravioribus et rarioribns dispensatione opus est; imo semper tutius est, etiam in aliis recurrere ad Parochum, vel Confessarium pro declaratione. Si dubium sit, an casus comprehendatur sub lege, recurrendum est ad Superiorem: si fieri nequeat, servanda est lex, quae manet in possessione.

## CAP. IX.

### *De cessatione legis.*

Lex cessat per abrogationem, derogationem, irritationem.

§ 482. Lex directe cessat obligare 1. respectu omnium, quando mutatur, vel tollitur per abrogationem, derogationem, vel irritationem. Quippe lex pendet a voluntate Superioris (452.). Sed haec cessat per *Abrogationem* legis, quando lex totaliter ex iusta causa a legislatore, vel eius successore cassatur: vel per *Derogationem*, quando legislator unum, vel alterum articulum legis mutat: vel per *Irritationem*, quando lex ab inferiori magistratu lata auctoritate Superioris rescinditur, et irrita declaratur.

Item ces-

2. Cessat lex cessante respectu omnium causa totali legis. Cessante

enim causa cessat effectus: et lex debet esse rationabilis, qualis non est, si finis cesset. sante fine totali.

*Coroll. Pract.* 1° Posterior constitutio derogat, vel abrogat priorem, quatenus ei contraria est, licet nulla verbis expressis illius mentio fiat: *c.* 1. *de constit. in* 6. 2° Si partialis tantum causa vel finis legis cessat, fieri potest, ut altera causa vel finis perseveret, qui sufficiens sit ad conservandam eius obligationem. 3° Cessante causa motiva legis in aliquo homine particulari, non ideo eius obligatio in eo desinit, quia praevalet bonum commune: sic si lex data sit, ne arma ferantur ob caedes, non potest civis, licet ab omni pugna alienus ea deferre.

§ 483. Legis obligatio cessat per legitimam dispensationem, quam dare potest ipse legislator in suis legibus, eius successor, et qui hanc facultatem habet delegatam vel a iure, vel a consuetudine, vel a Superiore. *Dispensatio* est legis relaxatio, publica auctoritate facta, seu exemptio a legis obligatione in aliquo casu particulari, ubi lex alioquin obligaret. Ergo si legitime fiat, a lege deobligat. Item per dispensationem.

*Schol.* Dispensatio alia est *expressa*, signis expressa; alia *tacita*, ex facto Superioris colligenda, v. g. si Episcopus sciens ordinet irregularem, cum quo dispensare potest. Ut dispensatio sit legitima, adeoque valida, requiritur 1. ut fiat ab eo, qui habet legitimam potestatem. 2. Ut fiat circa subditum, vel quasi subditum. 3. Ut adsit rationabilis causa dispensandi. Nec sit *obreptitia*, qualis est, si in petitione falsa causa seu principale motivum exprimatur, qua cognita, non fuisset data dispensatio. Nec sit *subreptitia*, quando tacetur veritas necessario exprimenda de iure vel stylo Curiae, praesertim si fraudulenter fiat. Dispensatio quotuplex? Requisita ad illam.

*Coroll. Pract.* 1° Papa dispensare potest in omni iure Ecclesiastico universali, et particulari, et in Canonibus Apostolicis, quos Apostoli tamquam Ecclesiae Praesides condiderunt, v. g. in Ieiunio Quadragesimali: non vero in iis, quos a Christo Auctore acceptos Ecclesiae tradiderunt, v. g. de Baptismo parvulorum. 2° Episcopus ordinarie in legibus Pontificiis dispensare nequit, nec in decretis Conciliorum generalium, quia inferior non dispensat in lege Superioris, exceptis 1. casibus a iure concessis. 2. Quando est causa magnae necessitatis, vel evidens utilitas de novo emergens, vel periculum est in mora, nec facile ad Papam recurri potest. 3. Vi consuetudinis legitime praescriptae. 4. In casibus frequenter occurrentibus, v. g. ieiuniis, observatione festorum, etc. 5. In materia levi. 6. In dubio, an casus egeat dispensatione. Quod si vero inferior in lege Superioris sine causa dispenset, irrita est dispensatio. 3° Si inferior iustam causam non agnoscit, et temere cum culpa etiam gravi dispensat, si tamen re vera iusta causa subesset, valida est dispensatio: si probabiliter putet, iustam causam subesse, licet erret, valide dispensat, ob praesumptam voluntatem Superioris. Si subditus bona fide dispensationem petat, allatis rationibus Superioris examini relictis, obtenta dispensatione in con- Resolvuntur casus.

scientia securus est, usque dum veritas appareat: in foro vero externo, si Superior proprio motu dispenset, causa iusta praesumitur; secus si ad instantiam petentis. 4° Si Superior in propria lege sine iusta causa dispenset, valet dispensatio; sed Superior abutens iure suo peccat. Et iuxta Ill. Godeau dispensatus sine peccato contra legem naturae non conformando se communitati, ea dispensatione utens delinquit. 5° Si tempore dispensationis causa dispensandi adfuit, non vero quando a Commissario executioni mandanda est, nequit eam Commissarius exequi. 6° Superior loci potest dispensare cum vagis et peregrinis in illis legibus communibus, in quibus potest cum suis subditis; non vero in votis, et aliis singularibus impedimentis, ad quae maior subiectio requiritur. 7° Si motivum falsum allatum habeat se tantum ut causa impulsiva, sine qua nihilominus data fuisset dispensatio, licet difficilius: vel si quid taceatur, quod non pertinet directe, et intrinsece ad materiam concessionis, nec de iure, vel stylo Curiae exprimendum est; valet dispensatio. Secus vero si talis dispensatio per subreptionem vel obreptionem impetrata fuerit. Vid. *Instit. I. E.* § 132. *tom.* 1.

## CAP. X.

### *De interpretatione legis.*

Interpretatio legis quid? Epikia.

§ 484. *Interpretatio* Legis est genuina eius explicatio, iuxta eam significationem, quam legislator intendit. *Epikia* vero est aequa et rationabilis interpretatio, quod lex in aliquo particulari casu non obliget, licet verbis universalibus a legislatore dictata sit.

Quotuplex?

*Schol.* Interpretatio alia est *authentica*, cui necessario obediri debet: haec vel est *legalis*, qua per expressam legem a legislatore, vel eius Superiore aut successore sensus legis latae explanatur: vel *usualis*, qua ex usu et consuetudine sensus legis colligitur. Alia est *doctrinalis*, quam faciunt Iudices et Doctores, quae probabilitatem facit, nisi omnes consentiant: haec rursus vel est *simplex*, verba legis in vera significatione, prout iacent: vel *modificata*, verba legis secundum id, quod implicite continent: vel *extensiva*, verba legis ad novas res et personas extendendo: vel *restrictiva*, verba ad certas res, et personas restringendo, explicans.

Resolvuntur casus.

*Coroll. Pract.* 1° In interpretatione legis praeceptivae, vel prohibitivae debet 1. servari proprietas verborum secundum usum communem. 2. Lex favorabilis extendi potest ad proprietatem verborum etiam in sensu civili, v. g. sub nomine filiorum etiam adoptivi intelligi possunt. In interpretatione vero legis odiosae vel poenalis, semper accipi debet, quod minus est. Consuetudo vero est optima Legum interpres. 2° *Epikia* solum locum habet in legibus obligantibus, non vero in infirmantibus, nisi de voluntate Superioris constet; nam leges infirmantes formam substantialem actui praescribunt. 3° Tunc quilibet per epikiam legem interpretari potest, quando mani-

festum est, casum particularem ex aequitate a lege generali excipi; quod colligitur 1. si lex sine violatione gravioris legis observari non possit, ubi minor lex maiori cedere debet, v. g. auditio Sacri ministerio infirmi. 2. Si legis observatio a maiori bono virtutis prohibeat, v. g. recitatio Horarum ab administratione Sacramentorum moribundo. 3. Si observatio legis humanae in casu particulari nimis difficilis foret, et constaret, legislatorem noluisse tam severe obligare. In dubio, an lex in casu particulari per epikiam cesset, ad Superiorem recurrendum est.

## CAP. XI.

### *De privilegio.*

§ 485. *Privilegium* est lex privata in favorem alicuius data a legitimo Superiore. Solus igitur Superior legem condens privilegium dare potest. Privilegium quid?

*Schol.* Privilegium aliud est *reale*, quod intuitu rei, loci, officii et dignitatis datur: aliud *personale*, quod directe in favorem personae conceditur: aliud *mixtum* quod ita communitati conceditur, ut singuli illo uti possint. Quotuplex.

*Coroll. Pract.* 1° Privilegium contra ius commune est strictae interpretationis, quia favor iuris praeferendus est favori privato: c. *Sane, de privil.* nisi Privilegium datum sit in favorem causae publicae, piae vel religiosae, vel nisi datum sit a Principe motu proprio, ubi gratia amplianda est. 2° Privilegia praeter ius v. g. dispensandi, absolvendi, iis concessa, quibus de iure non competunt, late interpretari debent: c. *Quia, de Privil.* ne beneficium cedat in praeiudicium alterius, vel praebeat occasionem scandali aut litium. 3° Privilegium motu proprio collatum ordinarie suum effectum non sortitur, antequam Privilegiato innotuit. Illud vero, quod in gratiam petentis conceditur, statim suum effectum obtinet, dum Superior annuit, etiam eo ignorante, cui conceditur. 4° Privilegium finitur elapso tempore statuto, cessante causa finali, et conditione, sub qua conceditur. Item per renuntiationem Privilegiati; per non usum, si aliis onerosum sit, 10. annorum inter praesentes, 20. inter absentes, si occasio eo utendi adsit; si vero in nullius gravamen cedat, per non usum non amittitur, sicuti nec finitur per mortem concedentis. 5° Superior Privilegium revocare potest, non tamen sine iusta causa, si titulo oneroso vel remuneratorio datum sit. Vid. *Inst. I. E.* § 135. *tom.* 1. Resolvuntur casus.

## CAP. XII.

### *De Censuris.*

§ 486. Legislator Ecclesiasticus cum leges ferre possit (§ 470.), earum etiam executionem per Censuras urgere potest. Est autem *Censura* poena Ecclesiastica, et medicinalis, per quam homo bapti- Censura quid?

zatus delinquens, et contumax privatur usu quorumdam bonorum spiritualium.

Quoluplex. *Schol.* Censura dividitur 1° in Censuram, quae est *a iure*, per legem perpetuam lata in omnes subditos, qui legem transgrediuntur: et in Censuram *ab homine*, quae per sententiam iudicis temporaneam fertur ex causa particulari in particulares personas. Discrimen inter utramque est, quod censura a iure lata non expiret morte legislatoris, sicuti lata ab homine ob peccatum futurum, non vero ob praeteritum, morte Superioris aut eius amotione expirat: item quod censura a iure vel homine, per sententiam generalem lata, non sit reservata, nisi ius, aut mandatum hoc exprimat, secus vero censura ab homine per sententiam specialem lata: item quod censura a iure sit generalis; ab homine sit ordinarie particularis. 2° Censura alia est *latae sententiae*, quae incurritur ipso facto, statim atque peccatum commissum est; cuius signa sunt sequentes particulae: *Ipso facto, ipso iure, eo ipso sit excommunicatus, excommunicatur, noverit se excommunicatum, etc.* Alia est *ferendae sententiae*, quam Superior iubet infligi, seu minatur infligendam per sententiam iudicis, cuius signa sunt: *Praecipimus sub poena excommunicationis, decernimus excommunicandum, excommunicabitur.* 3° Dividitur censura in tres species, scilicet, *Excommunicationem, Suspensionem, et interdictum: c. Quaerenti, de verb. signif.* de quibus in seqq.

Art. 1. *De potestate Ecclesiae ferendi censuras.*

Ecclesia censuras ferre potest. § 487. Ecclesia a Christo accepit potestatem ferendi censuras, quae non sunt tantum poenae externae, sed spirituales. Ita constat 1° ex S. Scriptura, ubi Christus, *Matth.* 16. ait S. Petro: *Tibi dabo claves regni coelorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis.* Ubi per claves regni coelorum intelligitur potestas legislativa (§ 470. n. 2.): deinde dicitur, si quid solutum aut ligatum fuerit in terris, fore quoque solutum et ligatum in coelis. Unde potestas S. Petro promissa non restringitur solum ad poenas externas, et temporales, quae solum ligant in terra, et per mortem solvuntur. Idem Christus omnibus Apostolis promisit, *Matth.* 18. v. 18. *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelis.* Ubi sermonem esse de potestate ferendi censuras, patet ex v. 15. *et seqq.* in quibus de correptione fraterna agitur, qua nihil proficiente, ait Christus: *Dic Ecclesiae*, id est Ecclesiae Praelatis, non vero toti communitati, uti male explicat Lutherus: tum quia Christus iubet, Ecclesiae obedientiam praestandam a reo, quae iuxta ipsum Calvinum Praelatis Ecclesiae solum defertur: tum quia Christus explicans Ecclesiam denotat Apostolos, et eorum successores, dicens: *Quaecumque alligaveritis*, etc. tum quia, si nomine Ecclesiae communitas intelligeretur, crimen occultum proximi cum eius diffamatione propalandum foret, quod est contra ius naturae. Denique per verba: *Quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus*, indicatur Ecclesiastica

Excommunicatio, qua excommunicatus sicut ethnicus a fidelium communione remotus est. 2° Patet ex Traditione. Sic Apostolus hanc potestatem agnovit, 1. *Ad Cor.* 4. *v.* 21. *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate, et spiritu mansuetudinis?* Et 2. *ad Cor.* 13. *Haec absens scribo, ut non praesens durius agam, secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi.* Eadem potestate usus est, 1. *ad Cor.* 5. erga incestuosum: *iam iudicavi ut praesens, eum, qui sic operatus est ... cum virtute D. N. Iesu Christi tradere huiusmodi Satanae in interitum carnis.* Et 1. *ad Tim.* 1. *v.* 20. *Ex quibus est Hymenaeus et Alexander, quos tradidi Satanae.* Ubi poena etiam interna denotatur: tradere enim aliquem Satanae, est eum communibus spiritualibus fidelium bonis privare; imo, uti nonnulli antiqui explicant, etiam corpus vexandum Satanae relinquere. Tertullianus *Apol. c.* 39. censurae Divinae meminit. S. Cyprianus *ep.* 62. eam *spiritualem gladium* vocat. S. Chrysostomus *hom.* 4. *in Ep. ad Hebr. vinculum Ecclesiasticum* appellat. Et S. Augustinus *l. de corrept. et grat. c.* 15. ait: *Pastoralis necessitas habet, ne per plures serpant dira contagia, separare ab ovibus sanis morbidam.* Quod item Historiae omnium Ecclesiae saeculorum demonstrant. 3° Ad ordinatum Ecclesiae regimen spectat, ut Superiores poenis ad observantiam legum refractarios cogant, ut saltem timore poenarum in officio contineantur, quod in qualibet bene ordinata societate observamus: cum ergo hoc Censurae praestent, nemo prudens potestatem eas ferendi, Ecclesiae denegare poterit.

**Solvuntur obiectiones Protestantium**

*Schol.* Protestantes concedunt quidem, transgressores legum a tota Ecclesia seu communitate pro bono communi statutarum, recte iuribus societatis privari, vel ab Ecclesia, vel ab Episcopo consentiente, et per eum iura sua exercente Ecclesia sed hanc excommunicationem esse tantum poenam externam, nec privare hominem communibus spiritualibus Ecclesiae orationibus. Ita docuit Lutherus *art.* 18. Item Quesnellus *prop.* 90. damnata *in Matth.* 18. *v.* 17. ait, neminem posse excommunicari, nisi de consensu totius populi: et inter eius patronos M. Tourneux, *l'année Chrétien pour la fête de S. Apollinaire*, docet, non esse in Ecclesia absolutam auctoritatem leges et censuras ferendi, sed totum eius ministerium esse mansuetudinis, humilitatis et charitatis. Quippe I. Christus nullam Ecclesiae dedit potestatem, quae sit in destructionem, qualis est potestas ferendi censuras, per quam fidelibus subtrahuntur bona spiritualia. *Resp.* Subtrahuntur quidem bona spiritualia, sed tantum ad tempus, ut spiritus salvus sit; non autem ad perpetuum exterminium, sed ut peccator resipiscat. II. S. Chrysostomus *serm. de anath.* ait: *Aut anathematizas viventem, aut mortuum: si mortuum, impie agis, quia iam sub iure humano non existit; sed domino suo stat, vel cadit: si vivum, impie etiam agis; nam eum, qui ad bonum converti potest, abscindis. Resp.* S. D. abusum anathematis improbat, et privatos obiurgat, qui ex odio inimicis suis crebro anathema dicebant. Carpit etiam Episcopos, qui peccantes im-

patienter ferebant, eosque sine spe veniae a corpore Christi praecidebant; cum tamen de eorum emendatione bene sperandum foret.

Omnis Praelatus Ecclesiasticus censuras ferre potest. § 488. Omnis et solus Praelatus Ecclesiasticus in foro externo iurisdictionem habens iure ordinario in subditos contumaces censuram ferre potest. Ita statuitur in c. *Ecclesiarum, de offic. ordin.* cuius ratio est, quia solus ille leges etiam ferre potest. Potestatem tamen hanc cuivis Clerico privilegiis clericalibus gaudenti delegare potest: c. *Praeterea, de Offic. Deleg.*

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Potestatem ferendi censuras ordinariam habet Papa respectu omnium fidelium in tota Ecclesia; Archiepiscopi in sua dioecesi, non vero respectu subditorum suorum suffraganeorum, nisi tempore visitationis; et Episcopi etiam tantum electi et confirmati, licet nondum consecrati, quia est iurisdictionis: c. *Venerabilibus, de sent. Excom. in* 6. 2° Item hanc potestatem habent Legati a latere in tota Provincia suae legationis: c. *Legatis, de off. Leg. in* 6. Vicarius generalis Archiepiscopi vel Episcopi: c. *Licet, de off. Vicar.* Cardinales in Ecclesiis propriis suorum titulorum: c. *un. de maior. in* 6. Praelati omnes Regulares, Abbates, Generales, Provinciales, Praepositi, Rectores, Priores Conventuales, Guardiani: c. *cum in Ecclesiis, de maior.* Concilia generalia, Provincialia et Dioecesana: c. *Grave nimis; de Praeb.* Capitulum sede vacante, sive Vicarius Capitularis: c. *un. de Maior. in* 6. 3° Parochi non possunt ferre censuras in suos Parochianos, quia non habent iurisdictionem in foro externo. Nec Foeminae etiam Abbatissae, quae iure Divino huius potestatis sunt incapaces; unde nec Papa eam illis praebere potest, 4° Ut quis ferre possit censuras, debet esse baptizatus; habere saltem primam Tonsuram: c. *Ecclesia. de Constit.* licet ex commissione et dispensatione Papae laicus etiam hoc possit. Clericus tamen coniugatus licet habitum Clericalem gerat, et certae Ecclesiae addictus sit, censuras ferre nequit: c. *un. de Cler. coniug.* Item ferens censuras debet esse compos rationis, et habere intentionem ligandi: c. *Cum voluntate, de sent. Excom.* ac habere iurisdictionem quoad usum expeditam, nec debet esse excommunicatus, haereticus, suspensus etc. publico denuntiatus: c. *Exceptionem, de Except.* si enim occulte solum fuerit, valet censura ab eo lata, licet eam ferendo mortaliter peccet: *Extrav. Martini V. Ad evitanda.* Valet etiam censura gravi metu a iudice extorta, quia fit voluntarie (§ 425.). 5° Facultas ferendi censuram tantum homini baptizato Clerico ordinarie delegatur.

### Art. 2. *De subiecto censurarum.*

Subiectum censurae. § 489. Censuris ligari possunt omnes et soli homines 1. *Baptizati, 1. ad Cor. 5. Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, iudicare? c. Gaudemus, de divort.* 2. *viatores: c. Ex verbis, caus.* 24. *q.* 2. nam mortui nec ratione corporis sunt capaces censurae, quod inanimatum est: nec ratione animae, quae vel est in coelo, aut Purgatorio, et sic est amica Dei, nullam habens contumaciam, quae censuram mercatur: vel est

in inferno, et sic non est capax emendationis, nec poenae medicinalis. 3. *Rationis et doli capaces*, quia alias non possent delinquere. 4. *Qui in Ecclesia Superiorem habent*, quia par in parem, aut Superiorem non habet imperium.

*Schol.* Dices I. *c. Sane. caus.* 24. *q.* 2. dicitur, haereticos post mortem esse anathematizandos: et. *c. neque*, *d.* 88. refertur, S. Cyprianum quemdam post mortem anathematizasse. *Resp.* Excommunicatio mortuorum est improprie et indirecte talis, scilicet impediendo vivos subditos, ne cum mortuis communicent suffragia pro illis offerendo, et sic iurisdictio directe exercetur circa vivos subditos, quae indirecte quoad effectum extenditur ad mortuos. II. Excommunicatus ante absolutionem moriens, manet excommunicatus, et mortui ab excommunicatione absolvi possunt: *c. A nobis, de sent. Excom.* Ergo mortui excommunicari possunt. *Resp.* Iuxta nonnullos talis non manet excommunicatus, quia per mortem extrabitur a iurisdictione Ecclesiae; unde indirecte solum absolvitur, auferendo a vivis prohibitionem, eum humandi in loco sacro etc. In sententia vero eorum, qui tenent, eum manere excommunicatum, non tenet consequentia, quia plus requiritur, ut aliquis excommunicetur, scilicet actualis subiectio, quae tamen non requiritur, ut maneat excommunicatus. Solvuntur obiectiones.

*Coroll. Pract.* 1° Pagani, Iudaei, Catechumeni non sunt capaces censurae; bene vero Haeretici, et Schismatici. 2° Si homo nondum completo crimine vel conditione, sub qua censura lata est, moriatur, et postea crimen, vel conditio impleatur, a mortuo censura non incurritur. 3° Infantes, et furiosi incapaces sunt censurae. Si quis tamen contumaciter incepto, sed nondum consummato crimine in furorem labatur, quo durante crimen a mandatario perficitur, furiosus censuram iuris incurrit; quia est subiectus Ecclesiae: a indice tamen excommunicari non debet, maxime si amentia perpetua esse iudicetur; quia poenae medicinalis incapax est. Impuberes doli capaces, censuram iuris incurrere possunt. *c. 1. de sent. Excom.* 4° Summus Pontifex censura ligari nequit, quia in terra Superiorem non habet. 5° Si quis extra suam dioecesim v. g. furetur, non est excommunicatus, licet furtum in sua dioecesi sub excommunicatione sit prohibitum; quia extra territorium ius dicenti non paretur impune. Advenae vero et Peregrini ligari possunt censuris a iure, vel statuto communi latis, quia ratione delicti forum sortiuntur, et fiunt subditi. Item Episcopus extra propriam dioecesim existens subditum suum ligare nequit, quia ibi iurisdictionem exercere non potest. 6° Ligatus una censura, altera etiam eiusdem vel diversae rationis ligari potest, quia sub multiplici titulo communione privari potest. Resolvuntur casus.

### Art. 3. *De motivo ferendi censuras.*

§ 490. Censurae Ecclesiasticae regulariter non infliguntur, nisi ob Delictum quale esse

debeat pro censurâ? peccatum 1. *Externum*: c. *Tua nos*, *de Simon*. 2. *Mortale consummatum*, et in genere suo completum: iuxta Trid. *sess*. 25. *cap*. 3. *de ref*. cuius rationem dat Benedictus XIV. *l*. 7. *de Sin*. *c*. 44. quia poena est commensuranda culpae, et pro modo culpae imponenda. 3. *Et coniunctum cum contumacia:* iuxta illud Christi, *Matth*. 18. *Si Ecclesiam non audierit*, id est, obediens ei non fuerit, *sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus*. Idem statuitur in c. *Ex parte*, *de verb. signif*. et c. 1. *de sent*. *Excom*. *in* 6.

Resolvuntur casus. *Coroll*. *Pract*. 1° Ad censuram non requiritur inobedientia directa, et contemptus formalis; sed sufficit inobedientia generalis, et contemptus interpretativus. 2° Censura nunquam infligenda est ob peccatum praeteritum, quod nullam praesentem contumaciam coniunctam habet. 3° Censura nunquam infligenda est, nisi praecedente monitione, et comminatione: *c*. *Sacro*, *de sent*. *Excom*. sine qua iniusta est, et irrita. Haec canonica monitio trina esse debet, interposito duorum, vel trium dierum spatio; potest tamen etiam unica monitio fieri praefixo temporis spatio pro trina sufficiente: imo urgente necessitate iudex statim monere, et contumacem excommunicare potest. Item haec monitio personaliter fieri debet, nisi reus malitiose latitet; unde citatio in loco publico affigatur, ut eam scire possit; et si contumax non compareat, absens excommunicari potest: *c*. *Quoniam frequenter*, *de lite pend*. Haec monitio solum requiritur pro censura ab homine infligenda; nam in censura latae sententiae ipsa lex admonet, quam transgrediens merito contumax censetur: *c*. *Reprehensibilis*, *de Appellat*. Nihilominus, licet quis ipso facto censuram contraxerit, si tamen a iudice declarandus et denunciandus sit, prius citari et defensionis illi locus fieri debet: *Clement*. *Pastoralis*, *de re iudic*. Vid. meas *Inst*. *I E*. *tom*. 3. § 1297.

### Art. 4. *De causis excusantibus ab incursu censurae.*

Causae a censura excusantes. § 491. Causae ab incurrendis censuris excusantes sunt 1. *Ignorantia* tum iuris, tum facti invincibilis: *c*. 2. *de Constit*. *in* 6. quia tunc non adest contumacia ad censuram requisita (§ 490). 2. *Impotentia* physica, vel moralis implendi praeceptum; quia tunc nulla adest culpa (§ 481.). 3. *Appellatio* legitime interposita ad Superiorem, a comminatione censurae indictae per inferiorem, antequam illa incurratur: *c*. *Si a iudice*, *de appell*. *in* 6. 4. *Voluntas et remissio censurae* ab eo facta, in cuius favorem lata est. 5. Non obligat censura invalida vel ex defectu iurisdictionis ferentis censuram, vel ex defectu non observatarum formalitatum essentialium. 6. Si feratur in personam omnino innocentem (§ 490.).

Resolvuntur casus. *Coroll*. *Pract*. 1° Ignorantia concomitans (§ 428. Schol.) excusat a censura, quae non fertur propter pravam internam dispositionem. Et licet aliquis sciat, opus esse prohibitum a lege, si tamen nesciat censuram annexam, eam non incurrit: *c*. 2. *de const*. *in* 6. 2° Qui ex gravi metu mortis legem transgreditur, licet a peccato in lege na-

turali non excusetur (§ 425.), excusatur tamen a censura, quia non censetur contumax, nec leges Ecclesiae cum tanta severitate obligant. 3° Si una ex trinis monitionibus omittatur, censura sine scripto, sine causa expressa feratur; iniusta quidem est, sed non invalida, quia hae sunt formalitates accidentales. 4° Censura non ligat innocentem: *c. 1. de sent. et re iud. in* 6. Nihilominus talis innocens, licet coram Deo non sit ligatus, tenetur tamen coram illis, qui censuram norunt, et innocentiam nesciunt, abstinere ab usu bonorum spiritualium, donec vel absolvatur, vel innocentiam probet; alias peccaret peccato scandali, et censeretur contumax: non tamen incurreret poenas contra eos latas, qui violant censuras, si in Sacris ministraret. 5° Qui dubitat, an censuram incurrerit, optime facit, si Absolutionem sub conditione petat abstinendo interim a Sacris, quantum sine scandalo, et propria infamia fieri potest. Si vero sit dubium iuris, vel facti, et absit scandalum, dubitans nec in foro interno nec externo se ut censura innodatum gerere debet; quia in dubio melior est conditio possidentis.

### Art. 5. *De modis, quibus censurae tolluntur.*

§ 492. Censura tollitur 1. per *absolutionem* legitimi iudicis. 2. A Censura ab homine lata per sententiam particularem absolvere potest, qui eam tulit, quia eiusdem est solvere et ligare: *eius Superior*, qui plenam iurisdictionem in subditos habet: *eius successor*: *c. un. de Maior. in* 6. *Iudex appellationis*, ad quem causa devoluta fuit. 3. A Censura iuris vel sententiae generalis, quam Auctor sibi reservavit, solus ille, eius Superior, successor, vel delegatus ab eo absolvere potest: *c. Nuper*, et *c. Sacro, de sent. Excom*: 4. A Censuris vero non reservatis omnis Sacerdos legitime approbatus absolvere potest: *c. Nuper, de sent. Excom.* Censura quomodo tollatur?

*Coroll. Pract.* 1° Censura non solvitur per solam cessationem contumaciae, aut satisfactionem, uti patet ex prop. 44. ab Alexandro VII. damnata: Nec tollitur per mortem ferentis, quia transit in rem iudicatam, nec per mortem eius, in quem lata fuit; quia sepultura et suffragiis Ecclesiae privari potest. 2° Si iurisdictio in Superiore per depositionem, excommunicationem, vel suspensionem, vel in delegato finito tempore delegationis extincta sit, a censura absolvere non potest. 3° Provincialis censuratos a Priore vel Guardiano: Archiepiscopus excommunicatos ab Episcopo, si causa per appellationem ad eum devoluta sit, vel si ex iure Episcopi dioecesim visitet, absolvere potest. Episcopus vero Regulares a proprio Praelato excommunicatos ex causa ad regularem disciplinam spectante absolvere nequit, quia correctio Monachi primo ad Abbatem spectat: *Gloss. in c. Quanto, de off. Ordin.* licet Regulares non exempti ab iniusta sententia Praelati ad Episcopum appellare possint: *c. Ad nostram, de Appell.* 4° Subditus Episcopi ratione domicilii vel delicti ab eo excommunicatus etsi alibi domicilium figat, aut Religionem ingrediatur, ab altero Episcopo absolvi nequit, quia praeventus a iudice forum eius in ea causa delli- Resolvuntur casus.

nare nequit: *c. Proposuisti, de foro compet.* 5° In articulo mortis quilibet Sacerdos a censuris etiam reservatis absolvere potest; ita tamen ut periculo amoto absolutus sub poena reincidentiae in censuram adire debeat Superiorem ad excipiendum eius mandatum: *c. Eos qui de sent. Excom. in* 6. 6° Qui in foro conscientiae per Iubilaeum vel Privilegium ab excommunicatione notoria absolutus fuit, in facie Ecclesiae abstinere adhuc a Sacris debet, quamdiu de legitima eius absolutione non constat; unde si publice celebrare praesumat; ut irregularis puniri potest. Si vero censura occulta fuerit, absolutus in foro conscientiae non prohibetur publice celebrare. 7° Absolutio a censuris variis modis fieri potest: 1. Simpliciter scilicet: *Absolvo te a vinculo excommunicationis, quam incurristi ob talem causam N. N.* 2. Ad cautelam sub conditione. 3. Ad reincidentiam ad certum effectum, v. g. ut collatio Beneficii valeat. Ordinarie in Absolutione debet exprimi censura in genere, vel specie: et absens etiam per nuntium vel epistolam absolvi potest. Denique in Absolutione observandae sunt solemnitates a iure praescriptae, ut licita sit, si publica fuerit: *c. A nobis, de sent. Excom.* scilicet flagellatio cum precibus in Rituali praescriptis. Vid. cit. *Inst. I. E. t.* 3. § 1299.

## Art. 6. *De excommunicatione.*

Excommunicatio quid? § 493. A Censuris in genere descendimus ad Censuras in specie, quarum prima est *Excommunicatio*, quae est Censura Ecclesiastica, privans hominem baptizatum externa communione, seu usu et participatione bonorum spiritualium fidelibus communium, et ex voluntate ac dispensatione Ecclesiae pendentium sive ex toto, sive ex parte.

Quotuplex? *Schol.* Excommunicatio alia est *maior*, quae ex toto privat hominem communione fidelium, et participatione tam activa, quam passiva Sacramentorum, ut ita Sacramenta nec administrare, nec recipere possit. Huius tres species olim fuerunt: Prima erat *Excommunicatio simpliciter*: Secunda, *Anathema:* Tertia, *Maranatha*. Excommunicatio et Anathema in eo differunt, quod illa solis verbis proferatur; hoc vero cum pluribus caeremoniis: Maranatha vero Anathemati hoc addebat, quod excommunicatus solius Dei iudicio relictus, ab Ecclesiae communione separatus iuberetur permanere usque ad diem Iudicii. Alia est *Excommunicatio minor*, quae privat tantum participatione passiva, seu receptione Sacramentorum. Rursus Excommunicatio alia est *latae*, alia *ferendae sententiae* (§ 486. Schol.). Excommunicationis sententia subinde cum aliqua solemnitate fertur: iuxta *c. Debent, caus.* 11, *q.* 3. debent duodecim Sacerdotes Episcopum circumstare, et lucernas ardentes in manibus tenere, quas in conclusione anathematis proiiciunt in terram, et conculcant pedibus: deinde epistola per Parochias mittitur, continens excommunicati nomen, et excommunicationis causam: lucernae vero proiectae ad nullum usum adhiberi debent. Vid. cit. *Inst. I. E. t.* 3. § 1300.

§ 494. Excommunicationes latae sententiae non sunt perniciosae, nec abrogandae. Patet hoc ex praxi antiquissima Ecclesiae. Sic Concilium Turonense I. a. 461. *Can.* 8. statuit, ut recidivus post poenitentiam a communione Ecclesiae extraneus habeatur. Concilium Veneticum a. 465. *Can.* 3. idem statuit, Conc. Gangrense transgressoribus suorum Canonum anathema dicit; in his certe excommunicatio latae sententiae significatur. Deinde Patres Concilii Toletani IV. a. 633. *c.* 75. Anathema, Maranatha in eos pronuntiant, qui adversus regnum, vel Regem coniurarent; quod idem factum est a Conc. Tolet. XIV. *cap.* 10. ubi sententia tribus vicibus veluti monitionis loco repetitur. Ergo Excommunicationes latae sententiae non sunt recenter inventae, nec primis decem saeculis ignoratae, adeoque earum usus in Ecclesia sine audacia improbari nequit. **Excommunicationes latae sententiae non sunt perniciosae.**

*Schol.* Godescalcus Rosemundus Theologus Lovaniensis in suo Confessionali, *c.* 20. Excommunicationes latae sententiae improbat, et earum usum tolli vult. Et Van-Espen *Iur. Eccl. p.* 3. *t.* 11. *c.* 6. asserit, quod per decem saecula ignota fuerit excommunicatio latae sententiae. I. Quia in antiquis Canonibus non leguntur haec verba: *Sit ipso facto excommunicatus. Resp.* Leguntur saltem aequivalenter. II. Gerson *tom.* 3. *col.* 49. ait: *Expediens esset, ut omnes constitutiones sententiae excommunicationis latae sententiae in iure vel statutis contentae, quarum usus nullus est, aut plus obest, quam prodest, expressa revocatione cassarentur. Resp.* Gerson non improbat Excommunicationes latae sententiae, sed sententiam declaratoriam criminis pro foro externo necessariam requirit, quae tamen non requiritur in foro interno. Vid. SS. Benedictum XIV. *de Syn. dioeces. l.* 4. *c.* 44. **Solvuntur obiectiones.**

Art. 7. *De effectibus excommunicationis maioris.*

§ 495. Excommunicationis sententia a solo Praelato Ecclesiastico (§ 488.); in solos baptizatos, viatores, rationis et doli capaces, ac subditos (§ 489.); ob peccatum externum, mortale completum, et cum contumacia coniunctum ferri potest (§ 490.). Quae vero causae ab ea incurrenda excusent, et quomodo tollatur, dictum est (§ 491. 492.). Superest igitur, ut effectus Excommunicationis maioris exponamus. 1[us] est: *Privatio Sacramentorum activa*, ita ut non possit Excommunicatus Sacramenta licite administrare: c. *Si celebrat. de Cler. excom. minist. et passiva*, ut non possit ea licite recipere: *c. Cum illorum, de sent. Excom.* **Effectus excommunicationis.**

2[us] est: *Privatio suffragiorum Ecclesiae*, scilicet, Sacrificii, publicarum precum; Indulgentiarum, et actionum, quae fiunt nomine Ecclesiae: *c. Sacris, de sent. Excom.*

3[us] est: *Privatio Divinorum officiorum*, ita ut non possit celebrare Divina officia, nec iis interesse: c. *Responsio*, *de sent. Excom.*

4[us] est: *Inhabilitas ad Beneficia*, et dignitates Ecclesiasticas obtinendas, et possidendas: c. *Per inquisitionem, de Elect.*

5[us] est: *Privatio iurisdictionis*, ita ut Excommunicatus non toleratus non tantum illicite, sed etiam invalide exerceat quemcumque actum iurisdictionis spiritualis, et Ecclesiasticae: c. *Ad probandum, de sent. et re iud.* toleratus vero illicite quidem, sed non invalide iurisdictionem exercet, ob bonum commune, et titulum coloratum: *l. Barbarius ff. de off. Praetor.*

6[us] est: *Irritatio rescriptorum Apostolicorum*, ita ut rescriptum Sedis Apostolicae continens gratiam, et concessionem pro tali Excommunicato sit ipso iure irritum: *c. Ipso iure, de Rescript. in* 6. nisi absolutio a censuris in rescripto sit addita, quod hodie communiter fit.

7[us] est: *Privatio communicationis forensis*, ita ut Excommunicatus non possit esse Iudex, Advocatus, Testis, etiam in causis civilibus: *c. Ad probandum, de sent. et re iud.*

8[us] est: *Privatio omnis communicationis civilis* cum fidelibus, ita ut Excommunicatus non toleratus nec cum aliis, nec alii cum ipso communicare possint in sequentibus: *Os, orare, vale, communio, mensa negatur*: Per *os*, intelliguntur colloquia, oscula, litterae, munera. Per *orare*, publicae preces. Per *vale*, honorifica salutatio. Per *communionem*, societas civilis, commercium in contractibus. Per *mensam*, comestio, et cohabitatio: *caus.* 11. *q.* 3. Unde qui in his cum Excommunicato non tolerato communicat, peccat mortaliter, * (si communicet in divinis, vel in contemtum Ecclesiae: secus tantum venialiter peccat) * et Excommunicationem minorem incurrit.

9[us] est: *Privatio sepulturae Ecclesiasticae: c. Sacris, de sepult.* si non ante, vel post mortem absolutio data fuerit: et coemeterium, in quo Excommunicatus sepelitur, reconciliari debet.

10[us] est: Quod si Excommunicatus toto anno contumaciter in Excommunicatione persistat, contra eum tamquam de haeresi suspectum procedi potest. Trid. *Sess.* 25 *c.* 3. *de ref.*

Resolvuntur casus.

*Coroll. Pract.* 1° In casu gravis necessitatis, infamiae et iacturae bonorum Excommunicatus occultus licite administrat, et suscipit Sacramenta, quia lex Ecclesiae cum tali rigore non obligat: valide autem semper suscipit Sacramenta, excepto Sacramento Poenitentiae ob indispositionem. 2° Qui voluntarie in Excommunicatione perdurat, peccat etiam contra praecepta Ecclesiae, suscipiendi Sacramenta Poenitentiae et SS. Eucharistiae. 3° Sacrificium Missae nomine Christi a Sacerdote pro Excommunicato vitando sine peccato mortali offerri nequit: potest tamen in Sacrificio Sacerdos ut persona particularis privatas orationes offerre, illique applicare, quod sibi privatim respondet: imo pro Excommunicatis toleratis, v. g. publicis haereticis, in Germania sacrificia et publica suffragia nomine Ecclesiae offerri posse, probant Salmanticenses. Pro vitandis vero orationes privatas facere semper licet. 4° Licet Excommunicatus obligatus ad Horas, eas privatim recitare teneatur, nequit tamen eas vel in choro cum aliis, vel cum aliquo privatim orare, nec potest interesse publicis officiis,

Processionibus, solemnibus benedictionibus, etc. Item si Diaconus vel Sacerdos excommunicatus privatim Horas recitet, loco *Dominus vobiscum*, debet dicere: *Domine, exaudi, etc.* saltem sub veniali, si vero publice in choro diceret: *Dominus vobiscum*, peccaret mortaliter, et fieret irregularis. 5° Excommunicatus non privatur ingressu Ecclesiae ad fundendas orationes privatas, nec usu sacrarum imaginum, et aquae benedictae. Si vero non toleratus vult assistere Divinis officiis, debent illa omitti, et moneri, ut exeat; Imo etiam vi, licet Clericus sit, expelli debet: *c. Veniens, de sent. Excom.* alias in altero loco sunt complenda: et si Canon Missae iam inceptus sit, Missa usque ad sumptionem, sine sequentibus orationibus, compleri debet; astantes autem sub poena Excommunicationis minoris et sub peccato gravi exire debent. 6° Praesentatio, Electio, Institutio, etc. Excommunicati etiam tolerati, et suam censuram ignorantis, ipso iure irrita est. Si quis vero bona fide Beneficium accepit, eique deservivit, licet cognito impedimento illud debeat dimittere, fructus tamen congruae sustentationi debitos, et bona fide absumptos, quibus ditior factus non est, restituere non tenetur. 7° In civilibus cum Excommunicato communicare licet in sequentibus casibus: *Utile, lex, humilis, res ignorata, necesse. Utile*, si adsit notabilis utilitas spiritualis, vel corporalis: hinc licet eum monere, concionem coram eo facere, non tamen ab eo audire: consilium ab eo petere, et eleemosynam dare, vel accipere, si alius non adsit: lectionem Theologicam facere. *Lex* Matrimonialis excusat. Unde licet petere, et reddere debitum, et communi opera rem familiarem curare. *Humilis*, ratione cuius excusantur filii cum parentibus, servi, ancillae et villici cum dominis, Religiosi cum Praelatis, Clerici cum Episcopis Excommunicatis communicantes: c. *Inter alia, de sent. Excom. Res ignorata*; hinc excusat ignorantia iuris, et facti, modo non sit affectata. *Necesse*, scilicet necessitas ad vitandum grave incommodum corporis et animae. 8° Omnes contractus initi cum Excommunicato validi quidem sunt, sed illiciti. Qui vero bona fide, vel ex ignorantia cum eo contrahit, contractum prosequi potest, si mala fide, a contractu resilire debet, dum sine gravi incommodo potest. 9° Hodie post Concilium Constantiense Excommunicati in sacris, et politicis negotiis non sunt vitandi, nisi sint denuntiati, aut notorii Clericorum percussores: *Extrav. Ad vitanda*. Catalogum Excommunicationum vide apud P. Voit *Theol. mor.* et Ill. D. Godeau, *Tom. 3. Theol. mor.*

### Art. 8. *De effectibus excommunicationis minoris.*

§ 496. Excommunicationis minoris effectus sunt 1° Privatio perceptionis Sacramentorum: *c. ult. de sent. Excom.* 2° Hac Excommunicatione ligatus eligi non debet ad Beneficia Ecclesiastica, et electio est infirmanda: *c. Si celebrat. de Cler. excom.* Excommunicationis minoris effectus.

*Coroll. Pract.* 1° Excommunicatus Excommunicatione minori peccat graviter, si sine iusta necessitate suscipiat Sacramenta Confirma- Resolvuntur casus.

tionis, Poenitentiae, Eucharistiae, Ordinis, Extremae Unctionis et Matrimonii, non tamen incurrit irregularitatem: si autem talis Sacramenta administret, saltem venialiter ob irreverentiam peccare videtur. 2° Excommunicationem minorem incurrit, qui cum Excommunicato non tolerato, exceptis casibus relatis (§ 493. Coroll.), communicat. 3° Ab Excommunicatione minori in foro interno quivis Sacerdos ab Ordinario approbatus: in foro externo, quivis iudex Ecclesiasticus absolvere potest.

### Art. 9. *De suspensione, eiusque effectibus.*

Suspensio quid? § 497. Altera species Censurae est *Suspensio*, quae est censura Ecclesiastica, qua Clerico prohibetur usus, seu exercitium Ordinis, vel Officii, vel Beneficii. Haec censura proinde in solos Clericos cadit.

*Schol.* Suspensio alia est ab *Ordine*, quae privat usu Ordinis, ita ut quis Sacra officia exercere non possit: alia est ab *Officio*, quae privat usu iurisdictionis, ita ut non possit quis censuras ferre, Indulgentias concedere, eligere ad Beneficia, etc. alia est a *Beneficio*, quae privat Clericum fructibus temporalibus sui Beneficii. Rursus Suspensio alia est *totalis simpliciter*, quae simul ab Ordine, Officio et Beneficio Clericum privat: alia est *totalis secundum quid*, qua Clericus vel tantum ab exercitio ordinis, vel tantum ab exercitio Officii, vel tantum a perceptione fructuum Beneficii prohibetur. Haec subdividitur in *totalem* ab Ordine, vel Officio, vel Beneficio, qua Clericus ab omni actu Ordinis, vel iurisdictionis, vel perceptione omnium fructuum Beneficii prohibetur: et in *partialem* ab Ordine, Officio vel Beneficio, qua solum ab uno vel certis actibus Ordinis, iurisdictionis, et perceptione certorum fructuum prohibetur. Suspensio denique alia est *latae*, alia *ferendae sententiae*.

Suspensionis effectus. § 498. Quae de Auctore, subiecto, materia, causis excusantibus, et modo absolvendi de Censuris in genere dicta sunt (§ 488. 492.): hic etiam de Suspensione suo modo valent. Cuius effectus sunt: 1° Suspensus etiam occultus exercendo actum, a quo est suspensus, peccat mortaliter, nisi ignorantia invincibilis, vel necessitas excuset. 2° Suspensus a functionibus S. Ordinis exercens eas incurrit irregularitatem, si non sit Ordo minor, et non sacer: *arg. c. 1. de sent. et re iud.* 3° Suspensus a beneficio, licet sit occultus, privatur omnibus fructibus sui beneficii, etiam distributionibus quotidianis, quos licite percipere nequit; adeoque ante sententiam iudicis restituere tenetur. 4° Suspensus illicite novum Beneficium recipit, et collatio est irritanda: *c. Si celebrat. de Cler. excom.*

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Actus Ordinis a iurisdictione non dependentes, a suspenso exerciti sunt validi: dependentes vero a iurisdictione, v. g. absolutio, sunt invalidi, si suspensus sit nominatim denuntiatus; secus si non sit, quia tunc Ecclesia in bonum fidelium tolerando suspensum, iurisdictionem ei non adimit. 2° Suspensus tenetur Horas Canonicas privatim recitare, et alia onera Beneficii praestare, quia

sunt obligationes annexae Beneficio, quod retinet. 3° Ut sciatur, quousque Suspensio se extendat, verba eius consideranda sunt, quae strictae sunt interpretationis. Hinc Suspensio simpliciter significat Suspensionem ab Ordine, Officio, et Beneficio. Suspensio ab Officio significat Suspensionem ab omni officio Ordinis, et iurisdictionis, non vero a Beneficio; quia unum alterum non comprehendit; unde Beneficii fructus licite percipiuntur, si per alterum munera Beneficii suppleantur: excipiuntur tamen distributiones quotidianae, quae nonnisi praesentibus conferuntur. Similiter suspensus ab Ordine simpliciter, non ideo suspenditur a iurisdictione. 4° Suspensus a Beneficio, quod habet in una dioecesi, non est suspensus a Beneficio, quod habet in altera. 5° Suspensus ab officio Sacerdotis nequit legere Missam, Sacramentum Poenitentiae, Extremae Unctionis, Eucharistiae, solemnis Baptismi ministrare; potest tamen minores Ordines exercere. Suspensus ab ordine inferiori censetur etiam suspensus a superiori, si actus sint ita connexi, ut in Ordine superiori contineatur exercitium inferioris, a quo quis suspensus est. Hinc Sacerdos suspensus ab officio Diaconi nequit sacrificare, quia in Sacrificio legitur Evangelium: potest tamen Confessiones audire, et solemniter baptizare, licet non decenter hoc faciat. Episcopus suspensus a collatione Ordinum minorum, potest adhuc maiores conferre; et suspensus ab officio ordinandi, non censetur suspensus ab officio confirmandi. 6° Fideles vi censurae non tenentur vitare suspensum etiam denuntiatum: Charitas tamen exigit, ut Clericus ab officio suspensus ad celebrandum non inducatur, si sine peccato et irregularitate facere nequit: quando vero iusta causa adest a suspenso non denuntiato Sacrificium petendi, is sine peccato petitioni satisfacere potest. 7° Potestatem ordinariam tollendi Suspensiones a iure latas habet Papa, et in delictis occultis Episcopus. Suspensio sine determinatione temporis lata ob contumaciam ab infligente, vel delegato solum tollitur; lata ad certum tempus, vel sub conditione, iis impletis cessat: lata in perpetuum ob culpam praeteritam per dispensationem Praelati, vel eius delegati tollitur; ita tamen, ut ante absolutionem semper parti laesae satisfieri, et iuramentum parendi Ecclesiae, si crimen enorme fuerit, praestari debeat. Catalogum Suspensionum ipso iure latarum vid. in *Theol. mor. tom.* 3. III. D. Godeau.

### ART. 10. *De interdicto, eiusque effectibus.*

§ 499. Tertia species Censurae est *Interdictum*, quod est Censura Ecclesiastica, privans usu, seu participatione aliquorum Sacramentorum, publica Divinorum Officiorum celebratione, ac Ecclesiastica sepultura. Interdictum quid?

*Schol.* Interdictum aliud est *Locale*, quod directe cadit in locum, prohibendo, ne in eo Divina Officia publice celebrentur, et nullus in eo sepeliatur. Aliud est *Personale*, quod immediate fertur in personam, ei prohibendo Divinorum Officiorum auditionem, et Ecclesia- Quotuplex?

sticam sepulturam, ubicumque existat. Aliud est *Mixtum*, quod immediate afficit et locum, et personas. Discrimen inter locale, et personale est, quod locale indigenis, et alienigenis exercitium, et participationem Divinorum Officiorum in loco interdicto prohibeat: per Interdictum vero personale vel certis personis, vel certae communitati dicta participatio in omni loco prohibeatur. Utrumque Interdictum vel est generale, vel particulare. *Locale generale* est, quod fertur in locum generalem, plura loca sub se continentem, uti est Regnum, Dioecesis, Parochia, Civitas, Villa, Castrum: *c. In partibus, de verb. signif. Locale particulare* est, quod fertur in certum et determinatum locum sacrum, Ecclesiam Parochialem, Capellam, Coemeterium. *Personale generale* est, quod fertur in totam communitatem pluribus constantem. *Personale particulare* est pro una vel pluribus personis determinatis, v. g. Episcopo, sceleris auctoribus, etc.

Interdicti effectus. § 500. Dicta de Censuris in genere (§ 488. 492.) Interdicto etiam conveniunt; cuius effectus sunt, 1° Prohibitio celebrationis, et auditionis Divinorum Officiorum: *c. Si sententia, de sent. excom. in* 6. 2° Prohibitio receptionis, et administrationis quorumdam Sacramentorum, scilicet Eucharistiae, Ordinis et Extremae Unctionis. 3° Prohibitio sepulturae Ecclesiasticae: *c. Quod in te, de poenit. et remiss.*

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Per Interdictum prohibetur celebratio, et auditio Missae; omnis publica et solemnis comprecatio etiam Horarum Canonicarum; privatim enim quivis recitare debet; benedictiones publicae, quae fiunt nomine Ecclesiae; concio tamen est licita. 2° Iuxta *c. Alma, de sent. Excom. in* 6. tempore Interdicti localis generalis, excepta Ecclesia specialiter interdicta, licet singulis diebus in aliis Ecclesiis, et Monasteriis Missas, et alia Divina celebrare, submissa tamen voce, ianuis clausis, et campanis non pulsatis. In festis tamen Natalis Domini, Paschae, Pentecostes, et Assumptionis B. V. Corporis Christi, et per Octavam campanae pulsantur, et ianuis apertis alta voce Divina celebrantur, Excommunicatis exclusis, et Interdictis admissis; ita tamen, ut illi propter quorum crimen prolatum est, altari non appropinquent. 3° Tempore Interdicti SS. Eucharistia moribundis per modum Viatici cum solemni Processione allata, et Extrema Unctio, si aliud Sacramentum recipere non possint, administrari valet; quin et Baptismus, Confirmatio, Poenitentia et Matrimonium sanis conferri potest, exceptis tamen iis, qui Interdicto causam et auxilium iis praebuerunt. 4° Interdicto locali etiam infantes et amentes privantur sepultura Ecclesiastica. Clerici vero in loco sacro non interdicto, sicuti et laici, si specialiter non sint Interdicti, nec Interdictum violaverint, sine pulsu, et solemnitatibus sepeliri possunt; imo et personaliter Interdicti, si non sint denuntiati. Sepultus autem ob Interdictum in loco profano, si non sit specialiter Interdictus, vel causa Interdicti, eo finito in locum sacrum transferri debet: si vero Interdictus in loco sacro sepultus fuerit, non erit exhuman-

dus. Vid. Laym. in *Th. mor.* 5° Si interdicitur Clerus, non interdicitur populus, nec e contra: *c.* 16. *de sent. Excom. in* 6. nec in Interdicto personali generali comprehenditur Episcopus, nisi exprimatur: *c. Quia periculosum, de sent. Excom. in* 6. nec peregrini et exteri, licet diu ibi habitent, uti studiosi, qui tamen comprehenduntur sub Interdicto locali. 6° Violantes Interdictum graviter peccant, exercendo actum ordinis fiunt irregulares, et cogentes in loco interdicto celebrare, vel ipsi Interdicti post monitionem non exeuntes, Excommunicationem Papae; sepelientes Interdictos in loco sacro, Excommunicationem Episcopo reservatam incurrunt: *Clement.* 1. *de sepult.* ac Religiosi non servantes Interdictum a Papa vel Ordinario latum, licet sint exempti, excommunicantur. 7° Interdictum a iure latum a Papa, vel a Superiore, a quo latum est, vel eius delegato per absolutionem tollitur. 8° *Cessatio a Divinis* est prohibitio Ecclesiastica Clericis facta, ut ab Officiis Divinis et administratione Sacramentorum in aliquo loco, in signum moeroris, ob iniuriam illi factam, abstineant. Non privat sepultura Ecclesiastica, nec est censura; et licet eius violatio sit graviter peccaminosa; non tamen inducit irregularitatem: *c.* 18. *de sent. Excom. in* 6. non debet durare ultra mensem; alias per se desinit: *c.* 8. *de off. Ordin. in* 6.

Art. 11. *De depositione, et degradatione.*

§ 501. Praeter Censuras, quae sunt poenae medicinales (§ 486.), Ecclesia habet alias poenas, quae sunt in meram vindictam. Harum prima est *Depositio,* quae est poena Ecclesiastica, per quam persona Ecclesiastica, ob enorme crimen, v. g. furtum, homicidium, etc. ab Ordine, vel Iurisdictione, vel a Beneficio, vel ab Officio simul et Beneficio per sententiam sola voce prolatam in perpetuum removetur; ita tamen, ut non privetur privilegio Fori, et Canonis. Vide meas *Inst. I. E. tom.* 3. § 1312. Depositio quid?

§ 502. Altera poena est *Degradatio* seu depositio realis; quae est poena Ecclesiastica, qua Clericus propter criminis atrocitatem solemniter, et authentice, non tantum Ordine, Officio et Beneficio, sed etiam privilegio Fori, et Canonis privatur, ita ut degradatus instar laici a potestate saeculari incarcerari, condemnari, et secundum leges civiles puniri, et sine periculo Excommunicationis percuti possit. Degradatio.

*Schol.* Solemnitates Degradationis a Pontificali Romano ita describuntur. Degradandus sacris vestibus Ordinis sui induitur, et ad Episcopum adducitur, a quo coram aliis Episcopis, vel Abbatibus, vel personis in dignitate Ecclesiastica constitutis singulis Ordinum insignibus, incipiendo a supremo gradu, usque ad infimum, seu superpelliceum, privatur: deinde caput raditur, et Episcopus subiungit: *Auctoritate Dei omnipotentis P. et F. et S. S. ac nostra, auferimus tibi habitum clericalem, et deponimus, degradamus, spoliamus, et exuimus te omni Ordine, Beneficio, et Privilegio Clericali.* Deinde degra- Modus degradandi.

datus traditur iudici saeculari, facta intercessione, ut mitiorem, quam mortis poenam imponat, etsi forte a iudice saeculari ad mortem condemnetur. Degradatio igitur est actus Ordinis Episcopalis, debetque fieri ab Episcopo consecrato: sententia tamen Degradationis, vel Depositio verbalis, utpote actus iurisdictionis, ab Episcopo non consecrato, Capitulo sede vacante, et Vicario generali ex speciali mandato fieri potest. Vid. cit. *Inst. I. E. tom.* 3. § 1316.

## CAP. XIII.

### *De Lege Civili.*

Lex civilis quid?

§ 503. Praeter legem Ecclesiasticam datur etiam *Lex civilis,* quae fertur a potestate saeculari ad politicam reipublicae gubernationem.

Quotuplex?

*Schol.* Lex civilis dividitur in *praeceptivam,* quae simpliciter aliquid praecipit, vel prohibet: et *poenalem,* quae transgressoribus poenam comminatur. Haec subdividitur in *pure poenalem*, quae tantum statuit poenam, non vero sub culpa ad actum obligat: et in *mixtam*, quae obligat sub culpa et poena.

Principes saeculares leges ferre possunt.

§ 504. Principes saeculares sive boni sint, sive mali, leges ferre possunt. Nam 1° *Matth.* 22. Christus ipse iussit tributum solvi Caesari Ethnico: et Apostolus *ad Rom.* 13. docet, Principes etiam infideles esse *Dei ministros*, ipsisque parendum esse non solum *propter iram*, *sed etiam propter conscientiam.* Et 1. *Petr.* 2. dicitur: *Subiecti igitur estote omni humanae creaturae, sive Regi . . . quia sic est voluntas Dei.* Unde 2° Concilium Constantiense *sess.* 8. merito damnavit hanc propositionem: *Nullus est dominus civilis, nullus Praelatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.* 3° Ratio est: Quia Princeps saecularis potest, et debet prospicere bono communi: sed hoc fit per leges (§ 469.): ergo leges ferre potest.

#### Art. 1. *De obligatione legis civilis.*

Leges civiles obligant in conscientia.

§ 505. Leges civiles obligant in foro conscientiae. 1° Patet ex S. Scriptura, *ad Rom.* 13. *Omnis anima potestatibus superioribus subdita sit: non est enim potestas, nisi a Deo . . . Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt . . . . Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam; ideo enim et tributa praestatis: ministri enim Dei sunt in hoc servientes. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal.* Similia habentur *ad Tit.* 3. et 1. *Petr.* 2. Quae etiam de Principibus saecularibus et Ethnicis dicta sunt, qui licet non attendant ad forum conscientiae, si tamen veram legem condant, obligant in conscientia. Hinc S. Augustinus *ep.* 50. ait: *Quicumque legibus Imperatorum, quae pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande supplicium;* id quod ex citatis verbis Apostoli probat. 2. Lex civilis derivatur ab aeterna (§ 457.). Sed lex aeterna obligat in conscientia. Ergo etiam lex ci-

vilis. Deinde lex naturae dictat, ut iustis legitimorum Superiorum mandatis in bonum commune latis obtemperemus: et in conscientia tenemur (§ 460.).

*Schol.* 1. Ioannes Huss potestatem legislativam solis bonis Principibus concessit, et docuit, leges humanas non obligare in conscientia. **Solvuntur obiectiones.** I. Legislator civilis non potest solvere in foro conscientiae: ergo nec ligare. *Resp.* Disparitas est voluntas supremi Legislatoris Dei, qui Principibus dedit potestatem obligandi per leges, sicuti et parentibus per praecepta; non vero solvendi in foro conscientiae, utpote quam solis Sacerdotibus concessit. II. Potestas Legislatoris civilis est mere temporalis: ergo nequit extendi ad forum conscientiae, quod est spirituale. *Resp.* Est temporalis quantum ad obiectum, quia respicit bonum commune reipublicae; non vero quantum ad obligationem ex illa ortam. III. Nulla potestas humana potest ab homine auferre gratiam sanctificantem: ergo nec sub peccato obligare, per quod gratia aufertur. *Resp.* Legislator non aufert ab homine gratiam, sed ponit legem, ex cuius transgressione privatur gratia, qui eam libere violat. IV. Minima Lex Divina obligat sub veniali: ergo humana sub nullo peccato, quia lex Divina magis obligat, quam humana. *Resp.* Magis, id est, firmius obligat; non vero sub maiori peccato.

*Schol.* 2. Quaeritur hic, an leges irritantes civiles, v. g. Testamenta non solemnia, obligent in foro conscientiae. **An leges civiles irritantes obligent in conscientia?** Multi respondent, has leges obligationem etiam naturalem extinguere, ita ut v. g. haeres in Testamento non solemni institutus nec in foro conscientiae relictam haereditatem exigere, nec accipere valeat. Dicimus, leges civiles irritantes v. g. Testamenta non solemnia resistere illis tantum civiliter, tollendo actionem, et obligationem civilem, relicta tamen obligatione naturali, licet aliquantulum inefficaci, utpote quae per exceptionem constitutionis civilis elidi potest. Nam 1. obligatio naturalis adest, quando certo constat de voluntate donantis, et acceptatione donatarii. Sed haec habetur v. g. in Testamentis non solemnibus; non enim probari potest, quod lex auferat testatori potestatem testandi, quam habet iure naturae, vi cuius de re sua disponere potest. 2. Ubi solutum repeti non potest, ibi saltem naturalis est obligatio: sed relicta in Testamento non solemni, et soluta, repeti non possunt: *l. 2. c. de fideicom.* et *l. 16. c. de Testam.* ergo manet naturalis obligatio. Non obstat I. quod hae leges sint iustae in foro externo: ergo et interno, *Resp.* Sunt iustae in foro interno; sed negatur suppositum, quod potestatem testandi absolute auferant; solum enim faciunt, ut quis efficaciter testari non possit, nec habeat assistentiam iuris, et iudicis; et quoad hoc obligant in conscientia. II. Hae leges fundant se in praesumptione fraudis communiter in Testamentis non solemnibus contingentibus: ergo obligant etiam in casu particulari, ubi fraus cessat. *Resp.* Hae leges obligant ad hoc, ut iudex illis non assistere, nec petens haereditatem consequi possit, cui sententiae iudicis etiam in foro conscientiae acquiescere quis tenetur. III. Legislator ad evitandas

fraudes auferre potest a testatore facultatem testandi sine praescriptis solemnitatibus. *Resp.* Probandum restat, quod hanc facultatem naturalem legislator sustulerit: solum hoc probat obiectio, civilem potestatem ablatam esse. Corollaria practica ex hac nostra sententia alibi de Testamentis deducemus.

## Art. 2. *De legibus poenalibus.*

Leges poenales obligant ad poenam. § 506. Leges etiam pure poenales obligant in conscientia ad poenam legitime impositam subeundam (§ 505.).

An ad culpam? *Schol.* Quaeritur, an leges pure poenales obligent etiam sub culpa in conscientia ad actum ponendum, vel omittendum. Respondemus negative: 1. Quia *c. Nonne, de praesumpt.* dicitur: quod, qui de duobus unum negat, alterum tacendo concedat: sed legislator in lege poenali negat liberationem a poena: ergo illam a culpa, tacendo, concedit. 2. Lex pure poenalis nihil praecipit, vel prohibet, et poenam tantum statuit: sed legislator nequit obligare subditos sub culpa, nisi aliquid praecipiat, vel prohibeat: ergo lex eius ad actum sub culpa non obligat.

Resolvuntur casus. *Corollar. Pract.* 1° An lex sit praeceptiva, aut mere poenalis, colligi potest ex eo, si legislator utatur verbis mere praeceptivis, vel prohibitivis; v. g. severissime praecipimus, ut frumenta hoc pretio vendantur. Si vero nihil directe praecipiat, vel prohibeat, sed tantum poenam transgressoribus imponat, v. g. qui frumenta evehit, incarcerabitur; lex est pure poenalis: si vero simul et praecipit, et poenam imponit, v. g. severissime prohibemus, ne quis frumenta evehat, et qui evexerit, incarcerabitur; est lex mixta. Regula generalis est: Quoties per verba legis poenalis non declaratur sufficienter proprium praeceptum obligans ad actum, vel omissionem eius, praesumendum est, legem esse pure poenalem, nisi poena legis intrinsece supponat culpam theologicam, qualis est poena excommunicationis. 2° Belli dux ex supposito, quod militibus aliunde de necessariis provisum sit, ad servandam disciplinam militarem, et bonam famam exercitus, ac gravia mala avertenda, etiam furtum unius pomi sub poena mortis iuste prohibere potest. 3° Leges tributorum et vectigalium non sunt tantum poenales, sed probabilius obligant in conscientia ad eorum solutionem, licet non exigantur. 4° Leges poenales non obligant in conscientia transgressores ad poenam per se active exequendam ante sententiam declaratoriam iudicis, quia hoc naturae hominum non videtur congruere. Si vero poena latae sententiae est spiritualis, et Ecclesiastica, subinde ipso facto ante sententiam iudicis efficit reum inhabilem ad acquirendum, vel acquisito utendum, uti in censuris latae sententiae, in irregularitate ob crimen, in impedimentis Matrimonii, in privatione vocis activae et passivae, in inhabilitate ad fructus Beneficii obtinendos ob Horas Canonicas omissas. 5° Lex fundata in praesumptione iuris seu periculi generalis obligat in conscientia, licet in casu particulari praesumptio cesset, quia manet motivum legis,

seu periculum commune: lex vero fundata in praesumptione facti particularis, non obligat in conscientia, quando circumstantia, in cuius praesumptione lex fundatur, cessat, quia cessat finis et motivum legis, et praesumptio cedit veritati.

ART. 3. *De promulgatione legis civilis.*

§ 507. Lex Imperialis, ut obliget, debet in singulis Provinciis, vel earum Metropoli promulgari. Ita Imperator decernit *Nov.* 66. tunc demum suas leges in Provinciis obligare, cum in earum Metropoli fuerint promulgatae: quae lex de Testamentis specialiter lata, communiter ad omnes alias leges extenditur, tum ob rubricam generalem: tum quia ratio allata est generalis, scilicet: *Cur enim culpabimus eos, qui positas nostras ignoraverint constitutiones . . . si, eo quod nondum propositae fuerint ignorentur?* Lex civilis debet promulgari

*Coroll. Pract.* 1° Non peccat, qui ex privata notitia novit, v. g. defalcandos esse ducatos, si ducatis in pretio adhuc currente debita solvat, antequam nova lex promulgetur; imo per se loquendo ne quidem contra charitatem peccat, quia utitur iure suo: si tamen praevideat, creditores suos extraordinarium damnum inde esse passuros, ex charitate illud impedire teneretur. Consiliarios tamen, qui ante promulgationem tale decretum produnt, vel hac notitia pro suo commodo in damnum aliorum utuntur, a peccato Layman non aeque excusat; quia illi ex officio tenentur cavere, ne cui ratione novae legis damnum inferatur. 2° Leges Imperatoriae, si certum tempus non exprimant, non obligant nisi post bimestre a promulgatione in singulis Provinciis: *Auth.* 66. *coll.* 5. *t.* 16. ut confusio et querelae impediantur: quod tamen non tenet in statutis inferiorum Principum, et Civitatum, quarum iurisdictio est magis angusta, nec in illis regnis, ubi citata Authentica non est recepta. Vid. § 456. Resolvuntur casus.

ART. 4. *De acceptatione populi.*

§ 508. Nulla Lex Civilis in regimine Monarchico pendet a populi acceptatione. Nam *ad Hebr.* 13. dicitur: *Obedite praepositis vestris.* Et *ad Rom.* 13. *Qui resistit potestati, ordinationi Dei resistit.* Sed qui non acceptant legem a Superiore latam, non obediunt, et illi resistunt. Ergo independenter ab eorum acceptatione lex obligat. Unde damnata est haec propositio ab Alexandro VII. *Populus non peccat, etiamsi absque iuxta causa non recipiat legem a Principe promulgatam.* Deinde Princeps habet voluntatem absolutam per legem datam obligandi, non expectato populi consensu, et hoc potest (§ 455.). Ergo lex eius ab acceptatione populi non dependet. Lex civilis non pendet ab acceptatione.

*Schol.* Dices I. *l. de quibus ff. de legibus* dicitur: *Ipsae leges non alia de causa nos tenent, quam cum iudicio populi receptae sunt.* *Resp.* Hic sermo est de legibus Reipublicae Romanae, cum abiecta Monarchia summa potestas erat penes populum, a quo velut instituente leges pendebant: hinc in regimine Democratico leges ab acce- Solvuntur obiectiones

ptatione, vel potius institutione populi dependent. II. Lex acceptata per consuetudinem populi contrariam abrogari potest; et lex a populo non acceptata est inutilis: ergo ab acceptatione pendet. *Resp.* Lex per consuetudinem abrogatur ex tacito, vel in inre declarato consensu legislatoris. Lex vero non acceptata est inutilis non ratione sui, sed ratione contumaciae rebellium, quae subinde prudentiae Superioris suadet, ut ad alia mala vitanda legem relaxet. III. Reges leges subinde ferunt bono communi nocivas: ergo tunc saltem praesumuntur velle, ut lex vim a consensu populi accipiat. *Resp.* In hoc casu debent subditi pro relaxationo supplicare, et si Princeps nolit, illi obtemperare. IV. Legislator civilis habet suam auctoritatem a populo: ergo ea uti nequit sine consensu populi. *Resp.* Populus iuxta aliquos absolute sine restrictione vim legislativam non ad nutum revocabilem in Principem contulit. Corollaria Practica vid. § 473.

## Art. 5. *De potestate ferendi leges civiles.*

*Quis leges civiles ferre possit?*

**§ 509. Potestas ferendi legem civilem de facto est penes Principem, ubi regimen est Monarchicum: vel penes populum, in statu Democratico: vel penes Principem, et Magnates, vel solos Magnates, in statn Aristocratico (§ 455.).**

*An haec potestas sit in Principe immediate a Deo?*

*Schol.* Quaeritur hic, an potestas legislativa Principis saecularis, seu Maiestas, vel summum imperium sit immediate a Deo. Ubi notandum, Civitatem esse plurium hominum sui iuris, aut familiarum securitatis causa cum admisso communi imperio coniunctionem. Pro causa civitatis impulsiva, et primaria plures statuunt ipsam legem naturalem, quae ordinem imperandi et parendi in qualibet societate perfecta praecipit, quae est medium necessarium pacis et tranquillitatis publicae. Modus constituendi civitatem habetur a conventione, qua plures familiae in unum corpus morale cum admisso communi imperio coeunt; ad quod duplex pactum requiritur: unum est de consociatione, quo omnes in unum, perpetuumquo coetum communis felicitatis causa coeunt; alterum est de submissione, qno imperantem cognoscunt, et rationem ac modum imperii definiunt, quod utrumque pactum plerumque tacitum esse solet. His suppositis, quae a Philosophis moralibus et Publicistis, maxime a Boeclero, et Daries fuse probantur, volunt plures, pactum illud de submissiono esse causam efficientem summi imperii, seu Maiestatis. Nos pro causa efficiente Maiestatis absolute, et qnoad substantiam consideratae immediata, Deum ut Auctorem naturae constituimus. Nam 1. Maiestas civilis quoad suam obligationem a lege Dei naturali immediate dependet: ergo etiam origo Maiestatis quoad suam existentiam ab eodem immediate deducitur. 2. Cum summo imperio civili coniunctum est ius vitae, et necis ex causa delicti et salutis publicae: sed hoc ius non habet sufficiens fundamentum in pacto et translatione populi, qui vitae suae dominus non est: ergo in ordinatione Dei, ceu causa immediata. 3. *Prov.* 8. dicitur: *Per me reges regnant. Ad Rom.* 13.

*Non est potestas nisi a Deo: et qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Quia vero subiectum Maiestatis, modus administrandi, et acquirendi imperium pro diverso rerumpublicarum statu variat, ideo voluntas populi in erectione civitatis necessario se habet per modum causae instrumentalis, quae subiectum Maiestatis, formam reipublicae accidentalem, et modum acquirendi imperium determinat. Plura de his citati Auctores. Ex his vero colligitur, formam reipublicae aliam esse *essentialem*, quae consistit in ordine imperandi et parendi, qui omnibus civitatibus communis est: aliam *accidentalem*, quae sumitur a modo speciali administrandi imperii, et diverso subiecto summi imperii. Scilicet hoc subiectum est vel una persona physica, vel collegium Optimatum, vel totus populus. Unde fluit vulgaris divisio in statum Regium, Optimatum, et Popularem. Regius *Monarchia*: Optimatum, *Aristocratia:* Popularis, *Democratia* nuncupatur.

### Art. 6. *De subiecto legis civilis.*

§ 510. Lege civili obstringuntur, qui subsunt imperio civili legislatoris, et continentur finibus territorii, pro quo lex civilis lata est. Vide § 478. cum Coroll. Subiectum legis civilis.

*Schol.* Clerici directe obligantur legibus civilibus, quas imperans saecularis pro universa civitate constituit, si sacris Canonibus et statui Clericali non repugnent. Nam 1. Clerici, salva sua dignitate, iurisdictione, et Ordine sacro, sunt veri cives reipublicae civilis: ergo etiam in materia politica subsunt potestati legislativae imperantis saecularis, quae in omnes cives territorii fundata est. 2. Obligatio status Ecclesiastici in republica civili est necessaria ad finem legis essentialem, qui est salus et tranquillitas communis civitatis. 3. Clerici sentiunt commoda communia status civilis: ergo aequum est, ut simul sentiant onus obligationis legum civilium. 4. Exemptio Clericorum ab obligatione legum civilium in causis politicis non est iuris Divini, quod potius contrarium docet, iuxta illud Christi, *Matth.* 22. *v.* 21. *Regnum meum non est de hoc mundo.* Et *Matth.* 17. *Reddite Caesari, quae sunt Caesaris.* Et *ad Rom.* 13. *Omnis anima potestati sublimiori subdita sit, non tantum propter iram, sed et conscientiam.* Nec haec exemptio est iuris civilis; siquidem leges civiles vel loquuntur de sola exemptione in causis sacris, et spiritualibus, vel non sunt universales, quia non sunt obligatoriae extra fines imperii, in quo sunt constitutae, aut immutationi successoris in imperio praesertim propter causam boni publici subiacent. 5. Reverentia et obsequium imperantis saecularis ad leges Ecclesiasticas in causis sacris et spiritualibus Maiestatis civilis summitatem ac independentiam non destruit: ergo etiam subiectio Clericorum ad leges civiles in causis politicis sanctitati status Ecclesiastici non est inconveniens, nec contraria. Vid. Petrum de Marca, *Conc. Sac. et Imp. l.* 2. *c.* 7. Hinc admitti nequit, quod leges civiles Clericos obligent nonnisi ex tacita canonizatione, et approbatione potestatis Ecclesiasticae; nam Clerici directe tenentur legibus civilibus.

haec auctoritas potestatis Ecclesiasticae in canonizatione legum civilium requiritur quidem quoad causas spirituales et Ecclesiasticas, quae sunt obiectum iurisdictioni Ecclesiasticae proprium; sed in actionibus, officiis, causis temporalibus et politicis, quae sunt obiectum potestatis legislativae civilis, non est necessaria; alias inferri posset, leges civiles in causis civilibus respectu status Ecclesiastici posse irritari per voluntatem expressam potestatis Ecclesiasticae; quae sequela Maiestati et paci publicae praeiudiciosa foret. Attamen sicuti pro concordia inter Sacerdotium et Imperium, leges Ecclesiasticae non dedignantur promulgari auctoritate imperii civilis; ita et promulgatio legum civilium pro statu Ecclesiastico potestati Ecclesiasticae merito relinquitur, nec potestati Ecclesiasticae denegatur ius interveniendi, si quid dignitati, aut libertati Ecclesiasticae adversum in legibus civilibus forte reperiatur.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Clerici obligantur legibus civilibus, quibus taxatur pretium frumenti, prohibetur certum genus armorum, praescribitur modus aedificandi, testandi, contrahendi. 2° His legibus obligantur Clerici secundum vim directivam, non vero coactivam: unde non incurrunt poenam legibus civilibus decretam, nec a civili Magistratu puniri possunt; sed querela delata ad proprium iudicem Ecclesiasticum, ab eo Clerici contra legem civilem delinquentes condigna poena affici debent, sive illa, quae a lege civili statuta est, sive alia mitiori.

ART. 7. *De materia et cessatione legis civilis, et potestate poenas infligendi.*

Materia legis civilis. § 511. Obiectum seu materia legis civilis praeceptivae sunt tam officia iustitiae, quam officia humanitatis, et aliarum virtutum, quatenus salutem et pacem publicam promovent. Obiectum legis civilis prohibitivae sunt actus inhonesti, aut turpes: item actus adiaphori, quatenus libertas naturalis in iis saluti reipublicae est noxia: item actus honesti, quatenus in certis circumstantiis bono publico et fini legislatoris non conducunt. Sic licet bonum sit, administrare iustitiam, lex tamen vetat, ne administretur die feriato. Obiectum legis civilis permissivae sunt, non solum honesta et indifferentia, sed etiam inhonesta ad evitanda maiora mala, ad quae relative minus malum est relative bonum. Impossibilia vero, nimis ardua, et actus pure interni, ac praeteriti non sunt obiectum legis civilis.

Corpus iuris civilis unde? *Schol.* Lycurgum primo Spartanis leges tulisse tradunt Historici. Post urbem Romam conditam cum summum imperium in Romulo, et subsequentibus Regibus resideret, plures ab iis leges emanarunt, quas Publius, vel uti alii volunt, Sextus Papyrius collegit. Exactis regibus Decemviratu instituto, *Ius 12. Tabularum* partim ex Papyriano, partim ex legibus Atheniensium est institutum, cui *Plebiscita* a plebe, et *Senatus consulta* a Senatu facta accesserunt. *Ius Flavianum* a formulis in iudiciis adhiberi solitis; *Ius vero honorarium* ex responsis Iurisconsultorum, ac Magistratuum ac Praetorum edictis deri-

vatum fuit. Quando autem imperium in Iulio Caesare ad unum hominem rediit, ab eo, et subsequentibus Imperatoribus variae leges emanarunt, quarum plures Gregorius tempore Constantini M. et Hermogenes in unum volumen redegit, unde Codex Gregorianus, et Hermogenianus prodiit. Deinde Theodosius iunior a. 438. octo virorum opera Codicem Theodosianum evulgavit. Ex tribus his Codicibus studio Triboniani, additis subsequentibus decretis, Iustinianus Imperator *Codicem Iustinianum* 12. libros continentem a. 529. publicavit: et ut residuae leges in meliorem ordinem redigerentur, *Digesta* vel *Pandectas*, 50. libros, et 430. titulos complectentes; et quatuor Institutionum libros a Triboniano et aliis sapientibus compositos a. 533. promulgavit: correctoque priori Codice, novum in 12. libros, et 64. titulos divisum, quem vocant *Codicem repetitae praelectionis*, a. 534. edidit. Huic deinde *Novellae* accesserunt, et Irnerius *Authenticas* Codici adiecit. Corpus civile igitur quinque partibus constat; I. 4. Libris Institutionum citantur: *l.* 1. *Inst. t.* 6. § *sed aliquando*. II. 50. Libris Digestorum, seu Pandectarum, quae citantur: *l. lege* 5. *ff. digestorum*, vel *digestis, de iure dotium*, id est, *titulo*. III. 12. Libris Codicis, quae citantur: *l. lege Diffamari, c. codicis, tit. de ingen. manum.* IV. Authenticis; et V. 2. Libris Feudorum.

§ 512. Obligatio legis civilis tollitur per Abrogationem (482. cum Coroll.). Derogationem et Irritationem (loc. cit.). Item per Dispensationem (§ 483.), et Privilegium (§ 485.). Modus tollendi legem civilem.

§ 513. Cum potestate legislatoria civili connexum est ius transgressoribus legum poenas infligendi. Est autem Poena malum physicum ob malum moralem immissum ab eo, qui obligandi ius habet. Hinc poena a reparatione iniuriae differt; nam haec postulatur propter laesionem iuris relativi perfecti: poena vero irrogatur propter violationem legis, qua talem. Poena Quid?

*Schol.* Finis poenarum triplex est: *Satisfactio*, ut in posterum laeso praestetur securitas: *Emendatio*, ut delinquens mutet animum delinquendi. *Exemplum*, ut alii a delinquendo deterreantur. Hinc poena dividitur in *Assecuratoriam, Emendatricem* aut *Medicinalem*, et *Exemplarem*: ubi tamen sola poena medicinalis, et exemplaris proprie poena est. Poena quotuplex?

§ 514. Ius puniendi proprie tale, est penes Principem civilem imperantem. Nam 1° Ius poenae supponit ius in personam puniendi, quod habet solus Imperans. 2° Ius infligendi poenas ad eum spectat, qui poenas sancire potest: sed posterius est ius imperii: ergo etiam prius (§ 513.). Ius puniendi soli imperanti competit.

## CAP. XIV.

### *De Consuetudine.*

§ 515. Quia etiam Consuetudo ex dicendis vim legis obtinere potest; hinc de illa etiam hic agendum est. Est autem *Consuetudo* ius Consuetudo quid?

quoddam moribus constitutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex.

Quotuplex? *Schol.* Consuetudo alia est *facti*, quae iuxta S. Thomam est frequentia operandi libere eodem modo: alia est *iuris*, quae modo definita est. Consuetudo iuris a consuetudine facti ortum suum trahit, quatenus idem est, ac mos populi, id est, actus publicus frequentatus. Non tamen ex omni populi more oritur ius, sed requiritur, ut mos sit rationabilis, reipublicae utilis, et fidei ac Religioni conveniens.

Consuetudo facit legem. § 516. Consuetudo rationabilis potest inducere legem via tam conniventiae, quam praescriptionis. Ita patet 1° ex c. *In his d. 11. In his rebus, de quibus nihil certi statuit Divina Scriptura, mos populi Dei, vel instituta Maiorum pro lege tenenda sunt.* Et *l. De quibus, ff. de Leg. Inveterata consuetudo pro lege non immerito custoditur.* 2° Ratio est, quia rationabilis consuetudo habet omnia ad legem requisita (§ 452. 453.): materiam honestam, et utilem bono communi: intentionem se obligandi; et legitimam potestatem seu communitatis, seu Principis tacite consentientis.

Requisita ad consuetudinem. *Corollarium Practicum.* Ad ius consuetudinis introducendum requiruntur. 1° Actus libere frequentati, et quidem tot, et ita notorii, ut in populi notitiam deveniant: si vero aliquis actus perpetuitatem habeat, v. g. si pons in publico aedificatus a populo toleretur: unicus actus sufficit. 2° Requiritur temporis diuturnitas, quod ex iure civili est decennium: *tit. c. de praescript. longi temp.* 3° Scientia, et tacitus consensus potentis legem condere, qui tunc adesse censetur, si sciens populi morem, cum prohibere possit, eum toleret. 4° Requiritur, ut actus a maiori parte populi frequententur cum animo introducendi obligationem; unde ex iis, quae libere ex devotione fiunt sine obligatione, non nascitur iuris necessitas. Animus autem se obligandi colligitur, si transgressores apud prudentes pro sceleratis reputentur, et poenis ad observationem cogantur.

Consuetudo potest abrogare legem § 517. Consuetudo rationabilis potest abrogare legem humanam etiam irritantem, aut ei derogare (§ 482.), tam via conniventiae, quam praescriptionis. De via conniventiae patet, quia per eam manifestatur mutatio voluntatis in legislatore. De via praescriptionis patet ex *c. fin. de consuet.* ubi dicitur: *Licet longaevae consuetudinis non sit vilis auctoritas, non est tamen usque adeo valitura, ut vel positivo iuri debeat praeiudicium generare, nisi fuerit rationabiliter et legitime praescripta.* Ratio est: Res humanae et iura possunt independenter a voluntate dominorum mutari, et transferri per auctoritatem iuris, uti suo loco de Praescriptione probabitur: ergo etiam leges humanae, quia hoc iura ita decernunt.

Solvuntur obiectiones. *Schol.* Dices I. Consuetudo agendi contra legem non est rationabilis, et non fit cum bona fide, sed cum peccato: ergo non praescribit. *Resp.* Consuetudo contra legem bona fide, et sine peccato induci potest, si primi agentes contra legem sibi persuadeant, ob materiam legis, et quasdam circumstantias legem cessare. Sed demus, ab ini-

tio defuisse bonam fidem in primis transgressoribus, potest illa incipere in successoribus, et sic currere praescriptio. 11. c. *Consuetudinis, d.* 11. dicitur: *Consuetudo non vincit legem. Resp.* Consuetudo particularis non vincit legem universalem.

*Corollar. Pract.* Ut contraria consuetudo legem abroget, debet 1° esse rationabilis, id est, iuri naturali, vel Divino non adversari, nec a iure Canonico reprobari, non peccandi licentiam praebere, nec communi utilitati obesse, alias foret corruptela: c. *ult. de consuet.* 2° Debet esse legitime praescripta, ad quod ordinarie requiritur decennium ad praescribendum contra legem civilem; 40. vero anni contra legem Ecclesiasticam: c. *Ad aures, de praescript.* Tempus autem longissimum sine titulo non sufficit ad praescribendum contra legem, si lex praescriptioni, et contrariae consuetudini resistat: *c.* 1. *de consuet. in* 6. 3° Si lex derogatoria consuetudinis utatur clausula generali: Consuetudine qualibet contraria non obstante; et nil aliud exprimat, videtur tantum tollere consuetudines existentes, non vero futuras; unde contra talem legem adhuc potest praescribi. Item si lex generali clausula prohibeat, quamcumque consuetudinem contra legem introduci, et nil aliud exprimat, non censetur comprehensa consuetudo immemorialis: nec tamen haec clausula inutilis est; facit enim, ut Magistratus vigilet, ne contraria consuetudo inducatur, nec tacitus consensus legislatoris facile praesumi potest. Si vero lex Canonica consuetudinem velut irrationabilem reprobet, omnis consuetudo intelligitur. 4° Ad praescribendum contra legem Superioris non requiritur eius scientia, et tacitus consensus: *gloss. c. In istis, d.* 4. Nam praescriptio etiam currit contra ignorantem; requiritur tamen bona fides, sine qua impossibile est consuetudinem praescriptivam inchoare, quae rationabilis esse debet. Hinc in tali praescriptione semper intervenit probabilis ignorantia praescribentium: licet autem forte primi non sine peccato legem transgressi fuissent; successores tamen, videntes legem non observari, praesumere possunt, hoc ex iusta causa sine peccato factum fuisse, et ita bona fide praescriptionem continuare. 5° Omnes leges humanae, et Ecclesiasticae per rationabilem consuetudinem tolli possunt. Hinc Censurae legibus annexae, et leges etiam infirmantes per contrariam consuetudinem rationabilem abrogari possunt. 6° Consuetudo tum praeter legem, tendens ad ius novum, tum contra legem, unico actu contrario interrumpitur, quia in prima animus se obligandi, in altera bona fides deficit. Hinc si ante tempus praescriptionis legitimum legislator transgressores puniat, vel in tribunali suo pro lege contra consuetudinem iudicet, praescriptio interrumpitur, et de novo inchoari debet. Elapso vero tempore, consuetudo legitima per unum actum contrarium non tollitur. Resolvuntur casus.

§ 518. Consuetudo etiam legem interpretari potest: c. *Cum dilectus, de Consuet.* et *l. si de ff. de Leg.* ubi dicitur optima Legum interpres.

§ 519. Ad ius consuetudinarium revocari etiam potest *ius gentium*, Ius gentium quid?

quod est ordinatio rationis longaevo gentium usu, Deique societatis humanae gubernatoris consensu inductum ad gentium qua talium publicam felicitatem: adeoque ius gentium vim legis obligantis habet.

*Schol.* ius gentium differt 1. a iure naturae, quia illud ex consensu populorum; hoc sine nostra voluntate sancitum est: illud respicit obiecta arbitraria ad maius commodum societatis; hoc respicit obiecta in absoluta necessitate fundata: illud est absolute mutabile, et tantum plerisque commune; hoc est absolute immutabile et universale. 2. Differt a iure civili, quod respicit privatas civium necessitates. Obiectum iuris gentium in genere est omne illud, quod ex fine suo tendit ad convenientem gentium communicationem, uti Legatorum immunitas, commerciorum libertas, bellum iustum, etc. Custodiamus igitur Legem Domini semper, qui sit capitis huius de Conscientia et Legibus Finis.

# TRACTATUS X.

## DE VITIIS, ET PECCATIS.

### CAP. I.

*De notione, et natura peccati.*

Peccatum quid? § 520. Actus humani regulis morum difformes dicuntur vitia et peccata, quae cum virtutibus opponantur, specialia peccata virtutibus opposita in subsequentibus capitibus considerabimus; hic autem prius natura peccati in genere explicanda est. *Peccatum* igitur recte a S. Augustino definitur: Dictum, vel factum, vel concupitum contra legem aeternam.

Vitium quid? *Schol.* 1. Vitium in moralibus saepe cum peccato confunditur, licet inter se differant: *Vitium* enim proprie est habitus inclinans ad peccatum: Peccatum vero est actus inordinatus a vitio promanans. Per ly *dictum*, *factum*, *concupitum* in definitione peccati explicatur materiale, et reale illius: per ly *contra legem aeternam* ostenditur eius formale, seu defectus realitatis et perfectionis actui debitae.

An vitium sit contra naturam hominis? *Schol.* 2. Quaerunt hic Scholae, an omne vitium sit contra naturam hominis, seu homini disconveniens. Respondemus affirmative. Nam 1. ita docet S. Augustinus *l.* 3. *de lib. arbitr. c.* 13. *Omne vitium, eo ipso quod vitium est, contra naturam est.* 2. Omne vitium, etiam virtuti infusae contrarium, est dispositio hominis contra id, quod convenit eius naturae rationali, quia omne vitium contrariatur virtuti, quae est conveniens naturae hominis: ergo est contra naturam hominis. 3. Vitium ponit in homine impedimentum ex natura non ortum, ne homo vel a recta ratione per virtutes acquisitas, vel a Deo per virtutes infusas perficiatur, quia contra illas virtutes pugnat: ergo est contra naturam hominis. Non obstat I. quod *Sap.* 12. dicatur: *Erat enim naturalis malitia eorum.* Id quod fluit ex defectibilitate hominis. *Resp.* Dicitur naturalis malitia eorum, non quod sit

eorum naturae conformis, sed in quantum in consuetudinem redacta est, quae est quasi altera natura; homo est naturaliter defectibilis, quatenus habet naturam, quae deficere potest; non vero quasi haberet inclinationem ad peccatum, quam certe anima rationalis non habet. II. Si vitium esset contra inclinationem hominis, non esset voluntarium, nec posset homo illi assuefieri, quod tamen in pluribus falsum est. *Resp.* Vitium non est contra inclinationem hominis elicitam, sed contra innatam. Deinde, quae sunt ita contra naturam, ut repugnent eius principiis essentialibus, vel proprietatibus, uti irrationalitas, illis homo assuefieri nequit; secus vero, si sint ita contra naturam, quatenus inclinant ad ea, quae non sunt naturae consentanea; haec enim inclinatio a vitio induci potest. III. Quaedam peccata sunt specialia contra naturam, uti Sodomia: ergo non omnia. *Resp.* Illa peccata carnis dicuntur speciali ratione esse contra naturam, quia sunt contra ordinem naturalem ab Auctore naturae ad generationem praescriptum, et sic sunt etiam contra naturam hominis, prout animal est: alia autem vitia sunt contra naturam hominis, prout homo est, et quatenus rectae rationi repugnant. IV. Vitia virtutibus infusis opposita non sunt contra legem naturae, quae actum supernaturalem non praecipit, et lumine naturae cognosci non possunt: ergo non sunt contra naturam. *Resp.* Vitia illa non sunt contra legem naturae immediate, et directe, bene vero mediate, quia lex naturae dictat, esse obediendum Superiori legitime praecipienti; et indirecte, quia ponunt impedimentum, ne natura convenienter perficiatur.

An formale peccati sit privatio?

*Schol.* 3. Ulterius quaerunt Scholae, an formale constitutivum peccati commissionis consistat in aliquo positivo, an in privativo. Salmanticenses putant, in aliquo positivo consistere. Respondemus, formale constitutivum peccati etiam commissionis consistere in aliquo privativo, seu in defectu ulterioris realitatis, sive rectitudinis actui inesse debitae. Nam 1. S. Scriptura saepe peccatum vocat *nihil: Amos 6. Qui laetamini in nihilo.* Item explicat peccatum per aversionem a Deo: *Is. 1. Vae genti peccatrici . . . . dereliquerunt Deum.* 2. Patres peccatum in privatione boni reponunt. S. Dionysius *de Div. Nom. c. 4. Peccatum non est aliquid existens, aut inexistens, sed privatio boni.* S. Augustinus *tr. in Ioan. Peccatum nihil est, et nihil fiunt homines, cum peccant.* Ita etiam sentiunt reliqui Patres; et S. Thomas 1. 2. *q.* 10. *a.* 1. ait: *Actus est malus moraliter, in quantum ei deficit de plenitudine essendi.* 3. Malum est essentialiter privatio, et non ens; nam omne ens, in quantum est ens, bonum est: sed peccatum malum est: ergo est essentialiter privatio. Deinde si malitia moralis sit quid reale positivum, Deus ceu causa universalissima omnis realitatis, qualis est quid positivum, consequenter etiam deformitas peccati, iuxta adversarios esset causa huius deformitatis, adeoque etiam peccati, quod falsum est: siquidem peccatum non habet causam efficientem, sed solum deficientem, cum e contra entitas positiva a causa efficiente procedat. Non obstat

**I. quod S. Scriptura explicet peccatum per aliquid positivum: *Ier.* 2.** per *fodere cisternas*: *Osee* 9. per *dilectionem vanitatum* et abominationnm. *Resp.* S. Scriptnra modo per positivum, modo per negativum peccatum explicat ita ut privativum sit formale, positivum materiale peccati. II. Peccatum commissionis est malum, morale per positivam tendentiam, et vitalem in obiectum malum quae tendentia est quid positivum. *Resp.* Illa tendentia non est formale peccati, sed tantum materiale, quae non est moraliter mala formaliter, sed tantum fundamentaliter, quatenus ulteriorem realitatem, et perfectionem habere deberet. III. Inter actum bonum et malum est oppositio contraria, quae datur inter duo positiva. Item moralitas in genere consistit in aliquo positivo, scilicet in ordine transcendentali ad obiectnm conforme regulis morum: ergo etiam moralitas specifica peccati. *Resp.* Malum in concreto sumptum pro materiali connotante privationem, opponitur bono contrarie: secus, si sumatur in abstracto pro formali malitia, quo modo privative opponitur. Deinde moralitas in genere non est genus univocum ad bonitatem, et malitiam; sed analogum importans unam rationem positivam, alteram negativam. IV. Privatio rectitudinis debitae inest actui intrinsece malo, et ab eo abesse nequit; alias actus intrinsece malus, v. g. odium, foret capax rectitndinis; imo peccatum prohibetur: ergo eius formale quid positivum erit. *Resp.* Actus intrinsece malus non est capax rectitudinis, si spectetur secundum gradum specificum reduplicative, prout est peccatum: secus, si spectetur secundum gradum genericum specificative, prout est actus humanus. Item peccatum prohibetur directe quoad materiale, quod est quid positivum, et consequenter qnoad formale, quod materiale secum habet, tamquam privationem debitae rectitudinis.

## Art. 1. *De distinctione specifica peccatorum.*

Distinctio specifica peccatorum unde sit?

§ 521. Distinctio specifica peccatornm moralis desnmitur 1° ab oppositione cum diversis virtutibus. 2° a diversis praeceptis. 3° a diversis obiectis formalibus seu motivis prohibendi. 4° a diverso modo, quo homo tendit in obiectum. 5° a circumstantiis, pront transeunt in rationem obiecti. Ultimato vero semper specifica peccatorum distinctio sumitur a praeceptis formaliter diversis, quia peccatum est intrinsece transgressio legis, vel praecepti.

Divisio peccati.

*Schol.* 1. Iuxta has notas igitur peccatum dividitur 1° in *Originale*, quod contraximus in Adamo, quatenus nostrae voluntates in eius voluntate inclusae erant, de quo egimus ( t. 1. § 263. et seqq. ): et in *Personale*, qnod propria volnntate peccantis committitnr. 2° Personale peccatum aliud est *Commissionis*, qnando ponitnr actio prohibita, v. g. furtum: aliud est *Omissionis*, quando omittitur res praecepta, v. g. Missa. 3° Personale aliud est *actuale*, seu ipse actus, vel omissio difformis legi: aliud est *habituale*, seu actuale commissum nondnm retractatum, nec a Deo remissum, adeoque mo-

raliter perseverans. Peccatum vero, quod committitur ex contracto malo habitu, vocatur *habituatum*. 4° Peccata alia sunt *carnalia*, quae in delectatione carnis perficiuntur, uti gula, luxuria, etc. alia *spiritualia*, quae consummantur delectatione spirituali, licet eorum obiecta sint quid materiale, uti superbia, invidia, etc. 5° Alia peccata sunt *contra Deum*, quae immediate et specialiter illis virtutibus repugnant, quibus obligamur tendere in Deum, uti infidelitas: alia sunt *contra proximum*, quae specialiter repugnant charitati proximi, uti furtum, etc. alia sunt *contra nos ipsos*, quae specialiter sunt contra temperantiam, et moderationem passionum. 6° Alia sunt *peccata infirmitatis*, quae ex gravi tentatione: alia *ignorantiae*, quae ex ignorantia culpabili: alia *malitiae*, quae ex malitiosa determinatione voluntatis potius, quam ex tentatione, vel errore fiunt. 7° Alia sunt peccata *cordis*, alia *oris*, alia *operis*, prout cogitatione, verbo, vel opere perficiuntur. 8° Peccatum dividitur in *Mortale*, et *Veniale*, de quibus inferius. 9° Peccatum aliud dicitur *Theologicum*, si consideretur prout est offensa contra Deum: aliud *Philosophicum*, si consideretur prout contrariatur rectae rationi.

*Schol.* 2. Quaeritur, an detur peccatum pure Philosophicum, quod graviter quidem repugnet rectae rationi, quin sit transgressio legis Divinae et offensa Dei. Respondetur negative. 1. Quia Alexander VIII. hanc propositionem $2^{am}$: *Peccatum Philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens rectae rationi et naturae rationali: Theologicum vero et mortale est transgressio libera Divinae legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum; sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna poena dignum;* tamquam scandalosam, temerariam, erroneam, et piarum aurium offensivam damnavit. 2. Ratio est: quando attingitur peccatum ut disconveniens rectae rationi, hoc ipso attingitur ut disconveniens Legi aeternae, sive, ut prohibitum a Deo, quia dictamen rectae rationis est quasi praeco Divinae voluntatis. Deinde non datur ignorantia invincibilis Dei ( t. 1. § 41. cum Schol. ). Ergo nec peccatum pure Philosophicum, quod hanc ignorantiam supponit. Obiicit P. Bruyn. I. Peccatum Philosophicum saltem hypothetice defendi potest, quia S. Thomas 1. 2. *q.* 71. *a.* 6. ait, peccatum a Theologis considerari prout est offensa Dei: a Philosophis prout contrariatur rectae rationi. *Resp.* S. D. non dicit, quod peccatum ut contrarium rationi, sine respectu ad legem Dei aeternam, spectari possit. II. Peccatum Philosophicum foret quidem offensa Dei, sed non transgressio legis illius invincibiliter, ut supponitur, ignoratae. *Resp.* Falso supponitur, quod peccatum ordinem rationis pervertat, quin simul cognoscatur ut transgressio Legis Divinae. An detur peccatum Philosophicum?

*Schol.* 3. Rursus alia peccata dicuntur *Capitalia*, ex quibus alia oriuntur; et septem numerantur, scilicet: Superbia, Avaritia, Invidia, Ira, Luxuria, Gula et Acedia; de quibus agemus, ubi de virtu- Peccata Capitalia.

Peccata in Spiritum S. tibus illis oppositis sermo erit. Alia sunt peccata *in Spiritum S.* per quae repelluntur specialia gratiae dona, quae sunt effectus Divini amoris, qui Spiritui S. tribuitur. Sex numerantur, scilicet: Praesumptio, Desperatio, agnitae veritatis Impugnatio, quando ex malitia fidei et Religionis veritas impugnatur; fraternae charitatis, scilicet gratiae, et donorum Dei proximo collatorum Invidentia; Obstinatio in pravo proposito, et Impoenitentia; de quibus item alibi.

Peccata in coelum clamantia. Alia sunt peccata *in coelum clamantia*, quae ob specialem malitiam Divinam ultionem illis graviter accersunt, qui eam committunt, suntque haec quatuor: Homicidium voluntarium, quod in coelum clamare dicitur, *Gen.* 4. Peccatum Sodomiticum, de quo *Gen.* 19. Oppressio pauperum, viduarum, et pupillorum, *Exodi* 22. Merces operariorum defraudata, *Deut.* 24. *Iac.* 5. Denique alia sunt peccata *aliena*, quae quidem ab alio complete committuntur, ita tamen, ut propriae voluntati nostrae tamquam causae aliquo modo concurrenti imputentur, quod fit novem modis. 1. Iussione, dato mandato alium ad peccatum inducendo, uti David occidit Uriam, 2. *Reg.* 11. 2. Consilio, consulendo peccatum, vel modum peccandi, uti Achitophel Absaloni, 2. *Reg.* 16. 3. Consensu, approbando alterius peccatum, uti Saulus mortem S. Stephani, *Act.* 7. *v.* 60. 4. Irritatione, verbis vel factis alium ad peccatum provocando. 5. Laudatione, vel adulatione, alterius factum depraedicando. 6. Reticentia, fraternam correctionem, aut delationem ad Superiorem omittendo. 7. Conniventia, peccatum non arguendo. 8. Participatione, bona iniusta cum aliis retinendo, et recipiendo. 9. Defensione, malefactori patrocinando. De quibus omnibus suo loco.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Licet ambulare, et ludere sint actus specie physica diversi, quatenus tamen sunt causa neglecti Sacri, non differunt specie morali, quia uni tantum praecepto, audiendi Sacrum, opponuntur. E contra unus physice actus homicidii in templo: duas specie malitias homicidii, et sacrilegii includit. 2° Licet simplex furtum sit transgressio legis humanae, Divinae, et naturalis, habet tamen unicam speciе malitiam, quia opponitur uni praecepto non furandi a tribus Legislatoribus dato. 3° Illa praecepta sunt formaliter diversa, quae versantur 1. circa materiam notabiliter diversam, v. g. praeceptum ieiunii, et Missae audiendae: vel circa eamdem materiam ex diversis motivis formalibus, uti dum praecipitur ieiunium ex motivo obedientiae, et temperantiae. 2. Si aliunde constet, quod Legislator intendat diversam obligationem. Quando vero materia est eadem, idem motivum, et eadem Legislatoris intentio, leges tantum materialiter diversae unum specie peccatum constituunt, uti si praecipitur ieiunium in Quadragesima, et Vigilia. 4° Circumstantiae etiam saepius speciem peccati mutant (§ 435. Schol.).

### Art. 2. *De distinctione numerica peccatorum.*

Distinctio numerica. **§ 522. Distinctio numerica peccatorum ex sequentibus regulis co-**

gnosci potest. 1° Tot sunt numero distincta peccata tum in diversis, tum in eodem physice actu, quot sunt obiecta numero distincta moraliter non unita, in quae actus tendit. Ratio est, quia idem actus malus, tendens in plura obiecta specie morali distincta, contrahit plures malitias specie diversas: ergo etiam idem actus tendens in plura obiecta numero distincta, non unita contrahit plures numero malitias (§ 521.), cum malitia actus desumatur ex ordine ad obiectum, prout est difforme legi, et rectae rationi (§ 434.). Peccatorum unde sumatur?

2° Toties peccata interna, vel externa numero multiplicantur, quoties ponuntur actus realiter distincti non uniti moraliter, seu quoties voluntas peccandi moraliter interrumpitur, licet circa idem numero obiectum contingat. Nam toties destruitur moralis unitas actuum peccaminosorum, et disceditur ab actu peccaminoso, ita ut actus illi sint completi, nec cum aliis continuati: ergo per se, et independenter ab aliis sunt peccata.

*Coroll. Pract* 1° Illa obiecta sunt numero distincta, et moraliter non unita, quae nec ex sua natura, nec ex communi hominum usu, aut prudentum iudicio ad eumdem finem ordinantur, seu ad idem peccatum complendum; quaeve nec mutuo se augere possunt, nec invicem communia sunt, sed habent proprias rationes completas. Hinc plura numero peccata committit, qui uno actu, sciens ac volens, tres homines occidit; qui uno discursu pluribus detrahit: qui durante eadem voluntate peccandi fornicationem saepius repetit: qui a pluribus etiam unico actu furatur, quia quodlibet peccatum est completum, et laeduntur tot distincta iura, et praecepta, quot sunt distincti homines, et distincta moraliter numero obiecta. E contra unum numero peccatum committit, qui simul ab uno 100. florenos aufert, qui unam moraliter gravem summam constituunt. 2° Illi actus dicuntur moraliter uniri, qui vel tamquam media ad eumdem finem, vel tamquam partes, et complementa ad eumdem effectum referuntur: sic qui proponit occidere inimicum, sumit gladium, quaerit hostem, inventum occidit; unum numero peccatum committit, et sufficienter se accusat, dicendo: deliberate homicidium commisi. 3° Voluntas peccandi moraliter interrumpitur 1. quando plures actus successive exercentur circa plura obiecta complete distincta, v. g. si detrahas Petro, postquam detraxisti Paulo. 2. Si actus voluntatis retractetur vel formaliter per poenitentiam, vel interpretative per cessationem voluntariam, et notabilem sine positiva retractatione; quod fit, quando animus deliberate convertitur ad aliquid, cum actu antea intento incompossibile: cessatio vero notabilis est, si inter plures actus nullo voluntatis affectu inter se connexos tanta temporis mora intercedat, ut prudenti iudicio discontinuari censeantur. Interim haec cessatio debet esse voluntaria; si enim animus indeliberate per somnum, ebrietatem et involuntariam distractionem ad alia convertatur, et deinde antiquum propositum renovet, voluntas non censetur moraliter interrumpi, et nonnisi unum numero peccatum erit, nisi haec distractio Resolvuntur casus

longo tempore 3. vel 4. diebus duraret. 4° Quia saepe moraliter impossibile est numerum certum explicare, sufficit in Confessione moram temporis exprimere: v. g. per annum in odio vixi, et quoties memoria inimici occurrit, propositum ei nocendi renovavi. 5° Si quis uni in eodem aestu saepius malum imprecetur, idem numero peccatum ob unum actum odii internum, ad quem imprecationes referuntur, committit. Item qui durante eodem impetu saepius blasphemat, unum numero peccatum committit, eo tamen gravius, quo saepius imprecationes et blasphemias repetit. Similiter unum numero peccatum sunt oscula, et tactus, ad unam copulam fornicariam intentam, et secutam; secus, si copula illa non intenderetur, sed per accidens sequeretur; excipiuntur etiam actus per se iam completi, uti pollutio. 6° Si quis eidem in uno aestu diversa mala, v. g. mortem, infamiam, etc. imprecetur; et advertens specificam diversitatem malorum eam intendat, propter obiecta specie diversa plura specie peccata committit: si vero illa sub uno genere mali apprehensa imprecetur, uti plerumque contingit, unum numero peccatum committit. Qui vero uno actu idem malum pluribus imprecatur, uno actu pluribus scandalum praebet, detrahit, damnum, et iniuriam infert, tot numero peccata committit, quot personarum iura et charitatem debitam laesit; unde numerum personarum in Confessione exprimere debet. Item plura peccata sunt, eidem uno actu in diversa materia detrahere, quia laeduntur iura ad plures famas diversas. Denique multiplex peccatum committit, qui uni coram pluribus detrahit; per hoc enim, quod fama apud unum tollatur, manet ius ad famam apud alterum.

### Art. 3. *De peccatorum inaequalitate.*

Peccata non sunt aequalia. § 523. Cum varia peccata specie inter se distinguantur (§ 521.), sequitur, non omnia peccata esse inter se aequalia. Sic Christus ipse *Ioan.* 19. Pilato dixit: *Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.* Et *Ier.* 7. dicitur: *Peius operati sunt, quam patres eorum.* Ratio est: Peccata speciem sortiuntur ab obiectis, et virtutibus oppositis, ac praeceptis, etc. (§ 521.). Sed haec non sunt aequalia. Ergo nec peccata.

Solvuntur obiectiones. *Schol.* Dices cum Stoicis: I. Peccatum est privatio, quae non suscipit magis, et minus: maxime quia totaliter tollit formam virtutis oppositam. *Resp.* Privatio in facto esse non suscipit magis, et minus; bene vero in fieri, quia non aequaliter relinquit inclinationem naturalem ad bonum honestum, quae est radix rectitudinis. Item peccatum tollit formam virtuti immediate oppositam, non vero mediate oppositam, scilicet principia practica bona, synderesim, inclinationem ad bonum honestum, contra quam peccatum solum magis, vel minus pugnat. II. peccare est transgredi regulam rationis: nihil autem refert, an parum, vel multum eam quis transgrediatur. *Resp.* Non solum praecipitur, ut regulam rationis non trasgrediamur, sed etiam, ne ultra eam progrediamur, ubi quo magis quis progreditur,

eo magis peccat. III. S. Basilius in *reg. brev.* ait: *Scire illud convenit, differentiam hanc maiorum, et minorum peccatorum nusquam in novo Testamento reperiri.* Et S. Isidorus *l.* 8. *orig. c.* 6. *Ille tam nocens est, qui paleas furatus fuerit, quam qui aurum.* Et S. Thomas *q.* 2. *de malo a.* 4. *ad* 4. docet, ea saltem peccata, quae solo iure positivo prohibentur, esse aequalia. *Resp.* S. Basilius, si tamen liber citatus eius partus sit, solum vult, nulla esse peccata tam parva, quae negligi, et contemni debeant. S. Isidorus sententiam Stoicorum, non suam refert. S. Thomas loquitur de legibus humanis determinantibus modum virtutis indivisibilem, ubi omnia peccata contra eamdem virtutem sunt aequalia, v. g. omnes omissiones Missae.

### Art. 4. *De peccatorum gravitate.*

§ 524. Gravitas peccatorum ex obiecto, circumstantiis, et nobiliori virtute, cui peccatum opponitur, desumi debet. Nam obiectum est primum et principale principium moralitatis actuum humanorum (§ 434.). Ergo contra quanto nobilius obiectum agitur, tanto gravius est peccatum. Deinde, quo nobiliori virtuti peccatum opponitur, eo praestantius est obiectum, circa quod versatur, et praeceptum gravius. Ergo ab oppositione ad nobiliorem virtutem suam gravitatem desumit (§ 521.). Denique circumstantiae etiam mutant speciem peccatorum (§ 521. et 435.). Ergo ab iis eorum gravitas desumitur. Gravitas peccatorum unde sumatur?

*Corollar. Pract.* 1° Peccata, quae sunt immediate et directe contra Deum, qualia sunt, quae opponuntur virtutibus Theologicis per se, sunt omnium gravissima: deinde sequuntur peccata, quae sunt contra substantiam hominis, uti homicidium; tandem peccata, quae sunt contra res exteriores. 2° Inter peccata, quae eidem virtuti opponuntur, illud est gravius, quod principaliori eius intentioni repugnat: sunt enim quaedam virtutes, quae principalius ordinantur ad compescendum v. g. appetitum sensitivum, uti intemperantia est gravius peccatum, quam insensibilitas. 3° Gravitas peccati augetur ex maiori voluntate peccandi: unde peccata ex ignorantia et passione sunt minus gravia, quia minus libera, quam peccata, quae sunt ex fine magis alliciente. 4° Augetur gravitas peccati ex conditione personae peccantis deliberate, ob maiorem cognitionem, ingratitudinem, etc. Item ex conditione personae, in quam peccatur, si sit sanguine iuncta, sacra, in dignitate constituta. Item ratione damni subsequentis, si fuerit intentum, vel praevisum, vel per se ex peccato sequatur. 5° Peccata carnalia per se, et caeteris paribus minora sunt, quam spiritualia; quia carnalia solum directe offendunt corpus proprium, spiritualia vero directe offendunt Deum et proximum: carnalia tamen maioris sunt infamiae quia sunt circa delectationes nobis, et brutis communes, et plus habent de conversione ad bonum corporale, cum tamen spiritualia habeant plus aversionis a Deo: adeoque peccata mortalia superbiae, et invidiae sunt graviora peccatis ebrietatis, et luxuriae. Resolvuntur casus.

## CAP. II.

### *De Peccato mortali.*

Peccatum mortale quid? § 525. Ratione gravitatis, et inaequalitatis, peccatum dividitur in mortalo, et veniale. *Peccatum mortale* est libera transgressio legis graviter obligantis, cum dissolutione Divinae amicitiae, et reatu poenae aeternae.

Quotuplex? *Schol.* 1. Peccatnm mortale ex eo dieitur, qnia mortem animae infert, privando eam gratia habituali, quae est vita animae. Mortale aliud est *per se*, et ex genere suo, quod ex specifiea sua ratione, quam haurit ab obieeto graviter prohibito, scclusa malitia alterius speeiei, potest esse peccatum mortale; nti peeeata eontra Deum, virtutes Theologicas, praeeepta Decalogi, et Ecclesiae. Alind est mortale *per accidens*, quod aliunde, quam ex obiecto vel praecepto potest fieri mortale, v. g. ratione contemptus, et scandali.

Quis sit ultimus finis peccantis mortaliter. *Schol.* 2. Finis ultimns peceantis mortaliter est creatura. Nam *Ier.* 2. dicitur: *Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquae vivae, et foderunt sibi cisternas dissipatas, quae continere non possunt aquas.* Ubi ostenditur, peccatorem, Deo relieto, velle sitim extingnere in aqua foetida, scilicet creatnra. Et *ad Philipp.* 3. *Quorum Deus venter est.* Ubi iterum aliqua ereatura pro Deo seu ultimo fine peecantis assignatur. Et ratio est, quia peceans mortaliter appretiative plus diligit creaturam, quam Deum: *Ioan.* 12. *Dilexerunt magis gloriam hominum, quam Deum.* Ultimns vero finis est id, quod maxime amatur, quia amatur propter se, et caetera propter ipsum. Igitur pcceans mortaliter pro fine ultimo habet proprium, et privatum snum bonum, non seeundum se, sed inordinate amatum usque ad eontemptnm Dei, et exclusionem gratiae, et eharitatis: peccans enim mortaliter amat proprinm et privatum bonum propter se, et eaetera bona particnlaria amat ratione proprii, et privati boni; nam amat bonum eommutabile, in qno sibi imaginatur aliquam convenientiam, et commodum. Ergo finis eius nltimus est bonum privatum, et qnidcm prout inordinate amatum usque ad contemptum Dei, et gratiae exclusionem, quia sic est Deo oppositum, et in enm irreferibile.

An mortale in ratione offensae sit gravitatis infinitae? *Schol.* 3. Peccatum mortale in ratione offensae Dei est gravitatis simplieiter infinitae. Nam gravitas offensae crescit séeundum dignitatem personae, cui irrogatur, quia offensa moraliter est in offenso, sicuti honor est in honorante; offensus enim est patiens, adeoque subieetum reeipiens iniuriam; unde sieuti honor crescit seeundum dignitatem honorantis, ita offensa seeundum dignitatem offensi: sed dignitas offensi scilieet Dei est infinita simplieiter: Ergo etiam offensa in genere morali est infinita simplieiter. Non obstat I. quod hoc modo unum peeeatum non esset altero gravius, quia infinito maius non datur. *Resp.* Non est altero gravius in ratione offensae praecise spectatac ex parte personae offensae; bene vero in ratione

offensae spectatae ex parte obiecti, actus et circumstantiarum, ad quae non tamquam ad causam, sed tamquam ad praesuppositum offensa personalis sequitur. II. Sequeretur, actum charitatis erga Deum esse bonitatis infinitae; et veniale, Deum offendens, esse malitiae infinitae. *Resp.* Deus est tantum obiectum charitatis, non vero subiectum, quod solum dignitatem actui communicat, cum sit quid intrinsecum. Deinde veniale respicit quidem Deum ut subiectum, sed non ut capax infinitatis ratione offensae, quia non tollit rationem ultimi finis.

### Art. 1. *De requisitis ad Peccatum mortale.*

§ 526. Ad peccatum mortale requiritur ex parte *intellectus* plena advertentia ad legem, vel moralem malitiam: ex parte *voluntatis* plenus consensus: ex parte *obiecti* gravitas materiae. Nam 1° gravitas malitiae nullo modo cognita, etiam nullo modo est volita: ergo nonnisi perfecta advertentia, et plenus consensus possunt refundere in actum gravem malitiam. 2° In negotiis, et contractibus magni momenti inter homines requiritur plena advertentia ad onera et obligationes inde emergentes; alioquin non censetur quis illis subiacere: ergo etiam non incurrit aliquis odium Dei, et reatum aeternae damnationis, qui vel non advertit actum, vel obiecti malitiam, nec periculum gravis malitiae; vel non satis libere in eam consentit. Requisita ad mortale.

*Schol.* Peccatum ordinarie solet fieri hoc modo. 1. Excitatur sive a daemone per suggestionem, sive ab extrinseco per visum, auditum, etc. sive ex naturali dispositione, aut infirmitate imago rei delectabilis, aut odibilis in phantasia; unde naturaliter, et necessario oritur motus appetitus sensitivi, qui vocatur *motus primo primus*, quia ante omnem rationis advertentiam ex dictis causis excitatur. Et haec est *tentatio*. 2. Ob hanc excitationem fit cogitatio in intellectu, seu semiplena, et imperfecta advertentia; qualis est in semidormientibus, ita ut periculum plene non advertatur; unde oritur motus vehementior appetitus sensitivi, qui dicitur *motus secundo primus*. 3. Huic motui, dum non resistitur, sequitur in intellectu plena advertentia obiecti, vel actus honesti, aut inhonesti, quam sequitur affectio deliberata voluntatis, vel complacentiae, vel displicentiae. Si displicentia obiecti, et actus inhonesti oritur, tunc homo resistit, vel avertendo animum ad aliud obiectum, vel exercendo actum virtutis, vel suggestionem malam detestando, vel orando Deum, ut liberet a malo. Si vero complacentia obiecti inhonesti oriatur, tunc adest delectatio; et hic est primus gradus peccati mortalis, si obiectum sit graviter malum, quia hic actus est plene deliberatus, et voluntarius. 4. Hic affectus vel est efficax, qui coniungitur cum proposito, vel desiderio exequendi id malum, quod cogitatum est; vel est inefficax, et est simplex complacentia, seu delectatio deliberate de re illicita cogitata, sine voluntate illam opere perficiendi, quae etiam vocatur simplex consensus, seu *delectatio morosa;* non quod requirat moram temporis, brevissimo enim Quomodo peccatum fiat?

tempore perfici potest, sed quod voluntas post plenam advertentiam ei immoretur, et consentiat. Et hic est secundus gradus peccati mortalis. Denique tertius est ipsum opus peccaminosum completum.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Plena et sufficiens advertentia ad peccatum mortale censetur, si consensum praecedat expressa, seu actualis cogitatio malitiae moralis, vel periculi: aut si praecedat expressa aliqua dubitatio: item quando ratio perfecte advertit obiectum malum, quoad circumstantias, quibus moveri potest ad illud exeutiendum, ubi adest deliberatus consensus. Plena advertentia, et deliberatus consensus in homine a somno plene excitato, sine turbatione advertente, quid agat; semiplena in homine non plene a somno excitato, obscure, et turbate obiectum advertente, explicari potest. 2° Ad peccatum mortale non requiritur reflexa advertentia, sive ut quis cognoscat, se advertere; sed sufficit cognitio directa malitiae, quam quis deinde vult. Nec requiritur cognitio formalis ipsius actus; sed sufficit malitiae obiectivae, vel legis, actum prohibentis: malitia autem obiectiva sufficienter cognoscitur esse, si cognoscatur, ut inductiva odii Dei, et poenae aeternae. 3° Signa advertentiae imperfectae, et indeliberationis sunt 1. Si quis velut semidormiens malum apprehenderit. 2. Si vere semidormiens, vel semiebrius fuerit. 3. Si vehementi passione, aut distractione turbatus fuerit. 4. Si post factum rem melius considerans indicet, quod eam non fecisset, si ita cognovisset, aut mentem serenam habuisset. 4° Signa nullius vel imperfecti consensus in dubio sunt 1. Si dubitans serium animum et saepius repetitum propositum habuerit, nunquam peccandi mortaliter, et malit mori, quam Deum graviter offendere: talis praesumere potest, se non consensisse; quae enim saepe detestamur, advertimus nos contra propositum acceptasse. Consuetudinarius vero, et peccata non valde timens, consensum facilius praesumere potest. 2. Dubitans, si super pravas cogitationes se reflectens statim dolorem et aversionem sentiat, praesumere potest, se non consensisse, maxime si sit timoratae conscientiae, et alias in tale peccatum non soleat consentire. 3. Si post tentationem meminerit, se valde timide processisse, conatum ad resistendum adhibuisse, et si in tentatione rogatus fuisset, an vellet consentire, serio respondisset, se nolle; censetur non consensisse. Item 4. si dubitet, an plene vigilans et sibi compos fuerit. 5. Si potuit exequi peccatum, nec tamen fecit. 6. Si adsit defectus aetatis: sola vero perseverantia delectationis non est signum praestiti consensus. Prudentia Confessarii hic succurrere debet. 5° Dubitans, vel deliberans, an debeat peccato gravi consentire, graviter peccat, quia re ipsa peccatum cum Deo super omnia diligendo confert, et periculo proximo consensus se exponit; unde speciem peccati in Confessione exponere debet. 6° In illis peccatis non datur parvitas materiae, in quibus semper integra ratio gravis malitiae, sive materia magna, sive parva fuerit, reperitur; talia sunt, quae Deo imperfectionem immediate imputant: quae ad peccandum maxime allicerent, si non graviter

prohiberentur: quorum materia legi sub poena gravi latae, etsi parva sit, praeiudicat. 7° Materiae quantitas magna, vel parva, vel ex re secundum se spectata, vel ex comparatione ad totum, vel ex ordine ad finem praecepti prudenter desumenda est. 8° Peccatum mortale etiam cognoscitur, si sit contra Decalogum, vel praecepta Ecclesiae in materia gravi: si charitatem proximi et iustitiam in bonis animae, corporis, famae et fortunae graviter laedat: si sit contra seipsum cum gravi animae, vel corporis damno: si imposita sit poena gravis, si Theologi et timorati ita censeant.

§ 527. Ex dictis sequitur, peccatum mortale posse fieri veniale: 1. Ex conscientia erronea, qua quis invincibiliter iudicat, esse veniale, quod de se est mortale (§ 2[illegible].) 2. Ex defectu advertentiae ad legem, et malitiam obiectivam. 3. Ex defectu perfecti consensus. 4. Ob parvitatem materiae tum secundum se, tum ratione circumstantiarum levis (§ 526.). Mortale subinde fit veniale

ART. 2. *De motibus primo-primis.*

§ 528. Motus sensualitatis primo primi, qui omnem rationis advertentiam praevertunt, et quos inviti patimur, licet sint circa obiecta graviter illicita, non sunt peccata. Ita docet 1° Apostolus *ad Rom.* 7. v. 20. iuxta quem non sunt ab homine prout homo est: *Si quod nolo, illud facio.... iam non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum*, scilicet concupiscentia, quae vocatur peccatum, quia ex peccato est, et ad illud inclinat: ergo non sunt peccata (§ 520. Schol. 2. et § 526.) Et *ad Rom.* 8. ait: *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu.* Ergo cum tamen in iis concupiscentia remaneat, non erit peccatum. Nec iuvat dicere cum D. Schubert, ideo nil damnationis illis esse, quia per Christum remissionem peccatorum obtinuerunt: nam ubi est peccati remissio, ibi deest qualitas, quae peccatum morte dignum reddit (t. 1. § 373.): imo Deus non potest peccatum remittere, quamdiu adhuc adest: ergo nec concupiscentia iuxta adversarios est peccatum, quae semper adhuc adest. Deinde *Iac.* 1. *Unusquisque tentatur a concupiscentia abstractus, et illectus: deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum.* Ergo nullum est peccatum, antequam concupiscentia concipiat, id est, consensum voluntatis obtineat: alioquin tentatio et consensus non essent gradus diversi. Respondet Schubert, concupiscentiam gignere inclinationem pravam ex improviso ortam, quae si sola manet, est peccatum involuntarium, et infirmitatis; si vero accedat approbatio, fit consummatum, et proaereticum; hinc distinguit peccatum actuale a concupiscentia, non vero originale. Verum hic supponit D. Schubert, peccatum originale consistere in concupiscentia, quod falsum esse patet (t. 1. § 266.). Item posse dari peccatum involuntarium, quod est contra textus allatos: et ulterius 2° docet S. Augustinus *l. de ver. Rel. c.* 14. *Aut negandum est, peccatum committi, aut fatendum est, voluntate committi.* Et *l.* 2. *de pecc. mer. c.* 4. *In grandibus baptiza-* Motus primo primi non sunt peccata

*tis ad agonem manet concupiscentia, non sibi ad illicita consentientibus nihil omnino nocitura.* Et S. Thomas 2. 2. *q.* 154. *a.* 5. *Primus motus sensualitatis non habet, quod sit peccatum, nisi in quantum iudicio rationis reprimi potest.* Idem definivit Tridentinum *Sess.* 5. *can.* 5. ubi ait, concupiscentiam non nocere non consentientibus, et ideo solum ab Apostolo peccatum appellari, quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat. Accedit damnatio sequentium propositionum Baii: *Prava desideria, quibus ratio non consentit, et quae homo invitus patitur, sunt prohibita praecepto, Non concupisces.* Item: *Concupiscentia, sive lex membrorum, et prava eius desideria, quae inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.* 3° Nullum est peccatum, nisi sit voluntarium (§ 525. 526.). Sed motus primo primi non sunt voluntarii: ergo non sunt peccata. Dices, esse voluntarios in causa, scilicet, peccato originali nobis in Adamo voluntario. Sed ad peccatum personale requiritur omnino voluntarium personale; et merito Alexander VIII. damnavit hanc propositionem: *In statu naturae lapsae ad peccatum, et demeritum sufficit illa libertas, qua liberum, ac voluntarium fuit in causa sua, peccato originali, et voluntate Adami peccantis.* Denique nemo ad impossibile tenetur. Sed impossibile est homini impedire motus primo primos; imo, quando iusta causa adest, non tenetur semper removere causas, e quibus oriuntur: ergo ad illos impediendos non tenetur; consequenter non sunt peccata mortalia (§ 525.).

Solvuntur obiectiones. *Schol.* Protestantes docent, omnes pravos motus, etiam primo primos, esse peccata mortalia: nimirum dividunt peccatum in voluntarium, seu procreticum, quod cum approbatione, et beneplacito committitur; et involuntarium, quod ex ignorantia, et praecipitantia committitur; unde etiam alia sunt peccata ignorantiae, alia infirmitatis, ad quae motus primo primi spectant, quos ideo volunt esse peccata mortalia, quia a concupiscentia procedunt, quae sicuti est malum morale imputabile, et damnabile, ita et illi sunt imputabiles et damnabiles, licet per fidem nobis remittantur. Probant I. tum quia illi motus prohibentur per praeceptum, *Non concupisces:* tum quia 1. *Ioan.* 2. dicitur: *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae. Resp.* Illo praecepto soli motus voluntarii prohibentur; alii enim non sunt praecepti capaces, cum non sint actus humani (§ 419. et 489.): seu prohibetur, ne pravis concupiscentiis consentiamus. Unde male vertit Lutherus: *Non permitte tibi concupiscere:* nam Hebraicum תחמד (*tachmod*) et Graecum *ἐπιθυμέω* proprie significat motum animi deliberatum. Tres concupiscentiae a S. Ioanne sumuntur materialiter pro earum obiectis, uti patet ex versu praecedente, et sequente: unde sensus est: quidquid in mundo est, vel suis illecebris animum inquinat, vel opum cupiditate accendit, vel superbia extollit: quod vero haec bona sint inordinate concupiscibilia, non est ex Deo, nec ex natura rerum, sed ex vitio naturae per peccatum corruptae. II. S.

Augustinus *l.* 1. *de nupt. c.* 23. ait, motus concupiscentiae involuntarios probiberi praecepto, *Non concupisces. Lib.* 4. *cont. Iul. c.* 2. dicit, concupiscentiam nocere etiam non consentientibus: et *c.* 3. ait: *Concupiscentia carnis peccatum est. Resp.* S. D. vult, motus illos prohiberi non ut peccaminosos, sed ut quid repugnans perfectioni: et *ep.* 200. addit: *Hoc lex posuit, dicendo, Non concupisces; non quod hic valeamus, sed ad quod perficiendo tendamus*. Docet item, concupiscentiam nocere non consentientibus, non quod eos peccati reos faciat, sed quod spiritualem mentis delectationem minuat, dum in ea reprimenda occupatur, uti seipsum ibi explicat. Denique concupiscentiam peccatum vocat, vel late dictum, pro infirmitate naturae, vel dicit peccatum, si ei consentiatur. III. S. Bonaventura *in* 2. *d.* 21. vult, quod tentatio carnis nunquam sit in nobis sine culpa veniali. Quod idem docet S. Thomas 3. *p. q.* 41. *a.* 1. *ad* 3. *Resp.* S. Bonaventura loquitur de tentatione, et delectatione carnis, quae ob advertentiam imperfectam subest aliquo modo imperio rationis. Et S. Thomas sumit peccatum pro eo, quod ad peccatum inducit, seu pro quadam inordinatione; vult enim probare, Christum a carne tentatum non fuisse.

Art. 3. *De desiderio peccandi et delectatione morosa.*

§ 529. Ex § 526. Scholio patet, desiderium, seu affectum efficacem voluntatis esse peccatum; et quidem hoc desiderium habet illam malitiam, quam obiectum volitum habere cognoscitur: nam affectus tendit in obiectum, prout est in se a parte rei: ergo attrahit totam malitiam, quae obiecto a parte rei inesse cognoscitur: nimirum in affectu efficaci idem est, ac si quis in re ipsa iam commissa delectaretur. *Desideria mala sunt peccata.*

E contra delectatio morosa non circa peccatum iam commissum, sed circa obiectum prohibitum illam tantum malitiam contrahit, a cuius delectabilitate voluntas movetur: delectatio enim morosa fertur in obiectum praecise, prout obiective in intellectu proponitur, ideoque a circumstantiis annexis, licet cognitis, abstrahere potest. Verum licet haec sententia a multis satis probabiliter defendatur, probabilior tamen, et in praxi tutior est sententia S. Antonini, et aliorum, quod scilicet in Confessione explicandae sint circumstantiae personarum, et operis, de quo quis morose delectatur; maxime quia huiusmodi delectationibus morosis dediti plerumque etiam optant operis executionem. *Delectatio morosa est peccatum.*

*Corollar. Pract.* 1° qui desiderat fornicari cum coniugata consanguinea, etc. adulterium, et incestum committit. 2° In delectatione morosa circumstantiae personarum et operis iuxta modo dicta in Confessione exponendae sunt. 3° Circumstantia personae peccantis semper refundit suam malitiam in actum delectationis morosae; ideoque Sacerdos de re turpi se oblectans sacrilegium committit, quia haec circumstantia cohaeret personae, et saltem exercite cognoscitur. 4° *Resolvuntur casus.*

Aliud est delectari de re cogitata, v. g. de furto, ita ut ratio delectationis sit ex furto, cogitatio vero sit tantum conditio applicans rem cognitam, quod peccatum est: aliud est delectari de cogitatione rei, v. g. furti, ita ut ratio delectationis sit sola cognitio, quae cogitatio rei etiam malae per se mala non est, sed subinde bona: sic Theologus gaudet, quod bene distinguere possit peccata: aliud est delectari de modo operandi male, v. g. de modo artificioso furandi, quod iterum non est peccatum, quia delectatio non est de furto, sed de modo artificioso. Interim in materia lubrica etiam hoc periculosum est ob naturae corruptae in obiectum propensionem. 5° Motus concupiscentiae sunt peccata, si accedat consensus, vel formalis, et positivus, dum voluntas eos libere amplectitur: vel virtualis, quando cognoscitur connexio causae positae cum pravo effectu: vel interpretativus, vel negativus, quando quis facile potest resistere et tamen sine causa non resistit, quia hoc modo se exponit periculo consensus formalis: aliud foret, si adesset rationabilis causa sine periculo consensus, v. g. si positive resistendo tentatio augeretur, vel scrupuli orirentur, vel honesta actio, uti exceptio Confessionum, esset omittenda; in his sufficit, ut absente periculo consensus, motus displiceant. 6° Desiderare rem prohibitam sub conditione auferente omnem malitiam operis, qualis est iure tantum positivo prohibita, v. g. velle edere carnes, si non esset dies Veneris, vel quae iure naturae solum conditionate prohibentur, v. g. velle occidere furem, si quis esset iudex, per se loquendo non est mortale: saepe tamen est veniale ob actum otiosum. Si vero conditio apposita malitiam actus non auferat, v. g. velle die Veneris comedere carnes, si ad manus essent, illud desiderare est grave peccatum. Si desiderium sit ad obiectum in nulla circumstantia licitum cum affectu ad rem ipsam ex natura sua malam, v. g. velle blasphemare, nisi prohibitum esset, est grave peccatum, quia conditio malitiam intrinsecam non aufert. Si vero desiderium non sit cum affectu in rem ipsam, sed tantum sit manifestatio pravae propensionis naturae, quae ad peccatum traheret, si lex Dei non obstaret; non est grave peccatum, sed potius propensio in malum per recordationem legis Divinae repressa censetur. 7° Ponens actionem honestam, utilem, vel necessariam, licet praevideat tentationes carnales, non peccat secluso periculo consensus, quia utendo iure suo eas non intendit. Si vero actio non sit utilis, vel necessaria, sed ex levitate fiat, adeoque venialiter mala sit, eam ponens, et motus non intendens, secluso periculo consensus, venialiter solum peccat, quia non sunt voluntarii in causa, quia ex recreationibus etiam honestis oriri possunt. Si vero actiones valde turpes, uti aspectus, tactus, colloquia obscoena, fiant, motus secuti sunt graviter peccaminosi, quia sunt voliti in proxima dispositione ad illos. 8° Coniux non peccat mortaliter, si de maritali copula absente coniuge sine periculo pollutionis morose delectetur, quia de se peccaminosa non est; peccat tamen venialiter, quia nihil hanc delecta-

tionem suadet, et si advertat periculum pollutionis, et non resistat, graviter peccat. Vidua etiam mortaliter peccat, si voluntarie consentiat in motum delectationis, ex recordatione copulae maritalis naturaliter ortae: sicut et sponsus graviter peccat, si in motum carnis ex cogitatione futuri actus coniugalis consentiat. 9° In delectatione morosa eius obiectum, v. g. copula, turpis tactus, etc. in Confessione exprimi debet.

## CAP. III.

### *De causa efficiente peccati.*

§ 530. Causa efficiens peccati interna, immediata, et proxima est ratio, et voluntas (§ 525. 526.): mediata vero appetitus sensitivus. Et quidem ex parte rationis causa peccati est ignorantia: ex parte appetitus sensitivi, passio: ex parte voluntatis, malitia. Causa vero externa, quae internas causas ad peccatum movet, potest esse homo, daemon, vel sensibilia externa. **Causa efficiens peccati.**

*Schol.* Subiectum peccati formaliter sumpti est voluntas; peccatum enim est actus voluntarius. Item appetitus sensitivus, et ratio possunt esse subiectum peccati formaliter sumpti, quatenus in appetitu sensitivo et ratione subiectantur quidam mali habitus, uti intemperantia, et imprudentia, et quatenus aliquam imperfectam libertatem ob coniunctionem cum voluntate participant. Membra tamen et sensus externi non sunt subiectum peccati formaliter sumpti, quia non habent libertatem nisi denominative, et organa, seu instrumenta despotice a voluntate mota. An vero peccatum saltem veniale possit esse in, et a solo appetitu sensitivo absque omni influxu saltem interpretativo voluntatis, lis est de nomine. Salmanticenses affirmant, qui putant, omnes motus sensualitatis secundo primos esse veniale, quia appetitus sensitivus ex sola habituali coniunctione cum voluntate est liber. Verum cum voluntas hos motus impedire possit, tunc si non impediat, saltem interpretative influit, et consentit. **Subiectum peccati.**

### Art. 1. *De Ignorantia excusante a peccato.*

§ 531. Ignorantia igitur antecedens, et consequens est causa peccati, non vero concomitans (§ 429.). Ignorantia enim antecedens, et consequens tollit scientiam, quae si adesset, prohiberet peccatum: concomitans vero non removet scientiam, quae si adesset, peccatum impediret, sed etiam ea praesente peccatum tamen fieret. Interim ignorantia antecedens est tantum causa peccati materialiter sumpti, quia actus ex illa sequens quoad formale peccati supponitur invincibiliter esse ignoratus (§ 429.); adeoque est involuntarius. E contra ignorantia consequens est causa peccati formaliter sumpti, quia actus ex illa sequens, etiam quoad circumstantiam peccati formalis, est voluntarius, cum haec ratio sit voluntarie et vincibiliter ignorata (loc. cit. Schol.). **Ignorantia est causa peccati.**

§ 532. Cum vero ignorantia invincibilis excuset a peccato formali (§ 531.), hinc etiam invincibilis ignorantia iuris naturae excusat a peccato formali ex ea operantem. Ita patet 1° ex hac propositione ab Alexandro VIII. damnata: *Tametsi detur ignorantia invincibilis iuris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.* 2° S. Augustinus *l.* 3. *de lib. arbitr. c.* 19. ait: *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis quaerere, quod ignoras.* Quae verba exponens S. Thomas *q.* 3. *de malo a.* 7. *ad* 7. ait: *Dicendum, quod ignorantia, quae est omnino involuntaria, non est peccatum.* 3° Ignorantia tollit ab actu rationem voluntarii (§ 429.): ergo excusat a peccato (§ 525. 526. 528.). Deinde ignorantia invincibilis iuris positivi iuxta adversarios excusat a peccato formali operantem ex illa, quia, quod ex ea sequitur, est involuntarium: ergo etiam ignorantia invincibilis iuris naturae; nam nec sufficit ad peccatum personale voluntarium in peccato originali Adami (§ 528.); et ignorantia etiam iuris positivi est effectus peccati originalis, cum re vera sit magnum malum, impediens nos a moribus rite pro salute obtinenda conformandis: ergo si haec, etiam illa a peccato formali excusat.

Solvuntur obiectiones. *Schol.* Lutherus *in c.* 12. *Gen.* Calvinus *in c.* 12. *Lucae*: Iansenius *l.* 2. *de statu nat. laps. c.* 2. et omnes, qui cum Baio docent, hominem damnabiliter peccare in eo, quod necessario facit, negant, ignorantiam invincibilem iuris naturae excusare a peccato formali. I. enim *Gen.* 20. Abimelech invincibiliter ignorabat, Saram esse uxorem Abrahae; et tamen peccavit, eam sibi desponsando, ut ipse fatetur: *Induxisti super me peccatum grande;* unde merito punitus fuit. Item Iudaei invincibiliter ignorabant, Christum esse Deum: *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent.* Quod idem dicendum de persecutoribus Apostolorum, et Martyrum, de quibus dicitur: *Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur, obsequium se praestare Deo: Ioan.* 16. et tamen hi peccarunt. Et *Lev.* 4. et *Num.* 15. praecipiuntur sacrificia pro peccatis ignorantiae invincibilis, quia dicitur: *Quoniam sponte non peccaverunt. Resp.* Licet Abimelech non peccaverit peccato adulterii *v.* 6. quod non praecognovit *v.* 4. culpam tamen aliquam habuit, tum rapiendo peregrinam foeminam ob pulchritudinem, tum non satis investigando, an maritum habeat: per peccatum grande, periculum, vel poena peccati intelligitur; nam dicitur: *Super regnum*, quod non peccavit. Iudaeorum, et persecutorum ignorantia fuit vincibilis; nam Christi Divinitatem ex prophetiis, et miraculis discere potuissent. Sacrificia illa sunt pro peccatis ignorantiae vincibilis, et dicitur, quod sponte non peccaverunt, id est, peccarunt per ignorantiam vincibilem, adeoque non omnino perfecte voluntarium, sed secundum quid voluntarium peccatum commiserunt. III. Regula iuris 13. *in* 6. dicit: *Ignorantia facti excusat, non ignorantia iuris.* Et *c. In lectum, caus.* 34. *q.* 1. punitur, qui ex ignorantia invincibili cognovit non suam. *Resp.*

Illa regula iuris est tantum pro foro externo, ubi ignorantia iuris non praesumitur. In altero casu poena fuit tantum medicinalis, et in cautelam committendorum; vel praesumptio fuit, debitam diligentiam non esse adhibitam. III. S. Augustinus *de grat. et lib. arb.* ait c. 3. *Illa ignorantia, quae non est eorum, qui scire nolunt, sed eorum, qui tamquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat, si propterea non credidit, quia non audivit, sed fortasse, ut mitius ardeat.* Et *l.* 1. *op. imperf.* c. 15. agnoscit necessitatem peccandi ex ignorantia. Item Patres Concilii Diospolitani damnarunt hanc propositionem Coelestii: *Oblivio et ignorantia non subiacent peccato, quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem.* Et S. Thomas 3. *p. q.* 80. *a.* 4. *ad.* 5. docet, ignorantiam iuris non excusare a peccato. *Resp.* S. Augustinus in primo loco loquitur de ignorantia vincibili indirecte volita in negligentia discendi: vel si de invincibili loquitur, dicit, eam in Inferno puniri, quatenus est cum aliis peccatis contra ius naturae commissis coniuncta, et quatenus est ignorantia iuris Divini positivi, quod si quis nesciat, levius punitur, quam si legem naturalem, et positivam sciret. In altero loco loquitur S. Doctor de ignorantia vincibili, et de necessitate peccandi consequente. Patres Diospolitani ignorantiam vocant peccatum, id est, effectum peccati originalis, quod Pelagiani negabant. S. Thomas loquitur etiam de ignorantia iuris vincibili. IV. Si ignorantia invincibilis a peccato excuset, melior est conditio ignorantis, qui tantum materialiter peccat, quam scientis, qui peccat formaliter. Item ethnici et haeretici de sua fide non dubitantes, a peccato formali excusarentur. *Resp.* Falsae sunt sequelae: nam invincibiliter ignorans ita est constitutus, ut non ageret contra legem, si eam agnosceret. Ethnici laborant ignorantia vincibili, quia non datur ignorantia invincibilis veri Dei. Haeretici vero materialiter tales non peccant.

Art. 2. *De blasphemia, quod Deus esse possit auctor peccati.*

§ 533. Quia causa peccati est ratio, et voluntas, etc. (§ 530.), et peccatum est contra legem aeternam (§ 520.); hinc Deus 1. nec est, nec esse potest per se, et directe causa peccati nec impellendo, nec movendo, nec iubendo, nec faciendo, nec per se, nec per alios tamquam instrumenta. Hoc docet 1° S. Scriptura *Ps.* 5. *Non Deus volens iniquitatem Tu es. Sap.* 14. *Illi odio sunt impius et impietas eius: Eccl.* 15. *Nemini mandavit, impie agere: ad Rom.* 9. *Numquid impietas apud Deum? absit: Iac.* 1. *Deus intentator malorum est.* Dicunt quidem Calvinistae, voluntatem Dei nolentis peccatum esse tantum voluntatem signi; praeter hanc vero eum alia voluntate proprie dicta velle peccatum. Verum Deus non solum dicitur non velle peccata, sed etiam non facere: quae autem Deus vult voluntate proprie dicta, illa facit (t. 1. § 88.). Deinde voluntas signi est praeceptum seu inhibitio (t. 1. § 83. Schol.). Sed Deus pec-

Deus nequit esse causa peccati

catum non praecipit, sed odit (t. 1. § 81.). et punit (t. 1. §120.). Ergo non vult proprie. 2° Patet ex PP. S. Dionysio *c. 4. de Div. nom.* S. Basilio *hom.* 9. et S. Augustino *l.* 3. *de lib. arb. c.* 16. *Omnino non invenio, nec invenire posse, et prorsus non esse confirmo, quomodo tribuantur peccata nostra Creatori nostro.* 3° Ita definiunt Concilia: Arausicanum II. c. 23. *Aliquos ad malum Divina voluntate praedestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.* Et Trident. *Sess.* 6. *can.* 16. *Qui dixerit . . . mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie et per se...; anathema sit.* 4°. Deus omnia distinctissime cognoscit, et ab omni falso iudicio, et errore remotissimus est (t. 1. § 61.) Ergo causa peccati esse nequit (§. 530).Deinde peccatum consistit in aversione ab ultimo fine (§ 525. Schol. 2.). Sed Dei voluntas nequit averti ab ultimo fine cum ipse sit ultimus finis (t. 1. § 393.). Ergo peccare nequit; maxime quia peccatum velut mera privatio (§ 520. Schol. 3.), est a principio defectivo, quale Deus esse nequit (t. 1. § 55.). Denique non est ratio, cur Deus velit, et faciat homines peccare: non manifestatio iustitiae in puniendo; nam efficere iniustum, ut puniatur, iniustitia est, quia sic intenderetur culpa propter poenam, cum e contra poena propter culpam intendi debeat: non manifestatio misericordiae in parcendo, quia crudele foret, facere impium, ut ab impietate liberetur, sicuti crudele est, hominem vulnerare, ut sanetur.

2. Deus nec per accidens et indirecte est causa peccati, quia Deus secundum leges suae sapientiae, et providentiae universalis non tenetur impedire peccata, quae permittit; imo haec permissio Divinae perfectioni conformis est, cum Deus peccata permittat intuitu maioris boni, ad quod illa dirigi posse videt; si enim mala non permitteret, quando ex hac permissione maius bonum oriturum videt, omne bonum non vellet.

**Solvuntur obiectiones.** *Schol.* Primus, qui blasphemavit, Deum esse auctorem peccati, fuit Florinus Montani discipulus, teste S. Irenaeo apud Eus. *l.* 5. *hist. c.* 20. Calvinus, et Zwinglius docent, Deum ab aeterno praedefiniisse omnia peccata hominum, et in tempore ad illa impellere; nec tamen Deus auctor et causa peccati esse potest, tum quia per peccatum originale tota humana natura corrupta fuit: tum quia ad peccatum impellit ex bono fine, ut iustitiam suam puniendo, et misericordiam parcendo manifestet: tum quia Deo lex posita non fuit. Quippe I. Deus ab aeterno peccata praedefinivit. *Gen.* 45. Ioseph dicit: *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum. Act.* 2. Christus dicitur, *definito consilio et praescientia Dei* traditus. 2. *Reg.* 16. *Praecepit Deus* Semei, ut malediceret David. 2. *Reg.* 24. *Deus commovit* David, ut numeraret populum. 3. *Reg.* 22. Deus dicit Spiritui nequam: *Decipies, et praevalebis. Vade, et fac ita.* 2. *Reg.* 12. *Tollam uxores tuas* ( David ). *Isai.* 10. Sennacherib dici-

tur *virga furoris Domini. Ps. 104. Convertit cor eorum, ut odirent populum eius. Ad Rom. 9. Tradidit eos in reprobum sensum.* Et *Ioan.* 13. Christus Iudae dixit: *Quod facis, fac citius. Resp.* In Adamo et Angelis antequam peccarent, natura corrupta non fuit, et tamen peccarunt: deinde non sunt facienda mala, ut manifestetur gloria Dei. Et denique Deus et eius Sapientia sibi lex est, quam sine negatione sui ipsius transgredi nequit; adeoque rationes Calvini nullae sunt. Ioseph non peccatum fratrum suorum, sed transitum suum in Ægyptum ad voluntatem Dei refert. Deus mortem Christi, non vero peccatum Iudaeorum decrevit. Deus maledictionem Semei solum permisit, et ad materiale eius solum concurrit. Non Deus, sed furor Domini, id est Satan, David ad numerandum populum commovit. Illud, *Fac ita*, denotat solam permissionem; nam Spiritus malus ad hoc iam per se paratus nullo praecepto egebat. Deus solum permisit, ut uxores David tollerentur, Sennacherib percuteret Iudaeos, et alii odirent populum eius. Tradit Deus nonnullos in reprobum sensum deserendo et non impediendo, quominus peccatores reprobum suum sensum sequantur. Christi verba ad Iudam solam permissionem denotant, et quod malum eius consilium impedire nolit. II. S. Augustinus in *Ench. c.* 101. ait: *Fieri potest, ut hoc velit homo voluntate mala, quod Deus vult bona.* Et *de lib. arb. c.* 20. ait, quod Deus Semei voluntatem proprio vitio suo malam in peccatum maledictionis iudicio suo iusto et occulto inclinaverit. *Resp.* In primo loco S. D. agit de obiecto non secundum se, sed ex circumstantia malo, et punit exemplum in morte patris, quam Deus in cautelam, filius ob haereditatem vult. In alio loco vult, Deum inclinare voluntatem in malum, non impellendo, sed non impediendo, et permittendo. III. Deus saepe punit unum peccatum per aliud, est causa liberi arbitrii peccantis; et excaecationis: ergo causa peccati. *Resp.* Peccatum est poena alterius ratione suorum adiunctorum, scilicet privationis gratiae ad vitandum aliud peccatum. Deus est causa liberi arbitrii, quantum ad esse, non quantum ad deficere a Deo per peccatum. Deus est causa excaecationis non positive excaecando, sed gratiam ex iusto iudicio subtrahendo.

### Art. 3. *De effectibus peccati mortalis.*

§ 534. Effectus peccati sunt. 1. Corruptio boni naturalis, id est, inclinationis ad bonum honestum, non quidem totaliter, prout radicatur in rationalitate, sed ex parte termini, prout per peccatum actuale inducitur prava dispositio ad actum similem. *Effectus peccati, corruptio boni naturalis.*

§ 535. Alter effectus peccati est Macula in anima, quae post actum peccati in ea remanet. Sic S. Scriptura vocat peccatum maculam. *Ios.* 22. *Macula huius sceleris in vobis permanet. Ier.* 2. *Maculata es in iniquitate tua. Eccli.* 31. *Beatus vir, qui inventus est sine macula.* Quippe anima dicitur metaphorice maculari, dum ex inordinato ad creaturas affectu nitorem suum ex lumine rationis, et gra- *Macula peccati.*

tiae habitum perdit: ergo quamdiu est extra hoc lumen, macula in ea manet.

Quid sit. *Schol.* Quaerunt hic Scholae, quid sit haec macula peccati. Scotus putat, esse reatum poenae *( P. Frassen tract. 3. disp. 3. art. 3. sect. 1. quaest. 2. demonstrat in errore versari, qui mentem Subtilis doctoris ita interpretantur. ). * Sed contra hanc sententiam pugnare videntur hae propositiones damnatae Baii: *In peccato duo sunt, actus et reatus: transeunte actu, nihil remanet, nisi reatus, sive obligatio ad poenam.* Et: *In Sacramento Baptismi, aut Sacerdotis Absolutione proprie reatus peccati dumtaxat tollitur, et ministerium Sacerdotum solum liberat a reatu.* Deinde macula peccati non est reatus poenae, si hic sumatur pro ordinatione activa vel passiva ad poenam, quia sic est bonum iustitiae et a Deo; macula vero a Deo esse nequit. Nec est reatus poenae sumptus pro condignitate poenae, quia haec sequitur solum ad culpam, et maculam. Vasquez putat, maculam esse denominationem extrinsecam ab actuali peccato praeterito. Verum homo non denominatur iustus ab actu bono transeunte, sed a forma intrinseca seu gratia ( t. 1. § 363. ). Ergo nec peccator a peccato praeterito. Martinez vult, maculam esse habitum, seu dispositionem inclinantem in bonum commutabile. Verum per iustificationem tollitur macula ( t. 1. § 372. 373. ), et tamen non tollitur omnis prava inclinatio: ergo in hac non consistit. Igitur melius respondetur, maculam peccati mortalis esse privationem nitoris gratiae, seu privationem ipsius gratiae connotantem peccatum actuale praecedens, a quo causatur: tum quia privatio gratiae sanctificantis primo per iustificationem expellitur: tum quia homo per gratiam sanctificantem habitualiter iustus constituitur, adeoque etiam per eius privationem habitualiter est peccator: debet tamen connotare peccatum praecedens, quia ut macula habeat rationem culpae, debet esse voluntaria, adeoque connotare debet actum voluntatis, a quo causatur, et sine hac connotatione non foret ratio, cur plures, et inaequales sint maculae. Non obstat I. quod in offendente Principem macula sit reatus poenae, et post actum meritorium nil remaneat, nisi condignitas praemii. *Resp.* Disparitas est, quod amicitia Principis nil intrinsecum ponat in homine, sicuti amicitia Dei ( t. 1. § 363. ). Item per actum meritorium augetur gratia, adeoque animae nitor. II. Conversio ad creaturam in peccatore consistit in habitu inclinante voluntatem ad illam: ergo etiam aversio a Deo. *Resp.* Ad conversionem ad creaturam sufficit inclinatio voluntatis, nec aliquo habitu indiget. III. Homo in statu naturae purae peccans contraheret maculam, quae tamen non esset privatio gratiae; imo haec privatio est poena peccati inflicta: ergo non est macula. *Resp.* In statu naturae purae peccatum per accidens non est privatio gratiae. Item privatio gratiae physice sumpta est poena; non vero si sumatur moraliter, prout est voluntaria ex actu peccati.

Reatus poenae. § 536. Tertius effectus peccati est Reatus poenae. *Exodi* 22. *Per-*

*cussit Dominus populum pro reatu vituli. Ps.* 31. *Multa flagella peccatoris.* Et ratio est: Peccans violat ordinem et aequalitatem iustitiae Divinae, voluntati suae plus tribuendo contra mandatum Dei, quam debet: ergo recta ratio postulat, ut illum per compensationem poenae restauret. Hinc quia peccans ordinem rationis, ordinem exteriorem Superioris gubernantis, et ordinem Divini regiminis transgreditur; ideo triplicem poenam incurrit: unam a seipso, quae est remorsus conscientiae; alteram ab homine; tertiam a Deo.

*Schol.* Reatus poenae non est ordinatio activa, vel passiva ad poenam, sed est condignitas, et debitum poenae propter peccatum luendae: prius enim peccatum poena dignum est, quam ad illam ordinetur. Hoc debitum est quid absolutum, et virtualiter tantum a peccato habituali distinctum, nempe conceptus eius secundarius. Unum etiam peccatum aliquo sensu potest esse poena alterius peccati, non quidem per se secundum rationem formalem peccati, quia peccatum egreditur a voluntate, poena vero est contra voluntatem: item poena est actus iustitiae vindicativae, est secundum rationem, et a Deo; quae omnia peccato formaliter sumpto non conveniunt: sed est poena per accidens ratione adiunctorum, tum ratione gratiae in poenam peccati subtractae: tum ratione afflictionis, molestiae, et perturbationis animae: tum ratione laboris, et expensarum faciendarum pro implenda concupiscentia: tum ratione remorsus conscientiae, infamiae, morborum, paupertatis, et aliorum incommodorum peccatum consequentium. **Reatus poenae quid?**

§ 537. Peccatum mortale personale inducit reatum duplicis poenae, damni et sensus, aeternum in Inferno tolerandae. Ita patet 1° *Matth.* 25. *Discedite a me, maledicti in ignem aeternum.* Ubi ly *discedite a me*, poenam damni; ly *in ignem aeternum*, poenam sensus denotat. Ratio est, quia in peccato mortali est aversio a Deo ultimo fine, cui respondet poena damni, et conversio ad creaturam, cui respondet poena sensus, id est, per quamdam appropriationem; nam quia conversio est aversiva, tam aversio quam conversio poena damni et sensus punitur. Poenam vero hanc esse aeternam, dictum est ( t. 1. § 200. ), ubi etiam de Inferno egimus ( t. 1. § 198. et seqq. ). **Poenae damni et sensus.**

*Schol.* 1. Dolor ex amissa beatitudine non est proprie poena, sed poenam supponit, a qua causatur; reductive autem pertinet ad poenam damni, ex qua resultat. Poena damni est gravior poena sensus, quia est quasi essentialis, et opponitur visioni beatificae; poena vero sensus est quasi accidentalis, et beatitudini accidentali opponitur. Item poena damni non est in omnibus damnatis aequalis (t. 1. § 408.). **Quaenam poena gravior?**

*Schol.* 2. Utraque poena damni et sensus est finita simpliciter, et intrinsece; nam forma, qua privat poena damni, seu visio Dei, non est simpliciter infinita; et dolor ac tristitia ex hac privatione sequens est etiam simpliciter finita, cum nullum accidens creatum sit infinitum. Ergo poena damni, et ex paritate rationis poena sensus, quae **An poena sit infinita?**

est actio ignis utique finita, est simpliciter finita. Interim tamen poena damni secundum quid infinita dici potest, quia licet immediate sit privatio boni finiti, scilicet visionis beatificae; mediate tamen est Privatio boni infiniti, nempe Dei. Ergo saltem obiective et extrinsece infinita dici potest.

An mortale ex se inducat poenam aeternam? *Schol.* 3. Peccatum mortale ex se, et ex intrinseca sua ratione, ac malitia inducit reatum poenae aeternae, tum quia dicit deordinationem ex se irreparabilem, avertendo ab ultimo fine; qui error reparari nequit, sicuti ille circa primum principium in speculativis, quia non datur per se aliquid, a quo reparetur: tum quia peccatum mortale est mors animae, quae naturaliter reparari nequit.

## CAP. IV.

### *De Peccato Veniali.*

§ 538. Hucusque de peccato mortali egimus: nunc de veniali tractandum restat. Est igitur *Peccatum veniale* libera transgressio legis tantum leviter obligantis, aut transgressio non perfecte libera legis graviter obligantis. Peccatum veniale quid?

*Schol.* 1. Peccatum veniale aliud est *ex genere suo*, quod ex materia, circa quam versatur, non trahit gravem malitiam: aliud est *ex parvitate materiae:* aliud *ex imperfectione actus*. Peccatum veniale a mortali differt. 1. Mortale est simpliciter contra legem Dei, quatenus est contra finem legis, qui est Charitas Dei, et proximi (§ 525. Schol. 2.); non vero veniale. 2. Mortale avertit a Deo ultimo fine, et constituit ultimum finem in creatura (loc. cit.); veniale vero servato ordine ultimi finis facit inordinationem circa media. 3. Mortale contrariatur gratiae, et Charitati, illasque destruit (loc. cit.); non vero veniale. 4. Mortale destruit amicitiam Dei, veniale solum minuit. 5. Mortale est contemptus Dei, cui peccans creaturam praefert; non vero veniale. 6. Mortale tollendo gratiam est mors animae; veniale est tantum morbus illius. 7. Mortale inducit deordinationem in se irreparabilem; veniale reparabilem. 8. Mortale inducit reatum poenae aeternae; veniale reatum poenae temporalis. Differentia tamen formalis inter peccatum mortale, et veniale est, quod mortale sit perfecte contra legem, avertendo ab ultimo fine cum contemptu, et dissolutione amicitiae, gratiae, et Charitatis Dei; quod non facit veniale. Igitur peccatum mortale, et veniale essentialiter differunt: quia malitia peccati mortalis consistit in habitudine improportionis ad ultimum finem; malitia vero peccati venialis in habitudine improportionis ad media fini non necessaria. Hinc divisio peccati in mortale, et veniale est analoga analogia proportionalitatis, quia mortale, et veniale inaequaliter rationem peccati participant: mortale perfecte, quia est perfecte contra legem, et avertit ab ultimo fine: veniale imperfecte, quia non avertit a fine, sed media tantum deordinat.

*Schol.* 2. Finis proximus peccantis venialiter est bonum particu-

lare; finis vero ultimus beatitudo ut sic, seu esse bene, et beate: hoc modo intelligitur, quomodo in peccante venialiter habeatur finis ultimus non solum negative, sed etiam positive sine exclusione Charitatis, quia talis finis communissimus, cum sit necessario amatus, et de se indifferens, ut bono vel malo obiecto applicetur, nullam ex se tribuit actui bonitatem, vel malitiam, sed ab utroque abstrahit.

Art. 1. *De existentia Peccatorum ex natura sua venialium.*

§ 539. Dantur igitur peccata venialia ex natura sua, et non solum ex conditione peccantis a mortalibus distincta. Nam 1° in S. Scriptura quaedam peccata sine ullo respectu ad personas comparantur rebus levissimis, uti *culici*, alia rebus gravissimis, uti *camelo, Matth.* 13. *v.* 24. quaedam *festucae*, quaedam *trabi*, *Luc.* 6. quaedam *foeno*, quaedam *stipulae*, 1. *ad Cor.* 3. Ergo dantur peccata venialia. Dicit Schubert, tantum differentiam peccatorum ostendi. Verum haec differentiam essentialem denotant, sicuti inter culicem, et camelum differentia specifica intercedit. Deinde S. Scriptura dicit, quaedam peccata committi a iustis in iustitia perseverantibus, *Iac.* 3. *In multis offendimus omnes*, adeoque etiam iusti. Et *Prov.* 24. *v.* 16. *Septies cadet iustus, et resurget.* Sed haec sunt peccata venialia (§ 538.). Ergo dantur. Certe in citato textu Proverbiorum non agitur de lapsu in miserias corporales; nam immediate ante dicitur: *Ne quaeras iniquitatem in domo iusti, quia septies cadet iustus*: et sequitur: *Impii autem corruent in malum.* Hebraice ברעה, (*veragnah*) quod proprie malitiam significat: unde Lutherus male vertit: *Impii submergentur in infortunio*; nam *Matth.* 18. *v.* 21. S. Petrus ad hunc locum respiciens, et quaerens: *Quoties in me peccabit frater meus? usque septies?* certe de culpa agit. Deinde non agitur ibi de lapsu in tentationes spirituales; nam, qui tentatur, nondum cecidit, si tentationi resistat, sed stat victor: quomodo autem resurget, qui victor stetit? Hebraicum נפל (*naphal*), lapsum in peccatum significat, uti patet *Ier.* 8. *v.* 4. Denique *septies* non debet repeti: septies cadet iustus, et septies post quemlibet lapsum resurget: nam hoc gratis asseritur; et tamen dicitur: *Iustus* in nominativo *resurget*. 2° Patet ex Traditione. Concilium Milevitanum *can.* 7. definit: Sanctos in hac vita non tantum humiliter, sed etiam veraciter dicere: *Dimitte nobis debita nostra.* Ergo agnoscit, quaedam peccata esse in Sanctis, quibus non desinunt esse Sancti, adeoque venialia. S. Augustinus *Serm.* 29. *de verb. Ap.* per rugam *ad Eph.* 5. peccata venialia intelligit: Origenes *hom.* 35. per festucam: Tertullianus *l. de anima c.* 17. per culicem. Merito proinde hanc veritatem definivit Tridentinum *Sess.* 6. *cap.* 11. et iuste damnata est haec Baii propositio 21. *Nullum est peccatum natura sua veniale; sed omne peccatum meretur poenam aeternam.* 3° Inter amicos dantur offensae leves, amicitiam non dissolventes: ergo etiam apud Deum: licet enim omne peccatum sit contra sanctitatem Dei; non tamen omne est aversio ab eo tamquam ultimo fine, indu-

Dantur peccata venialia.

cens reatum poenae aeternae; quis enim dicat, hominem ob verbum otiosum a Deo poena aeterna in Inferno esse puniendum?

Solvuntur obiectiones

*Schol.* 1. Protestantes negant, dari peccatum veniale, quod aeternae poenae reatum non inducat, sed volunt, peccatum veniale esse id, quod hominem quidem actu aeternae morti non subiicit, licet eam mereatur, quia cum fides existere pergat, qua remissio peccatorum continuo impetratur, actu in mortem non imputatur. Nam I. *Matth.* 5. *v.* 9. dicitur: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, minimus*, id est nullus, iuxta S. Thomam, *vocabitur in regno coelorum. Ioan.* 13. *v.* 8. Christus S. Petro dixit: *Si non lavero te, non habebis partem mecum*: quod S. Augustinus de peccatis venialibus intelligit. Item *Iac.* 2. *v.* 10. *Qui offendit in uno, factus est omnium reus.* Imo *Ezech.* 18. *Deut.* 27. 1. *Ioan.* 3. de peccato indefinite dicitur, quod mortem animae afferat. *Resp. Matth.* 5. per minima non intelliguntur minima per se, sed minima in falso sensu Pharisaeorum, qui maxima pro minimis habebant. Venialia etiam peccata impediunt a regno coelorum, nisi remittantur; unde non habebunt partem cum Christo, habent tamen principium veniae. Locus S. Iacobi est de praecepto Charitatis Dei, et proximi, quod tamen in veniali peccato non graviter laeditur. Peccatum veniale mortem animae solum dispositive infert, in quantum ad mortale disponit. Unde etiam Patres ad fugam peccati venialis vehementer hortantur. II. Veniale laedit praeceptum dilectionis Dei, a quo peccantem avertit, et ad creaturam convertit. *Resp.* Laedit dilectionem Dei, sed non graviter, et convertit ad rem creatam parva cupiditate, per quam ab amore summi Boni non avellitur. III. Veniale est offensa Dei, nec illud pro omni bono comparando committere licet: ergo omne malum eius culpa superat; adeoque mortalis est. *Resp.* Veniale est offensa Dei, in re levi charitatem non omnino destruens: superat etiam omne malum physicum, adeoque illi tamquam malum morale praeferri nequit; est tamen minor culpa, quam mortalis. IV. Minimum opus bonum a iusto patratum meretur vitam aeternam: ergo minimum peccatum poenam aeternam. *Resp.* Disparitas est: minimum opus iusti elicitur ex charitate habituali, cui Deus ex infinita misericordia, coronante ultra condignum, promisit vitam aeternam: minima vero culpa non destruit charitatem, adeoque Deus iustissimus ultra demeritum non punit.

An in statu innocentiae potuerit homo peccare venialiter?

*Schol.* 2. Homo in statu innocentiae non potuit peccare venialiter, antequam peccaret mortaliter, quae impeccabilitas oriebatur ex dono iustitiae originalis; nam vi huius pars sensitiva sub ratione; et ratio inferior sub ratione superiori; ratio vero superior sub Deo recto ordine continebatur. Ergo nulla inordinatio in homine esse potuit, nisi ab eo incipiatur, quod ratio superior Deo tamquam ultimo fini non subiiciatur; quod fit per peccatum mortale. Deinde veniale est verum malum, et miseria; generat habitum vitiosum, et poenam post se trahit; quae omnia statui innocentiae repugnant (t. 1. § 254. 255.). Non obstat I. quod homo in statu innocentiae potuerit peccare morta-

liter, et fuerit liber: ergo potuit peccare venialiter. *Resp.* Potuit peccare mortaliter, ita ut destrueret statum innocentiae; non vero, ut hic status perduraret. Erat etiam tantum mediate liber ad peccandum venialiter, ita ut amisso por peccatum mortale statu innocentiae, venialiter peccare potuerit. Hinc si Adamo sub veniali esus ligni prohibitus fuisset, ille hoc praeceptum nonnisi amisso per mortale statu innocentiae transgredi potuisset. II. Gratia Christi aeque modo coniungit animam cum Deo, quam iustitia originalis, et tamen gratia Christi veniale compatitur. *Resp.* Gratia coniungit quidem, sed non habet simul adiunctam firmitatem subordinationis inferiorum ad superiora, sicuti iustitia originalis.

*Schol.* 3. Peccatum veniale non potest esse in aliquo cum solo peccato originali: non enim potest esse in illo ante primum instans usus rectae rationis, quia tunc homo non habet usum rationis, et libertatis, adeoque non est capax peccati venialis: non in ipso primo instanti usus rationis, quia si tunc convertitur ad Deum, iustificatur a peccato originali; si vero non convertitur, peccat mortaliter. Non obstat I. quod usus rationis imperfectus, quem infans habet, sufficiat ad veniale. *Resp.* Imperfectus ille usus sufficiens ad veniale, sufficeret etiam ad mortale, adeoque imperfectus usus rationis non supponitur esse sufficiens ad peccandum mortaliter. II. Primum instans rationis sumptum moraliter plura instantia physica complectitur; ergo puer, antequam ultimato de fine statuat, in aliquo instanti physico verbum otiosum dicere, et venialiter peccare potest. *Resp.* In illo brevi intervallo non potest puer voluntarie divertere mentem ad verbum otiosum sine peccato mortali, ob urgens praeceptum, se ad Deum convertendi. **An veniale stet cum solo originali?**

ART. 2. *De mutatione peccatorum venialium in mortale.*

§ 540. Peccata venialia quantumcumque multiplicata per se loquendo non possunt constituere peccatum mortale, quia hoc est altioris ordinis; et plura individua unius speciei non possunt constituere aliam speciem. Venialia tamen multiplicata, quae ratione materiae concrescentia, vel ratione effectus moralem inter se connexionem habent, fiunt mortale, si quis directe intendat congregare quantitatem ad mortale sufficientem, aut causare effectum graviter malum; quia tunc consentitur in rem graviter prohibitam, et totum damnum causatum. **Peccata venialia quomodo in mortale habeant?**

*Coroll. Pract.* 1° Non peccat mortaliter, qui per Quadragesimam semel quotidie extra statuta tempora modicum quid comedit, quia materiae nec secundum se, nec secundum effectum coalescunt. 2° Peccat mortaliter, qui vult committere omnia venialia, quotquot committenda occurrunt, et vitare sola mortalia, si adsit periculum proximum peccandi mortaliter, quod in hoc casu vix abest. 3° Qui saepius furatur quid modicum ex intentione colligendi magnam quantitatem, in singulis furtis graviter peccat, quia singula adhibet tam- **Resolvuntur casus.**

quam media proxima graviter nocendi. Item, qui die ieiunii saepe modicum quid comedit, et nihilominus sub vesperam notabilem quantitatem, graviter peccat. Si vero directe non intendatur magna quantitas, et nihilominus materiae parvarum transgressionum moraliter inter se uniantur, vel secundum effectum productum coalescant, malitia mortalis in ultima transgressione completur. 4° Veniale ex genere suo fit mortale 1. ratione conscientiae erroneae, vel gravis scandali, et damni. 2. ratione finis seu effectus mortaliter mali, 3. ratione affectus nimis inordinati, quando quis potius vellet Deum graviter offendere, v. g. non audiendo Sacrum, quam a lusu abstinere. 4. ratione periculi proximi graviter peccandi. 5. ratione contemptus formalis, quem ille committit, qui ideo aliquid agit, vel omittit, quia praeceptum est, vel ut ostendat, se nihili facere legem, aut legislatorem. 5° Ex peccato veniali nunquam fit mortale hoc sensu, quod idem numero actus primum sit peccatum veniale, postea mortale.

### Art. 3. *De effectibus peccati venialis.*

Effectus peccati venialis. Macula. § 541. Effectus peccati venialis sunt: Primus est macula (§ 535.), quae est privatio fervoris Charitatis ex peccatis venialibus actualibus: haec tamen non est macula proprie, et simpliciter dicta, sed tantum secundum quid, quia non tollit formam, per quam animae inest pulchritudo, scilicet gratiam, sed tantum obnubilat, et tegit, ut in actibus minus splendeat.

Reatus poenae temporalis. § 542. Alter effectus peccati venialis est, quod inducat reatum poenae temporalis (§ 536.): veniale enim solum deordinat circa media ad finem, non tollit gratiam et charitatem, sed eius fervorem tantum minuit, et habet se ut morbus animae, qui est reparabilis: ergo reatum poenae temporalis solum inducit.

Solvuntur obiectiones. *Schol.* 1. Dices I. S. Augustinus *in Ps.* 71. ait: *Deus plus exigit in poenis, quam commissum fuerit in culpis.* Ergo veniale punitur poena aeterna. *Resp.* Sensus S. Augustini est, quod acerbior sit poena, quam iucunda fuerit delectatio; non tamen quod haec poena sit aeterna excedens meritum culpae. II. Peccatum veniale est maius malum quolibet malo poenae. Ergo sola poena aeterna illud adaequare potest. *Resp.* Peccatum veniale est maius malum, non tamen ex se irreparabile; unde quando reparatum est, cessare debet poena, quae quidem non potest adaequare veniale in ratione naturae, quia est altioris ordinis, bene vero in ratione satispassionis. III. Nulla poena quantumvis magna sufficit, ut peccans venialiter satisfaciat Deo pro iniuria illata: et maior est iniuria unius peccati venialis contra Deum, quam iniuriae infinitae contra creaturas. Sed hae exigerent poenam infinitam. Ergo etiam peccatum veniale. *Resp.* Hic non quaeritur de satisfactione, in qua attenditur proportio inter offendentem, et offensum; sed de satispassione, in qua attenditur tantum aequalitas rei ad rem, ut nimirum peccator tantum potestati subiiciatur, quantum eam laesit. Deinde veniale non est proprie iniuria et offensa Dei,

quia licet sit contra vel praeter legem Dei, non est tamen contra finem legis, qui est Charitas, nec contra finem ultimum, sed contra media non necessaria et tantum utilia. Deinde licet esset offensa proprie, est tamen finita; consequenter etiam finitus reatus.

*Schol.* 2. Peccatum veniale quoad culpam in hac vita non remissum mortali coniunctum per accidens punitur in Inferno poena aeterna: quia in damnatis semper manet reatus poenae debitae peccato veniali quoad culpam in hac vita non dimisso; manet enim culpa, quae in Inferno non dimittitur; tum quia damnati simpliciter sunt in termino, cum e contra animae in Purgatorio tantum secundum quid sint in termino; tum quia veniale non dimittitur quoad culpam, nisi per condignam retractationem, per actum Charitatis, et poenitentiae, cuius damnati non sunt capaces; tum quia culpa non remittitur, nisi per applicationem meritorum Christi, quae non fit damnatis, cum non sint eius membra. Interim tamen peccatum mortale, vel veniale in hac vita quoad culpam dimissum, probabilius in damnatis non punietur poena aeterna: quia dimissa culpa, poena temporalis mortali et veniali debita in Inferno solvi potest: nec ex hoc sequitur, quod in Inferno sit redemptio, quia poena, quae solvitur, non redimitur: nec est inconveniens, quod quoad aliquid accidentale poena Inferni minuatur usque ad diem Iudicii, ubi etiam augetur. Nec dicas I. Poena veniali debita solvitur per satispassionem, quae cum sit finita, etiam in veniali quoad culpam non remisso, finito tempore solvi potest. *Resp.* Poena venialis solvitur per satispassionem in eo, qui nullum affectum ad culpam retinet; secus est, si affectum formalem vel virtualem ad eam retineat. II. Si reus in iudicio humano poneretur extra statum merendi, et demerendi, v. g. per stultitiam, licet perseveraret in culpa, non puniretur: ergo nec in iudicio Divino. *Resp.* Disparitas est, quod stultus non peccet, nisi materialiter; damnati autem peccant formaliter libera voluntate, et licet non demereantur in hoc statu, meruerunt tamen in via existentes puniri, quamdiu remaneret culpa formalis; absurdum enim videtur, quod homini in sua malitia perseveranti, et nullo modo poenitenti poena relaxetur. III. Deus punit citra condignum. Sed peccatum veniale de se non mereretur poenam aeternam. Ergo illa non punitur. *Resp.* Licet peccatum veniale de se non mereatur poenam aeternam, meretur tamen per accidens; unde non punitur ultra condignum, cui si addas, quod poena sit minus intensa, quam meretur, habes quod etiam puniatur citra condignum. IV. Peccatum veniale non fit gravius, quia mortali coniungitur. Sed secundum propriam gravitatem non meretur poenam aeternam. Ergo nec si mortali coniungatur. *Resp.* Veniale ex coniunctione cum mortali non fit quidem gravius; fit tamen irremissibile.

**Quomodo veniale mortali coniunctum puniatur?**

§ 543. Denique peccatum veniale disponit ad mortale. Ita docet S. Scriptura. *Eccli.* 19. *Qui spernit modica, paullatim decidet.* Ratio est: quia veniale minuit subiectionem voluntatis erga Deum, et

**Veniale disponit ad mortale.**

fervorem charitatis, ponitque obstaculum Divinis auxiliis, quibus homo a mortali praeservatur. Item ex frequentatis peccatis venialibus in aliquo genere, v. g. ex consuetudine ludi, potest amor ludi eousque crescere; ut propter illum peccetur mortaliter, v. g. omittatur Sacrum illo die, quo praeceptum illud audiendi urget. Eodem modo parvum aliquod furtum disponit furem ad hoc, ut data occasione magnam etiam quantitatem furari non perhorrescat. Sic etiam semiplenus consensus tandem ad plenum consensum deducit; quod ne nobis contingat, tamquam a facie colubri fugiamus omne peccatum, ad quod gratiam suam nobis largiri dignetur Deus, ad quem oremus: *Et ne nos inducas in tentationem: sed libera nos a malo. Amen.*

# TRACTATUS XI.

## DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

### CAP. I.

*De virtute eiusque varia acceptione.*

Virtus quid? § 544. Habitus ex frequentatis actibus humanis regulis morum conformibus generati, vocantur virtutes. Est autem *Virtus* habitus, quo homo bonus, et operatio eius bona efficitur.

Quotuplex? *Schol.* Virtus in genere alia est *intellectualis*, quae perficit hominem in cognitione veri; quales sunt: ars, scientia, prudentia, sapientia, intelligentia, quibus nonnulli fidem, opinionem et dubium accensent: alia est *voluntatis*, quae perficit voluntatem, et mores, et ad honestatem dirigitur. Virtutes aliae sunt *infusae*, quae a Deo nobis infunduntur, vel quoad modum, quando etiam actuum frequentatione naturaliter acquiri possunt; vel quoad entitatem, si sint entitative supernaturales, et tendant in Deum lumine, et motivo supernaturali. Virtutes, quoad entitatem infusae, sunt *Virtutes Theologicae;* aliae, quae ex frequentatis actibus acquiri possunt, et quoad modum solum sunt infusae, dicuntur *Morales*, non quasi virtutes Theologicae non essent etiam Morales, cum re vera tales sint, quia longe perfectiori modo mores dirigunt; sed Theologicae dicuntur, ut nomen proprium tamquam nobilissimae virtutum species habeant.

Virtus Theologica quid? §.545. *Virtutes Theologicae* sunt, quae habent Deum pro obiecto materiali primario, et Divinam eius perfectionem pro formali.

Quotuplex? *Schol.* Virtutes Theologicae tres numerantur: scilicet, *Fides, Spes, et Charitas.* Fides respicit Deum, ut primam veritatem; Spes, ut nostram beatitudinem; Charitas, ut summam bonitatem.

### CAP. II.

*De Fide Theologica.*

Fides Theologica quid? § 546. *Fides* ab Apostolo *ad Hebr.* 11. *v.* 1. definitur: *Est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium:* id est,

fundamentum spei, et lumen habitualiter inclinans ad assentiendum veritatibus obscuris a Deo revelatis. Dialectice Fides definiri potest: Est virtus Theologica divinitus infusa, qua firmiter assentimur propter Divinam veritatem omnibus, quae Deus revelavit, et nobis per Ecclesiam proposuit, sive scripta sint, sive non.

*Schol.* 1. Fides est re vera virtus, quia facit bonum habentem se, et opus eius bonum (§ 544.). Dici etiam potest virtus intellectualis, tum quia subiective est in intellectu, ita tamen, ut eius officium sit dirigere actiones voluntatis ad vitam aeternam iuxta verbum Dei, et regulas ab eo revelatas: tum quia perficit intellectum in ordine ad verum supernaturalo. Qualis virtus?

*Schol.* 2. Triplex in Deo veritas distingui potest: scilicet in *essendo*, quae dicitur transcendentalis, et est ipsa Dei essentia, qua verus Deus est, a falsis Diis disctinctus. Veritas in *cognoscendo*, quae est infinita Dei Sapientia, qua cognoscit omnia, prout sunt: et Veritas in *dicendo*, quae est summa Dei propensio ad dicendam veritatem, ita ut fallere nolit, sicuti ratione Sapientiae suae fallere non potest. Quando ergo assentimur revelatis a Deo propter Divinam veritatem, intelligitur, prima veritas in dicendo, seu Divina veracitas revelans: nam per hoc Fides a Scientia distinguitur, quia motivum assensus scientifici est veritas principii. Haec tamen veritas in dicendo connotare debet veritatem primam in cognoscendo, seu infinitam Dei Sapientiam, sine qua veritas in dicendo non haberet omnimodam infallibilitatem: per veritatem enim in dicendo Deus habet, quod fallere non possit ex malitia; per veritatem vero in cognoscendo habet, quod etiam fallere non possit ex ignorantia. Revelatio Divina est conditio, non vero causa assensus Fidei; sic enim Christo docenti credimus, uti discipulus Magistro, cuius verba non sunt causa assensus praestiti, sed praemissae, ex quibus conclusio deducitur. Deinde propositio Ecclesiae est applicatio revelationis a Deo factae. Explicatur definitio.

*Schol.* 3. Voltairius in *Diction. Philos.* asserit, Fidem consistere in credendo, non quod verum iudicatur, sed quod intellectui falsum videtur: sed haec contradictionem apertam involvunt; nam credere idem est, ac iudicare verum esse, quod creditur. Rousseau in suo *Emile tom.* 3. ait, Deum nobis rationis lumen dedisse, non eo fine, ut eius nobis usum interdiceret; ex quo infert, eos auctori suo iniuriam inferre, qui rationem auctoritati subiugare volunt. Verum undenam probabit Rousseau, promisisse nobis Deum, nos per solam rationem omnia clare cogníturos absque eo, quod alio revelationis Divinae lumine nunquam indigeamus? An ergo Deus iuri suo nostram rationem pro suo libitu edocendi renuntiavit? Annon in ipsis naturalibus rebus multa occurrunt, quae ut ut nobis sunt incomprehensa, quin et absurda videntur, tamen admittimus ut vera, uti exemplum profert D. Hume in *Essai Philosophique sur intendement humaine t.* 3. de divisibilitate materiae in infinitum? An caecus na- Fides contra Deistas vindicatur

tus explicanti sibi perspectivam, qua in superficie plana profunditas aliqua repraesentatur, fidem absurde adhiberet? Quanto magis igitur minime absurdum erit, si in rebus supernaturalibus capacitatem intellectus nostri longissime excedentibus Deo revelanti ob summam eius veracitatem et sapientiam, qua nec fallere nec falli potest, fidem adhibeamus? Vide Bergier *Apolog. de la Religion*, *tom*. 2. *c*. 12.

ART. 1. *De obiecto materiali Fidei.*

Obiectum materiale fidei. § 547. Obiectum materiale Fidei primarium est Deus, reliqua vero gratiae mysteria sunt obiecta secundaria propter Divinam revelationem credenda. Unde obiectum materiale adaequatum Fidei sunt res omnes a Deo revelatae, et nobis per Ecclesiam propositae, sive scriptae sint, sive non, et solum traditae; adeoque omnia, quae in verbo Dei scripto, et tradito ab Ecclesia nobis proposito continentur; utpote quae Deus vere nobis revelavit, uti patet ex *diss. prooem*. Quia vero inter has res aliquis ordo reperitur; quae enim sperandae sunt, uti Deus, et eius possessio, primario spectantur a Fide, caetera vero secundario, quatenus ad beatitudinem ordinantur; ideo Deus est primarium, et attributionis obiectum Fidei, reliqua vero secundarium.

An revelationes privatae sint de fide? *Schol*. 1. Revelationes privatis hominibus a Deo factae de rebus, quae ordinantur ad Deum, ut Auctorem supernaturalem, spectant quidem ad Fidem Theologicam, quia pro motivo habent veritatem Dei revelantis, et propositio Ecclesiae est tantum quid extrinsecum, et accidentale Fidei Theologicae secundum se spectatae, uti patet in Apostolis sine propositione Ecclesiae credentibus; non vero spectant ad Fidem, prout est Catholica, utpote quae versatur circa veritates communes per Ecclesiam proponendas. Unde si Deus cuidam particulari aliquid ad Religionem spectans revelaret, teneretur quidem ille credere, non tamen alii, licet is iuraret, sibi esse revelatum; quia non proponeretur ab Ecclesia, quae est Catholicis discernendi regula.

An Conclusiones Theologicae? *Schol*. 2. Quaeritur etiam hic, an Conclusio Theologica deducta ex una praemissa de fide, et altera naturaliter certa, sit de fide. Dicimus, Conclusiones Theologicas, si spectentur formaliter, quatenus ex praemissis per discursum eliciuntur, non esse de fide, quia non habent pro motivo assensus revelationem immediatam per Ecclesiam propositam: si vero spectentur materialiter, quatenus in praemissis virtualiter continentur, vel si in iis sint, tamquam proprietas in essentia, vel effectus in causa, vel pars in toto, vel particulare in universali, vel implicitum in explicito; tunc sunt de fide, quia sic immediate creduntur propter revelationem Divinam.

ART. 2. *De Symbolis fidei.*

Symbola fidei. § 548. Credendorum Epitomen exhibent Symbola, Apostolicum, Nicaeno-Constantinopolitanum, et Athanasianum. Symbolum Aposto-

lorum fuit vere ab Apostolis traditum: ita docet S. Ambrosius *l.* 10. *ep.* 81. Coelestinus I, *ep. ad Nestor.* Concilium Ephesinum *in relat. ad Theod.* Ruffinus *in expos. Symb.* S. Leo *ep.* 13. Et patet ex regula S. Augustini, quia nimirum hoc tenet universa Ecclesia, et nullibi a Conciliis hoc institutum legitur. Interim hoc Symbolum ab Apostolis non scripto, sed ore cordibus, et memoriae fidelium traditum fuit, uti S. Hieronymus *ep.* 61. Ruffinus in *exp. Symb.* et S. Chrysologus *Ser.* 62. docent. Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum, ex Symbolo Nicaeno et Constantinopolitano conflatum est. Athanasianum Doctrinam sacram ex S. Athanasio haustam exhibet.

*Schol.* 1. Vossius, Dupinus, etc. negant, Symbolum Apostolorum re vera ab Apostolis esse compositum, I. quia non constat de tempore et modo, quo scriptum fuit, et primis quatuor saeculis eius mentio non fit. *Resp.* Tempus, et modus latens veritati non obstant. Potest dici, conditum esse post adventum Spiritus S. communi consilio Apostolorum, quando in orbem ad praedicandum Evangelium discesserunt. Primis saeculis mentionem eius fecit Tertullianus *cont. Prax. c.* 1. *et* S. Irenaeus *l.* 1. *c.* 10. II. S. Lucas in Actibus huius Symboli non meminit, nec traditum fuit omnibus Ecclesiis; diversum est enim ab eo, quod in Ecclesia Aquileiensi, et Orientali legitur. *Resp.* S. Lucas ideo Symboli non meminit, quia scriptum non fuit, et passim notum. Omnibus Ecclesiis traditum est, quae ob exortas novas haereses aliqua magis illud explicantia addiderunt; at Romana Ecclesia illud semper intemeratum conservavit. III. Si Apostoli Symbolum composuissent, illud relatum fuisset inter Scripturas Canonicas; frustra nova Symbola prodiissent; illud in Missa legeretur; et vox *Catholicam* ibi omissa fuisset, cum necdum eo tempore Ecclesia per orbem propagata fuerit. *Resp.* Symbolum non est in Canone, quia traditum non est, ut scribatur, sed audiendo discatur, et ea, quae in Symbolo continentur, ex S. Scriptura desumpta sunt. In Missa non canitur, quia Nicaeno-Constantinopolitanum fusius est; utimur tamen eo in Horis Canonicis, et collatione Baptismi. Si vocem *Catholicam* velis adiectam esse contra Haereticos, et Schismaticos, parum intererit.

Symbolum Apostolorum vindicatur.

*Schol.* 2. De Auctore Symboli Athanasiani, *Quicumque*, litigant Critici, uti videre licet apud Muratorium *in Anecdot. tom.* 2. Nonnulli tribuunt Vigilio Tapsensi, in cuius operibus legitur. Iosephus Anthelmus illud adscribit Vincentio Lirinensi, in cuius scriptis multa huic Symbolo correspondentia leguntur. Cardinalis Bona in opere *de reb. Liturg.* tribuit Eusebio Vercellensi. Muratorius Venantio Fortunato, cuius nomen praefert in Manuscripto 600. annorum. Multi tribuunt S. Athanasio. Nos putamus, Auctorem eius non esse S. Athanasium, sed aliquem nobis ignotum, qui illud ex scriptis S. Athanasii compilavit. Nam 1. nullus ante 1000. annos hoc Symbolum sub nomine S. Athanasii laudavit: et inter vetustos Codices sub hoc nomine non reperitur. 2. S. Athanasius Ioviniano Imperatori Confessionem fidei petenti, non aliam, nisi Nicaenam submisit. 3. Au-

Auctor Simboli *Quicumque.*

ctor huius Symboli fuit Latinus; nam Graeca exemplaria variant, et omnia Latina conspirant, certo indicio, ex Latino in Graecum versum esse, non vero ex Graeco in Latinum. 4. Latini hoc telo non pugnarunt contra Graecos circa controversiam de processione Spiritus S. saltem Latini antiquiores per 500. annos. 5. In hoc Symbolo refutantur haereses Nestorii, et Eutychetis post S. Athanasium exortae, nec tamen ad illas confutandas Veteres illo usi fuerunt. Non obstat I. quod Scriptores saeculi 10. Graeci Schismatici, Confessio Wittembergensis, et MSS. Vaticanum, et Germanense illud S. Athanasio tribuant. *Resp.* Haec omnia sunt recentioris aetatis, nec illis comparanda, in quibus sub nomine S. Athanasii non reperitur. II. In Breviariis S. Athanasio boc Symbolum adscribitur. *Resp.* Ideo vocatur Athanasianum, quia ex aureis S. Athanasii disputationibus a Latino Theologo mutuatum fuit, collectis contra subortas haereses sequentes, quae sparsae erant, sententiis; siquidem S. Athanasius multa etiam scripsit ad posteriores haereticos refellendos. III. S Augustinus *in Ps.* 120. citat illud, suppresso tamen nomine S. Athanasii, ex hoc Symbolo: *Filius Dei a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus.* Et *in ep.* 1. *Ioan.* idem citat S. Doctor sub nomine S. Athanasii, in vetusta editione Basileensi. Et S. Gregorius Naz. *in or. de laud. Athan.* loquitur de Symbolo, et epistola S. Athanasii Ioviniano missis. *Resp.* Nullibi apud S. Augustinum leguntur verba illa, et citato etiam Codici manu aliena ex annotatione marginali assuta fuerunt; quod patet, tum ex collatione optimorum Codicum, tum ex parenthesi textum intercipiente. S. Nazianzenus loquitur de Symbolo Nicaeno, quod Ioviniano misisse S. Athanasium testatur Theodoretus *l.* 4. *hist. c.* 3.

### Art. 3. *De obiecto formali Fidei.*

Obiectum formale fidei. § 549. Obiectum formale motivum Fidei Theologicae adaequatum est summa Dei veritas in dicendo et cognoscendo (§ 522. cum Schol.).

An et quomodo auctoritas Ecclesiae concurrat? *Schol.* Ad obiectum formale motivum Fidei non spectat auctoritas Ecclesiae, ut infallibiliter directae a Spiritu S. licet enim haec sit Divina directive, non tamen est Divina formaliter: motivum autem formale Fidei, debet esse formaliter Divinum. Deinde haec auctoritas Ecclesiae non reperitur in omni assensu Fidei, uti patet in Fide Angelorum, Prophetarum, et Apostolorum, qui in mysteriis Fidei immediate a Deo instructi fuerunt. Hinc licet quoad propositionem credendorum resolutio Fidei fiat in auctoritatem Ecclesiae tamquam in regulam animatam Fidei, et conditionem applicativam motivi formalis, quia Fides, et revelatio Divina communiter sunt obscurae, et a nobis evidenter non cognoscuntur; adeoque adesse debet aliqua regula infallibilis, quae revelata a non revelatis discernat, eaque fidelibus ad credendum proponat, quae regula est Ecclesia (t. 1. § 14.): resolutio tamen Fidei quoad assensum Fidei ultimato fit in solam auctoritatem, seu veritatem Divinam revelantem, tamquam in

motivum formale assentiendi; Fides enim quoad assensum ultimato resolvitur in id, quod est motivum formale illius, adeoque quid formaliter Divinum, quod non est aliud, quam increata Dei veritas revelans. Unde non sequitur, committi circulum vitiosum, quia non fit in eodem genere causae, nec sub eadem formalitate. Nam revelatio Divina resolvitur in auctoritatem Ecclesiae, tamquam in conditionem applicantem, et regulam infallibilem credendi: auctoritas vero Ecclesiae resolvitur in revelationem Divinam, tamquam in rationem formalem credendi.

### Art. 4. *De certitudine fidei.*

§ 550. Considerato obiecto Fidei (§§ praec.), spectandae sunt illius proprietates, quarum praecipuae sunt, *certitudo* et *obscuritas*. Itaque 1° Fidei non potest subesse falsum ex parte Dei revelantis. Nam impossibile est, primam et essentialem veritatem mentiri, quia implicat, ut a veritate deficiat; alias enim deficeret a seipsa (t. 1. § 123. Schol.). Sed Deus est prima et essentialis veritas (t. 1. § 123.). Ergo nequit mentiri; consequenter ex parte Dei revelantis, Fidei falsum subesse non potest. *Fidei falsum subesse nequit.*

2° Fidei ex parte Ecclesiae res Fidei proponentis falsum subesse non potest. Ecclesia enim in decidendis Fidei controversiis, et discernenda vera a falsa revelatione est infallibilis (t. 1. § 27. et seq.). Ergo ex parte eius, Fidei falsum subesse nequit.

3° Ex parte etiam credentis Fidei falsum subesse nequit. Quippe ratio formalis motiva Fidei in credente est prima veritas in dicendo, et cognoscendo (§ 549.). Sed haec falsum revelare nequit (n. 1.). Ergo nec ex parte credentis, Fidei falsum subesse potest.

*Schol.* 1. Priscillianistae, qui mendacium esse licitum dicebant, volebant, Deum de facto aliquando mentiri, adeoque Fidei falsum subessse posse, non solum ex parte credentis, sed etiam ex parte Dei revelantis. I. Licet Deus sit vita per essentiam, potuit tamen mori in humana natura: ergo licet sit veritas per essentiam, potest tamen mentiri in humana natura. *Resp.* Disparitas est, quod mendacium sit malum culpae, quod nequit referri in Deum, a quo avertit; unde repugnat Deo, etiam in humana natura (t. 1. § 301. Schol. 2.). At pati et mori est tantum malum poenae, quod in natura assumpta non repugnat. II. De fide est, Christum esse in SS. Eucharistia: sed contingere potest, ex defectu debitae consecrationis non esse ibi Corpus Christi: ergo saltem ex parte credentis, Fidei falsum subesse potest. Similiter prudentia dictat, esse adorandam Hostiam in Sacrificio consecratam: sed contingere potest, non esse consecratam: ergo prudentia admittit falsitatem, consequenter et Fides. *Resp.* Fides credentis non refertur ad has, vel illas species panis, sed ad hoc, quod verum Christi Corpus sit sub speciebus panis, quando rite consecratur; unde Fidei falsum non subest. Debet tamen S. Hostia praesens absolute adorari; nam ad hoc sufficit, quod habeatur certitudo moralis, eam *Solvuntur obiectiones.*

esse rite consecratam; haec enim satis est ad iudicium prudentiae, quod est regula proxima agendorum. Deinde Prudentia est virtus intellectualis practica, quae licet admittat falsitatem speculativam, non tamen admittit practicam: hinc licet iudicium speculativum, quo iudico, hanc Hostiam esse consecratam, sit falsum; iudicium tamen practicum, quo iudico, me posse adorare Hostiam, quam prudenter puto esse consecratam, practice verum est. Fides autem est virtus intellectualis speculativa, et practica; unde illi repugnat falsitas tam speculativa, quam practica. III. Veteres crediderunt, Christum esse nasciturum; quae fides in multis duravit usque ad praedicationem Evangelii post Christum natum, ubi falsum fuit, eum esse nasciturum. *Resp.* Ad fidem credentis post Christum natum solum spectabat, quod Christum aliquando nasci crederet: temporis autem determinatio, circa quam decipiebatur, non erat ex fide Divina, sed ex coniecturis, et fide humana. IV. Quando Episcopi alicuius Provinciae docent, aliquid fide Divina credendum esse, rudes saltem illud credent, et tamen falsum subesse potest. *Resp.* Si falsum sit, rudes credent fide humana; non enim assentiuntur iis, quae proponuntur a Pastoribus, quia Deus revelavit, sed quia putant Deum revelasse. V. Ex maiori de fide, et minori falsa sequitur conclusio falsa: sed assensus conclusionis sequitur ex ambabus praemissis: ergo praemissa de fide influit in conclusionem falsam. *Resp.* Falsa conclusio in tali Syllogismo causatur a propositione falsa, et mala applicatione syllogizantis, qui detorquet propositionem fide certam ad falsam conclusionem.

**Certitudo fidei summo est.** *Schol.* 2. Assensus Fidei Divinae, licet eius certitudo non sit summa intensive, cum in uno sit intensior, quam in altero, sicut actus amoris; est tamen certissimus appretiative, quia adhaeret obiecto propter veracitatem Divinam, et veritatem obiecti crediti in actu exercito praefert omni alteri veritati. Hinc cum motivum Dei testificantis sit fortius omni humana ratione, etiam Fides omni scientia est certior. Formido vel dubitatio, quam fideles patiuntur circa veritates Fidei, non oritur ex motivo formali assensus, sed ex imbecillitate intellectus non potentis perfecte obiectum penetrare.

### Art. 5. *De obscuritate fidei.*

**Obiectum fidei est obscurum.** § 551. Obiectum Fidei necessario est obscurum. Hinc *ad Hebr.* 11. Fides dicitur, *argumentum rerum non apparentium*. Et iuxta S. Augustinum *tr.* 20. *in Ioan. Fides est credere, quod non vides.* Ratio est, quia per obscuritatem ab omnibus aliis habitibus intellectualibus distinguitur. Certe obiectum Fidei non potest per se movere intellectum, vel sensum ad sui cognitionem, cum neque sit adinstar primorum principiorum, quae ex ipsis terminis innotescunt: neque adinstar conclusionis, quae ex principiis per evidentem consequentiam deducitur: neque aliquid sensibile, quod sensibus percipiatur. Ergo est obscurum.

*Schol.* Quaeritur hic, an si quis clare, immediate, et evidenter cognoscat, rem aliquam esse a Deo revelatam, qualiter Beatissima Virgo Conceptionem, et Nativitatem Christi cognovit, illi adhuc possit Fide Divina assentiri. Respondetur affirmative, quia evidentia in attestante relinquit adhuc rem revelatam in se obscuram; non enim demonstrat connexionem praedicati cum subiecto, sed tantum esse revelatam, et ut talem esse certam. An obscuritas fidei stet cum evidentia in attestante

Art. 6. *De motivis credibilitatis.*

§ 552. Licet autem obiectum Fidei sit obscurum, Mysteria tamen Fidei nostrae sunt evidenter credibilia. Ita testatur 1° S. Scriptura, *Ps.* 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Et *Ioan.* 10. Christus ait: *Loquor vobis, et non creditis: opera, quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me.* 2° Illud est evidenter credibile, scilicet evidentia morali excludente omne rationabile dubium, quod idoneis testibus, signis, et aliis argumentis extrinsecis probatur; nam ex his desumitur credibilitas: sed huiusmodi sunt Fidei nostrae Mysteria, uti patet ex motivis credibilitatis a S. Augustino in *ll. de Civ. Dei*, et aliis PP. et ab Huetio *de dem. Evang.* explicatis: quorum Mysteria fidei sunt evidenter credibilia.

1um est impletio Vaticiniorum de Nativitate, vita, morte et doctrina Auctoris Legis Evangelicae. Motiva credibilitatis

2um est modus mirabilis, quo Christiana Religio in universo orbe celerrime post Christi mortem per paucos et pauperes piscatores, non armorum potentia, non Magnatum favore, non opum et voluptatum illecebra, sed Christi virtute propagata fuit: et quidem doctrina carnali homini adeo contraria, cui se non solum rudes, sed etiam doctissimi subiecerunt, quae crevit in mediis acerrimis persecutionibus, et tot Martyrum sanguine confirmata fuit.

3um sunt miracula in eius confirmationem patrata.

4um est Sanctitas Auctoris Religionis nostrae Christi, eius Discipulorum, et eorum, qui eam scriptis, factis, et sanguine defenderunt: item doctrinae huius puritas, quae vitia damnat, virtutes commendat.

5um est eius antiquitas; a Christo enim fundata, ad haec usque tempora perduravit (t. 1. § 17.).

6um est consensus Doctorum in asserendis Fidei dogmatibus (t. 1. § 16.). Certe haec motiva in nulla alia Religione reperiuntur, uti examinanti facile patebit.

*Schol.* Dices I. Fidei nostrae Mysteria non sunt evidenter vera, nec evidenter possibilia: ergo nec evidenter credibilia. *Resp.* Disparitas est, quod veritas, et possibilitas sumatur ab intrinsecis rei praedicatis: credibilitas vero a motivis et testimoniis extrinsecis. II. Cognitio illa evidens credibilitatis non est a lumine Fidei, quia etiam est in illis, qui disponuntur ad Fidem, antequam lumen Fidei eis luceat: nec est a lumine naturali, quod Fidem supernaturalem ut Solvuntur obiectiones

possibilem non potest cognoscere. *Resp.* Iuxta nonnullos illi, qui disponuntur ad Fidem, cognoscunt credibilitatem, et possibilitatem Fidei supernaturalis in communi, lumine naturali, licet non in particulari determinatam. Alii dicunt, eos illam cognoscere lumine supernaturali, seu illustrationibus actualibus. III. Si Mysteria Fidei essent evidenter credibilia, tunc illi, quibus aequaliter proponerentur, omnes crederent; quod tamen falsum est. *Resp.* Fallit sequela: tum quia non omnes debite attendunt, sed ex pravitate affectus ab eorum examine mentem abstrahunt: tum quia plures interiori illustrationi obicem ponunt.

## CAP. III.

### *De Actu Fidei.*

Actus fidei quid? § 553. Ex dictis hucusque de obiecto, et proprietatibus Fidei Theologicae colligitur, quid requiratur ad actum Fidei internum et externum. Itaque *Actus Fidei internus* est firmus mentis assensus rei a Deo revelatae, et ab Ecclesia propositae propter primam veritatem. *Actus Fidei externus* est, quo internus exterue manifestatur.

### Art. 1. *De requisitis ad Actum Fidei.*

Requisita ad actum fidei. *Schol.* Ut mens rei revelatae firmum praebeat assensum, requiritur 1. Perceptio eorum, quae praedicantur; nam *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* 2. Examen mentis, an qui verba facit, fidem mereatur; nam *Eccli.* 19. *v.* 4. *Qui cito credit, levis est corde.* 3. Iudicium, quo mens ponderatis motivis credibilitatis certo iudicat, omnino credibilia esse, quae dicuntur. 4. Alterum indicium, quo mens decernit, rem hic et nunc esse credendam. 5. Actus voluntatis, qui dicitur pia motio seu affectio credulitatis, qua voluntas imperat intellectui, ut veritati revelatae, et sufficienter propositae firmum assensum praebeat. Varias quaestiones circa haec movet Muratorius, sive Lamindus Pritannus in opere *de moder. Ingen. in negot. Rel.* Notandum etiam est, aliud esse credere Deo, credere Deum, et credere in Deum. Credere Deo, est credere, vera esse, quae Deus dixit, ob infinitam eius veritatem. Credere Deum, est credere, Deum esse, ob eius summam veritatem: hi actus sunt actus Fidei informes, et conveniunt etiam peccatoribus. Credere in Deum, est credere Deum non simpliciter, sed ex affectu charitatis tendentis in Deum tamquam ultimum finem.

Ad actum fidei requiritur evidentia credibilitatis. § 554. Ad actum igitur Fidei internum necessario praerequiritur evidentia credibilitatis. Nam Innocentius XI. damnavit hanc propositionem 21. *Assensus Fidei supernaturalis, et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis formidat, ut non sit locutus Deus.* Ratio est, quia ad credendum Fide Divina requiritur voluntas credendi firmissima, quae tamen sine evidentia credibilitatis haberi nequit: siquidem per opinionem

probabilem absque imprudentia facile in contrarium mutari posset,

*Schol.* Scotistae negant, ad assensum Fidei requiri piam motionem voluntatis (§. 553. Schol.): * (Scotistae admittunt quidem istam motionem piam procedere ex gratiae auxilio, negant tamen esse actum charitatis. Vide P. Henno tract. de Virt. Disp. 3. quaest. 2.) * sed communior est sententia in Scholis, eam requiri. . Quia *ad Rom.* 10. dicitur: *Corde creditur ad iustitiam:* id est voluntate movente intellectum ad credendum, uti exponit S. Thomas *lect.* 2. et innuit S. Augustinus *tr.* 26. *in Ioan. Credere non potest, nisi volens.* 2. Intellectus non determinatur, nisi vel ab obiecto evidente, vel a voluntate. Sed ad assensum Fidei non determinatur ab obiecto evidente, quia hoc est obscurum (§ 55.). Ergo a voluntate. Deinde actus Fidei est liber quoad exercitium, et speciem in ratione assensus potius, quam dissensus: ergo eget motione voluntatis, qua determinetur ad assensum potius, quam dissensum. Non obstat I. quod ad assensum fidei humanae non requiratur motio voluntatis: ergo nec ad assensum Fidei Divinae. *Resp.* Disparitas est, quod actus Fidei Divinae sit supernaturalis, firmior, et difficilior actu fidei humanae. II. Daemones credunt sine pia motione voluntatis. *Resp.* Credunt fide naturali, convicti evidentia signorum, non vero Fide Divina. III. Voluntas movet intellectum solum quoad exercitium, non vero quoad speciem. *Resp.* Non movet quoad speciem, si obiectum sit evidens; secus, si obscurum fuerit.

An requiratur pia motio voluntatis?

§ 555. Iudicium credibilitatis practicum, et pia motio voluntatis sunt ab auxilio gratiae, et aliquid supernaturale; alias enim Fides et initium salutis esset a nobis, quod in Pelagianis refutatum fuit (t. 1. § 345.).

Iudicium credibilitatis, et pia motio sunt supernaturales a gratia

*Schol.* Pia haec motio voluntatis non est amor charitatis; alioquin peccator non posset elicere actum Fidei, quod alibi refutabitur. Est ergo pia haec motio quaedam complacentia erga summam Dei veritatem, vi cuius voluntas intellectum ad firmissimum assensum determinat.

Quid sit pia motio?

*Coroll. Pract.* 1° Ad actum Fidei supernaturalem ex parte intellectus requiritur notitia Mysteriorum, et illustratio Spiritus S. qua homo incipit inquirere, et cognoscere motiva credibilitatis, quibus evidenter persuadeatur, quod hoc vel illud obiectum re vera sit revelatum, ideoque possit, et debeat firmissimo assensu credi: et hoc vocatur iudicium credentitatis propter Divinam revelationem. 2° Ex parte voluntatis requiritur pia affectio submittendi intellectum suum in re quantumvis obscura auctoritati Dei dicentis.

Resolvuntur casus

### Art. 2. *De necessitate actus fidei ad salutem.*

§ 556. Aliquis actus Fidei supernaturalis internus fuit omni tempore adultis necessarius necessitate medii ad salutem. Nam *ad Hebr.* 11. dicitur: *Sine fide impossibile est placere Deo.* Ubi Apostolum de Fide supernaturali loqui patet ex eo, quia paullo ante Fidem defi-

Actus fidei est necessarius necessitate medii

niverat, quod sit *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*. Et Christus, *Marc. ult.* ait: *Qui non crediderit, condemnabitur*. Ubi iterum sermo est de Fide in Evangelium, consequenter de Fide supernaturali. Et *Ioan.* 3. *Qui non credit, iam iudicatus est*. Scilicet Fide Divina; nam subditur: *Quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei*. Et Tridentinum *Sess.* 6. *cap.* 7. ait, *Baptismum esse Sacramentum Fidei, sine qua nulli unquam contigit iustificatio*. Et *cap.* 8. *Fides est salutis humanae initium, fundamentum, et radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo, et ad filiorum eius consortium pervenire*. Unde etiam infantibus Fides habitualis est necessaria necessitate medii ad salutem.

*Schol.* Deistae negant, Fidem aliquam supernaturalem esse necessariam ad salutem, sed sufficere Religionem naturalem. Sed eos refutavimus in *diss. Procem.* (t. 1. § 3. cum Schol.).

ART. 3. *De rebus explicite credendis ad salutem.*

Quaenam explicite credenda? § 537. 1. In omni statu et tempore explicite credendum fuit necessitate medii, ita ut aliquis salvari non potuerit, Deum existere ut Auctorem supernaturalem gratiae, et remuneratorem gloriae. Ita docet Apostolus *ad Hebr.* 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, et inquirentibus se remunerator sit*. Apostolum hic loqui de Deo remuneratore in ordine supernaturali, constat, tum quia dicit, *oportet credere*, scilicet ea Fide, quae est *sperandarum substantia rerum, etc.* adeoque supernaturali: tum quia in eodem capite de Abraham subdit, quod cum aliis Patribus *meliorem patriam* appeteret, id est coelestem: et de Moyse, quod thesauro Ægyptiorum contempto aspiceret in *remunerationem*, id est coelestem.

2. Item pro omni statu et tempore necessitate medii necessaria fuit aliqua Fides Incarnationis. Sic *ad Gal.* 4. dicitur: *Non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi*. Et *Act.* 4. *Non est in aliquo alio salus: nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*. Propositio est universalis ad nullum statum et tempus restricta. Deinde nos non salvamur absque Fide Incarnationis: ergo nec antiqui sine ea saltem implicita salvati sunt; nam Fides nostra, et veterum ante Evangelium quoad substantiam eadem est: 2. *ad Cor.* 4. *Habentes eumdem spiritum Fidei*. Denique sicuti necessaria est redemptio Christi, ita et Fides illius, per quam nobis applicatur redemptio: *ad Rom.* 15. *Iustitia Dei per Fidem Iesu Christi in omnes, et super omnes*. Sed redemptio Christi pro quovis tempore post peccatum fuit necessaria necessitate medii ad salutem: ergo etiam Fides in Christum.

An fides explicita Incarnationis et SS. Trinitatis ne- *Schol.* 1. Nonnulli negant, in hoc statu post Evangelium promulgatum Fidem explicitam Incarnationis, et SS. Trinitatis esse necessitate medii necessariam ad salutem. Canus vero vult, eam solum esse necessariam ad glorificationem, non vero ad iustificationem. Certum

est, in veteri lege Fidem implicitam Incarnationis et SS. Trinitatis saltem communi populo suffecisse ad salutem. Ast post Evangelium sufficienter promulgatum, 1° Fides Incarnationis explicita necessitate medii necessaria est ad salutem. Ita 1. ait Christus, *Ioan.* 3. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Sed aspectus serpentis erat medium necessarium ad salutem corporis. Ergo et Fides in Christum ad salutem animae, et quidem explicita; nam subditur: *Qui credit in eum, non iudicatur, qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei.* Item *Marc. ult. Praedicate Evangelium omni creaturae: qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* Ergo ad salutem absolute necessarium est, credere Evangelium, quod Mysterium Incarnationis explicite continet. Et *Ioan.* 14. Christus ait: *Creditis in Deum, et in me credite.* Ubi parem exigit Fidem de Deo et seipso. Sed Fides in Deum explicita requiritur. Ergo et in Christum. Unde Tridentinum *Sess.* 6. *cap.* 6. ait, requiri, ut credatur *illud imprimis, a Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem, quae est in Christo Iesu.* Ergo requirit Fidem explicitam Incarnationis, et quidem *imprimis*, id est necessitate medii. 2. Ita docet S. Augustinus *l. de corrept. et grat. c.* 7. *Ab hac damnatione non se liberabunt, qui poterunt dicere, se non audiisse Evangelium.* Et S. Bernardus *ep.* 77. ait, *Baptismum aliquando posse suppleri; non vero fidem Evangelii explicitam.* Et S. Thomas 2. 2. *a.* 7. concludit: *Post tempus gratiae revelatae tam maiores, quam minores tenentur habere Fidem explicitam de Mysteriis Christi.* Et in Symbolo Athanasiano, post explicata Mysteria SS. Trinitatis et Incarnationis, subditur: *Haec est Fides Catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.* 3. Ratio est: In Lege Evangelica perfectior Fides Incarnationis requiritur, quam in veteri: sed in veteri Fides implicita Incarnationis necessitate medii requirebatur (§ 533. n. 2.): ergo in nova explicita requiritur. Ex hoc fluit 2° quod etiam Fides explicita SS. Trinitatis in nova Lege sit necessaria necessitate medii ad salutem, tum ex citato loco *Marc. ult.* tum ex eo, quod Fides explicita Incarnationis sit necessaria, quae nequit haberi sine Fide explicita SS. Trinitatis, scilicet, quod Filius Dei sit incarnatus, et conceptus de Spiritu S. 3° fluit, Fidem explicitam Incarnationis et SS. Trinitatis non solum ad glorificationem, sed etiam ad iustificationem esse necessariam necessitate medii, tum ex locis *Ioan.* 3. et *Marci ult.* citatis, et ex Tridentino, quod non solum agit de glorificatione, sed de iustificatione: imo *Ioan.* 3. Christus non solum dicit, quod, qui incredulus est Filio Dei, non videbit vitam, sed addit, *quod ira Dei maneat super eum*, id est, remaneat peccator, et iniustus; tum quia iustus est filius Dei adoptivus, et haeres gloriae. Ergo si Fides haec implicita sufficit ad iustificationem, sufficit etiam ad glorificationem,

quod est contra Canonm. Non obstat I. quod *ad Hebr.* 11. requiratur tantum Fides in *Deum remuneratorem:* et Cornelius dicitur *iustus*, antequam haec Mysteria a S. Petro didicit. *Resp.* Apostolus non dicit, *sufficit*, sed *oportet credere;* unde Fidem explicitam Incarnationis, et SS. Trinitatis non excludit. Cornelius vel iustificatus fuit per Fidem implicitam horum Mysteriorum, ob Evangelium nondum sufficienter promulgatum: vel ante iustificationem a S. Petro de his Mysteriis instructus fuit et dicitur iustus a nuntiis a se missis, id est, bene moratus; nam illi ignorabant, in quo vera iustitia consisteret. II. Qui habet Fidem explicitam Dei remuneratoris supernaturalis, potest elicere perfectam Contritionem, et Charitatem: ergo iustificari. *Resp.* Potest quidem elicere, attenta sola rei natura, non vero ordinatione Dei, qui nemini vult dare gratiam efficacem verae Contritionis sine Fide explicita Incarnationis, et SS. Trinitatis. III. Puer in sylvis enutritus vivens secundum rectam rationem: item perveniens ad primum instans rationis: item surdus et mutus, nil audientes de Evangelio, sine Fide explicita horum Mysteriorum iustificantur. *Resp.* Tali puero vel Deus interne revelabit haec Mysteria, vel fidei praeconem ad eum mittet. Ita S. Thomas. In instanti rationis morali puer de his Mysteriis satis instrui potest. Surdus et mutus si nullius instructionis sit capax, reputatur pro amente vel infante, qui sine Fide actuali per solam Fidem habitualem in Baptismo susceptam salvatur. IV. S. Augustinus *l.* 1. *ad Simplician. q.* 2. ait: *In quibusdam tanta est gratia Fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnum coelorum, sicut in Cathecumenis . . . in quibusdam vero tanta, ut iam corpori Christi, et sancto Dei templo deputentur.* Ergo datur Fides sufficiens ad iustificationem, quae non sufficit ad obtinendam gloriam. *Resp.* Ex verbis S. D. contrarium colligitur; nam agnoscit eamdem Fidem, quae sufficiat, ut quis deputetur sancto Dei templo, id est regno coelorum, et ut corpori Christi per iustificationem incorporetur.

**Deistae et eorum tolerantia refutatur.** *Schol.* 2. Cum absque explicita Fide Incarnationis et SS. Trinitatis nemo salvari possit, illi qui nihil de Evangelio audiverunt, extra salutis viam sunt, et damnantur, non quia non crediderunt, infidelitas enim negativa peccatum non est: sed quia originali peccato obstricti, aliisque peccatis actualibus et personalibus inquinati, medio illa expiandi a Christo nobis praescripto destituuntur. Quare graviter errant Deistae et increduli cum Voltairio, cum cuilibet Religioni et Sectae amplissimam viam salutis pandunt. Quippe homo non ad suum lubitum, sed Dei beneplacitum actiones suas dirigere debet; unde Religio contraria revelationi Divinae accepta illi esse nequit; et cum una sit veritas, una etiam solummodo vera Religio esse potest. Quod autem Rousseau ait *Emile tom.* 3. dogma Intolerantiae crudele esse, odium proximi inducere, et Intolerantes hostes esse generis humani, absonum est; nam intolerantiam Theologicam a civili distinguere oportet, quod apte fieri posse, exemplum primitivae Ecclesiae

demonstrat. Primi quippe Christiani Gentilium errores proscribebant; sed simul quantum ad officia vitae civilis Principibus obedientiam, et reliquis omnibus charitatem et humanitatem exhibebant. Quare etiam nos incredulos et haereticos nec odio habemus, nec absolute damnamus, nec de eorum salute omnino desperamus, cum se convertere possint; sed toto cordis affectu pro eorum temporali et aeterna salute Deum precamur. Ita Cl. P. Bertieri *Th. dogm. tom.* 2.

*Schol.* 3. Iurius, in libro *le vrai Système de l'Église*, omnibus Societatibus Christianis fundamentales Fidei articulos retinentibus aeternam salutem pollicetur. Verum cum hoc modo unitas ceu genuina verae Ecclesiae nota subsistere non possit, quam *tom.* 1. § 16. iam demonstravimus, hoc commentum ruit, quod etiam ipsa adversariorum dissensio in statuendis fundamentalibus articulis magis adhuc destruit. Quippe ipse Iurius Trinitatem et Incarnationem pro fundamentalibus articulis astruit. Buddeus *Inst. Th. dogm. l.* 1. *c.* 1. praeter haec Mysteria inter fundamentales articulos recenset, Deum velle omnium salutem, Christi satisfactionem, nostram iustificationem, fidem, poenitentiam, vitam aeternam. Clericus *diss. de eligenda inter Christianos dissid. sententia*: et Lockius *de Christianismo rationi consono*, contendunt, eos omnes salvari, qui credunt unius Dei existentiam, et Christum esse Messiam, etsi de eius Divinitate male sentiant. Semlerus *Inst. ad doctr. Christ. t.* 1. *c.* 2. articulos fundamentales eos esse ait, qui in Baptismi formula et Symbolo Apostolico continentur; sed § 79. ait, articulos fundamentales Ecclesiarum particularium seiungendos esse ab iis, qui totius Christianae familiae proprii sunt; imo cum fundamenta Christianismi practici non omnino abiiciant Sociniani, novi Ariani, et Arminiani, illis etiam salutis viam patere. Denique Fanatici, omnis nationis et linguae homines, Gentiles, Iudaeos, Turcas inter membra Catholicae Ecclesiae recensent, dummodo rationis lumen Divinum sequantur. Verum qualis Ecclesia, in qua ne quidem de articulis Fidei fundamentalibus consensus adest? Sane Ecclesia nullo non tempore illos ex suo gremio exclusit, qui in quocumque articulo ab eius doctrina recesserunt, uti iam alibi (tom. 1. § 16.) ostensum fuit. Dices I. In veteri Testamento multi extra Synagogam salvati sunt per solam observationem legis naturalis: ergo etiam extra Ecclesiam in novo Testamento salvari quis potest, quod legem naturae non abrogavit. *Resp.* Synagoga ad solos Iudaeos pertinebat, ceu propria eorum Ecclesia, extra quam nullus Iudaeus salvari potuit; nec fuit universalis, omnes veros Dei cultores complectens: at Ecclesia Christi ex sua institutione est universalis, et praeter legem naturae alia etiam credenda et agenda praecipit. II. Diversae etiam Sectae unam Ecclesiam possunt constituere, si eorum Sectatores sint uniti in charitate, qua destructa, vera consensio destruitur. *Resp.* Unitas in Fide praecipue in vera Ecclesia requiritur, qua destructa, si qua etiam charitas manet, Ecclesia corruit, uti patet ex eius definitione. III. Durum est, omnes

Quinam articuli fundamentales fidei?

extra Ecclesiam Catholicam viventes damnari. *Resp.* Durum est, sed tamen verissimum, cum S. Scriptura, et tota Traditio testetur, extra Ecclesiam veram et Catholicam, quae tantum una est, non esse peccatorum remissionem, charitatem et salutem.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° In Catechesibus omnino docendum est, absolute necessariam esse cognitionem explicitam SS. Trinitatis et Incarnationis Christi, et eorum, quae sub his mysteriis latent, scilicet, omnia Deum ex nihilo creasse: omnia ab eo regi: eum esse remuneratorem bonorum in hac et altera vita, et iudicem, ac vindicem iustissimum malorum: animam hominis esse immortalem: gratiam Dei esse necessariam ad salutem. Ita Benedictus XIV. in Bulla: *Etsi minime,* quae omnia hoc versu continentur: *Facta, regit, iudex, mens immortalis, opemque, Tres, Caro.* Frequenter etiam inculcanda Mysteria vitae, passionis, ac mortis Christi. 2° Si quis adeo rudis foret, ut ne quidem Deum remuneratorem sciret, nec de eo quid capere posset, in periculo mortis baptizari posset, quia foret instar infantis: si tamen mora permittat, cum tali rudi elicere iuvat actum Fidei, Spei, Charitatis, et Doloris. 3° Si confessarius advertat, poenitentem ignorare scitu necessaria necessitate medii, est incapax Absolutionis; unde vel prius instrui debet, vel sine Absolutione dimitti, monendo, ut illa addiscat. Item ignorans Mysterium SS. Trinitatis, et Incarnationis est incapax Absolutionis, iuxta *prop.* 46. ab Innocentio XI. damnatam. In casu vero necessitatis, quando quis de his Mysteriis instrui nequit, iuxta P. Babenstuber sub conditione absolvendus est, modo explicite credat, Deum esse remuneratorem bonorum, vindicem malorum; reliqua vero implicite, credendo quod credit Catholica Ecclesia.

### Art. 4. *De Rebus necessitate Praecepti credendis.*

Credenda et scienda necessitate praecepti. § 558. Necessitate praecepti tenentur adulti saltem quoad substantiam scire, et credere, 1. Articulos fidei in Symbolo Apostolorum contentos. 2. Orationem Dominicam. 3. Decalogum, et Praecepta Ecclesiae. 4. Septem Sacramenta, ea praecipue, quae suscipiunt. 5. Signum S. Crucis.

*Credo, Pater, Mandans, Ecclesia, Septem.* Symbolum Apostolorum requiritur ad recte credendum; Oratio Dominica ad recte sperandum; reliqua ad bonum faciendum, et malum fugiendum.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Adulti praesertim rudiores satisfaciunt huic praecepto, si recensita puncta sciant secundum substantiam, secundum id, quod vocibus simpliciter significatur; non vero sufficit, si implicite solum credant, credendo quod credit Catholica Ecclesia. Parochi vero, Curati, Confessarii et Concionatores tenentur etiam illa scire secundum modum, et explicationem, ita ut illa ex S. Scriptura, vel aliunde probare possint. Episcopi demum, Praelati et Doctores tenentur etiam illa scire secundum difficultates et controversias, ita ut haereticorum obiectiones solvere possint, quia rudes docere

tenentur: Trident. *Sess.* 5. 2° Connitendum quidem est omni modo, ut praedicta memoriae mandentur secundum ordinem verborum; gravis tamen ad hoc obligatio probari non potest, maxime in rudioribus, sed satis est, si quis interrogatus recte respondeat. 3° Si Confessarius advertat, poenitentem ignorare quoad substantiam scitu necessaria necessitate praecepti, absolute quidem cum breviter instructum absolvere potest, si habeat verum propositum ea discendi; secus vero, si non habeat. Si vero Confessarius advertat, quod poenitens iam a multis Confessionibus occasionem ea discendi neglexerit, sine Absolutione dimittat, donec serium propositum ostendat. 4° In articulo mortis Confessarius doceat ea, quae necessitate medii explicite sunt credenda, ignaros, et in quantum fieri potest, necessaria necessitate praecepti; moneat, ut de negligentia sua doleant, cum proposito ea discendi, si copia detur, et frequentes actus Fidei eliciant, credendo quidquid Deus revelavit, et Ecclesia credendum proponit.

### Art. 5. *De frequentia eliciendi actus fidei.*

*Praeceptum datur ad eliciendum actum fidei internum.*

§ 559. Praeceptum Fidei, prout est negativum, secundum actum internum pro omni tempore obligat, ne unquam interne dissentiamus, vel voluntarie dubitemus de ullo Fidei articulo sufficienter nobis proposito; quia hoc cederet in contemptum Divinae auctoritatis. Prout vero hoc praeceptum est affirmativum, non quidem obligat pro omni tempore, sed ut saepe eliciamus actum Fidei circa praecipua Mysteria. Ita patet ex hac propositione damnata ab Innocentio XI. *Satis est, actum Fidei semel in vita elicere.* Et: *Sufficit, illa Mysteria semel credidisse.* Ratio est, quia Christianus non potest christiane vivere, et tendere ad Deum, nisi frequenter per actus Fidei animum ad Deum erigat.

*Resolvuntur casus.*

*Coroll. Pract.* 1° Non potest certo statui, quoties ad actus Fidei quis obligetur: directe tamen quis obligatur 1. quando illi Mysteria sufficienter ad credendum sunt proposita, ubi longa mora trahi non debet: et ideo pueri tenentur elicere Fidem, quando usum rationis sunt adepti, et necessitatem credendi sufficienter apprehendunt; unde a parentibus mature in rebus Fidei instruendi sunt. Excusantur tamen pueri plerumque a transgressione huius praecepti, tum quia non satis penetrant obligationem credendi; tum quia illis Mysteria Fidei ut divinitus revelata non satis proponuntur; tum quia mora culpabilis ex prudenti iudicio aestimanda est. 2. Obligatur, quando urget vehemens tentatio contra Fidem, alio modo non vincibilis, maxime in articulo mortis; scrupulosi tamen satisfaciunt, mentem ad alia obiecta, et pios affectus avertendo. 3. Quando facienda est Professio Fidei externa de praecepto; alias enim quis mentiretur. 4. Indirecte hoc praeceptum obligat, quando aliud praeceptum urget ad eliciendos actus Spei, et Charitatis, Religionis, et Poenitentiae, vel gratia amissa est reparanda; ubi tamen notat Sanchez, sufficere actum Fidei implicitum, et

virtualem. 2° Non opus est, ut pii Christiani anxiontur, an huic praecepto eliciendi Fidem satisfaciant, quia practice censetur satisfieri per actus Fidei in actibus aliorum bonorum operum occurrentes, v. g. in recitatione Symboli, usu SS. Eucharistiae, etc. quae sine actu formali vel virtuali Fidei fieri non possunt. Licet vero sit mens Ecclesiae, ut fideles in Festis per annum celebrari solitis Mysteria per Fidem pie recolant; non tamen definit, eum peccare mortaliter, qui forte aliquo Festo actum Fidei elicere negligit. 3° Actus Fidei formalis ita elicitur: Credo quidquid Deus revelavit; quia ipse est aeterna veritas et sapientia, quae nec falli potest, nec fallere. Vel: Credo quidquid credit Catholica Ecclesia, quia Deus, infallibilis veritas et sapientia, illud revelavit; ubi semper addendum est motivum formale Fidei: quod si fideles saltem in mente addant Symbolo Apostolorum recitato, frequentissimos actus Fidei elicient; quod proinde illis suadendum est.

### Art. 6. *De externa fidei negatione.*

Non licet exterius fidem negare. § 360. In nullo casu etiam vitandae mortis licet Fidem corde retentam ore vel facto negare, falsamque exterius profiteri, seu simulare. Christus enim *Matth.* 10. ait: *Qui me negaverit coram hominibus, negabo eum coram Patre meo.* Et 2. *ad Tim.* 2. *Si negaverimus, et ille negabit nos.* Ergo est praeceptum negativum, non negandi Fidem, quod semper et pro semper obligat. Ratio est: negare Fidem, est dicere Deum revelasse falsum, vel Fidei dogmata non revelasse. Sed utrumque est mendacium Deo iniuriosum. Ergo non licet.

Solvuntur obiectiones. *Schol.* 1. Helcesitae, teste Eusebio *l.* 6. *hist. c.* 31. docebant, Fidem in persecutione ore negari posse, modo in corde conservaretur. Idem dicebant Priscillianistae. I. Naaman Syrus permittente Elisaeo simulavit adorare idolum in templo Remmon cum Rege suo, 4. *Reg.* 5. *Resp.* Naaman solum obsequium politicum Regi suo exhibuit. II. Sinenses Catholici Confucium suum cultu externo idololatrico colere non prohibentur. *Resp.* An hic cultus Confucio exhibitus sit idololatricus, et illicitus, diu disputatum fuit, uti mox dicetur.

De ritibus Sinensibus. *Schol.* 2. Sinenses Confucio Philosopho templa erigunt, et in aequinoctiis in eius honorem caprae, vini, candelarum, florum et thymiamatis oblationem faciunt: parentibus etiam sacras aedes erigunt, iisque statis temporibus sacrificia offerunt. Habent etiam tabellas mortuorum nomine inscriptas, quas sedem aut thronum animarum vocant, et alias in suis templis collocatas cum hac inscriptione: *Coelum colito.* Hos ritus a neo-conversis vel ut superstitiosos et Christianae Religionis contrarios S. Congregatio *de propaganda Fide* anno 1643. reprobavit, et Innocentius X sub excommunicationis poena vetuit. Verum ob non satis exactam harum consuetudinum relationem a quibusdam Missionariis S. I. factam, iterato examine quasdam, ut civiles, tolerari posse Congregatio Inquisitionis censuit, eiusque sententiam Alexander VII. an. 1656. ratam habuit. Verum re

ab aliis Missionariis praesertim Ord. Praed. denuo ad tribunal Inquisitionis delata, decretum Innocentii confirmatum est, et Carolus Maigrot in Provincia Fokensi Vicarius Apostolicus ritibus his oculis inspectis et rite perpensis, eos an. 1693. damnavit. Quod idem fecit Clemens XI. qui etiam Thomae de Tournon Visitatori suo in Sinarum Imperio iussit, decretum suum ab omnibus Missionariis servari, quod ille non sine maxima difficultate executus est, contradicentibus nihilominus Missionariis, qui eos licitos putarunt; unde statuta sua Clemens XI. denuo confirmavit; sed necdum sopita controversia, tandem Benedictus XIV. rem confecit, et in Bulla: *Ex quo singulari*, omnes Missionarios iuramento ad exactam observantiam Clementis XI. obstrinxit.

*Schol.* 3. Idem Tournonius quosdam ritus Malabaricos an. 1704. damnavit, uti Pillayaris iduli imaginem ex funiculo 108. filorum portare, superstitiosos ritus in nuptiis, cinerum ex vaccarum stercore benedictionem frontique inspersionem, etc. de quibus scripserunt plures relati a Mamachio *tom.* 2. *Orig. Christ.* et Walchio *Bibl. Th. tom.* 2. Decretum Tournonii confirmavit Clemens XI. cuius Constitutionem cum nonnulli revocatam esse venditarent, ipse Clemens authenticum eius exemplar Episcopo Meliapurensi transmitti iussit. Item Benedictus XIII. an. 1727. Tournonii statuta confirmavit: cumque adversarii necdum acquiescerent, Clemens XII. re ad eorum instantiam denuo discussa, dictum decretum denuo confirmavit, et ad illud observandum omnes Missionarios iureiurando adegit, ac tandem totam controversiam definitiva ultimata sententia Benedictus XIV. in Bulla: *Omnium sollicitudinem*, diremit. Vid. Cl. P. Berti *Th. l.* 23. *c.* 10. **De ritibus Malabaricis.**

*Corollar. Pract.* 1° Ille externe directe Fidem negat, qui claris verbis negat articulum Fidei, vel contrarium errorem approbat: ille vero indirecte, vel interpretative Fidem negat, qui ab auctoritate publica de Fide sua interrogatus tacet, et verbo, signo, vel facto falsam Religionem profitetur: si quis vero loco responsi oscularetur Crucifixum, esset virtualis Fidei externa confessio. 2° Ad evitanda gravia mala propter Fidem imminentia licet Christiano fugere, vel se abscondere, nisi quis ex officio honorem Dei, et salutem proximi specialiter curare debeat: pro quo hanc regulam tradit P. Sporer: Si sis in tali statu, ut te fugiente periclitaretur honor Dei, salus proximi, et observatio tui officii; fugere non licet. Si solum es utilis, non vero necessarius, manendò, poteris manere; non tamen teneris cum gravi tuò incommodo. Si manendo potius obesses, quam prodesses, peccares non fugiendo, ob malum per tuam praesentiam causatum, nisi bona fides excuset. 3° Ad vitanda mala gravia propter Fidem, licet se pecunia redimere, quia datur pecunia ad redimendam vexam, sine privata Fidei negatione, sicuti olim faciebant Libellarii. 4° Qui publica auctoritate interrogatus, verbis ambiguis et aequivocis respondet; v. g. sum Evangelicus, subintelligendo Catholicus, Fidem interpretative negat et mortaliter peccat: si vero taceat, vel dicat, se non te- **Resolvuntur casus.**

neri respondere, etc. non quidem negat Fidem, sed peccat contra praeceptum affirmativum, Fidem exterius profitendi. Si quis vero a privato interrogetur, non licet quidem tacere, si silentium foret signum negationis, vel erubescentiae Fidei: nec licet negare, se esse Catholicum; posset tamen quaestionem eludere, dicendo: quid ad te? etc. quia sic Fidem tantum ex iusta causa dissimularet, vel celaret. 5° Sacerdos vel Religiosus non negat Fidem, si neget, se esse Sacerdotem, vel Religiosum, quia tantum certum vitae statum non profitetur. 6° Si Magistratus haereticus mandet, ut Catholici per certum signum se prodant, qui non obedit, non negat Fidem, sed mere occultat, nisi hoc signum statueretur pro signo negationis Fidei. 7° Utens vestitu directe manifestativo haeresis, vel infidelitatis, interpretative Fidem negat: si vero vestitus sit tantum distinctivus gentis a gente, illo uti, et se esse huius nationis, simulare licet, ob iustam causam, v. g. securitatem itineris. Si sint signa distinctiva sectae a secta, sed non protestativa talis sectae, quia habent alium finem, v. g. corpus vestire; tali signo uti, v. g. vestibus Praedicantium, non est mortale secluso scandalo, et quando non urget praeceptum confessionis externae Fidei, quia nec professio sectae intenditur, nec signum ad hoc institutum est: imo Christiani milites et navigantes in mari signis falsae Religionis protestativis uti possunt, quia hostes sciunt, in his circumstantiis hoc fieri, non ad falsam Religionem profitendam, sed ad decipiendum. 8° Facto simulat, et Fidem interpretative negat, qui voluntarie actionem exercet, quae sit ipse cultus falsus, v. g. thus idolo immolat: vel ex circumstantiis significat professionem falsae Religionis, v. g. accedendo ad Coenam Acatholicorum. 9° Ad Fidem dissimulandam ex gravissima causa licet die prohibito comedere carnes, si non accipitur pro signo falsae Fidei, quia in hoc casu praeceptum Ecclesiae non urget, si scandalum, et contemptus verae Religionis absit, si vero carnes apponerentur ad explorandam Fidem, non liceret comedere: si quis vero protestaretur, hoc non esse signum, quia Catholicis licet vesci carnibus in multis casibus, comedendo ex gravi causa non peccaret: ita Layman. 10° Si Acatholicus coram Catholico Fidem Catholicam iniuriis afficeret, teneretur eam Catholicus sua confessione defendere, si fructum speret; secus, si maior contemptus Religionis praevideatur. 11° Ad externam Fidei Professionem iure Ecclesiastico sub mortali tenentur cum iuramento obediendi Ecclesiae Romanae, 1. Provisi de Beneficio curato intra duos menses a die possessionis coram Episcopo, Vicario generali, vel officiali. 2. Provisi de Canonicatu, et dignitate in Ecclesia Cathedrali coram Episcopo, vel Vicario, et in Capitulo, sub poena, quod fructus non faciant suos. 3. Hoc Pius IV. extendit ad Praelatos Religionum etiam Militarium, licet haec extensio in omnibus Religionibus non sit recepta. 4. Pius V. idem extendit ad Doctores, Magistros Regentes, et Professores quarumcumque artium Clericos, et Laicos sub poena excommunicationis latae, et privationis omnium Beneficiorum

in eos, qui aliquem sine hac Professione ad gradum, vel Cathedram promoverint. Haec Professio nequit fieri per Procuratorem.

### Art. 7. *De Fidei permansione cum peccato.*

§ 561. Fidei non opponitur quodcumque peccatum, adeoque habitus Fidei remanet in peccatore, qui non committit peccatum infidelitatis. Ita 1° docet Apostolus 1. *ad Cor.* 13. *Si habuero omnem Fidem . . . Charitatem autem non habuero, nihil sum.* Ubi aperte supponitur, Charitatem a Fide separari posse. Hine Tridentinum *Sess.* 5. *can.* 8. definit: *Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul et Fidem semper amitti; aut Fidem, quae remanet, non esse veram Fidem . . . anathema sit.* Et Alexander VIII. damnavit hanc propositionem 18. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides, et etiamsi videantur credere, non est Fides Divina.* Et hanc 52. Quesnelli: *Fides non est absque amore et fiducia.* 2° Non omne peccatum est contrarium Fidei, nec destruit rationem formalem obiecti illius; et Fides in intellectu potest firmiter adhaerere Deo, licet voluntas per peccatum ab eo deflectat: ergo Fides remanet in peccatoribus. Fides manet in peccatoribus

*Schol.* 1. Protestantes, qui gratiam habitualem a Fide non distinguunt, consequenter docent, Fidem in homine peccatore non remanere, nec gratiam amitti, nisi per peccatum infidelitatis. Quesnellus etiam *prop.* 51. *et* 52. docet, Fidem non posse divelli a Charitate. I. Quia Fides iuxta S. Scripturam sine operibus mortua est, et sine Charitate nil prodest. *Resp.* Talis Fides nil prodest, quia non meretur vitam aeternam; non tamen omnino extinguitur quoad actus suos. II. Iuxta S. Augustinum *in Ps.* 31. *n.* 6. sola Fides, quae per dilectionem operatur, mundat cor, et sine Spe, et Charitate pia Fides non est. *Resp.* Idem S. D. *tr.* 6. *in Ioan.* notat: *Fides sine Charitate potest esse, non tamen prodesse.* III. Sine Charitate nulla est virtus Christiana: ergo nec Fides. *Resp.* Nulla est virtus meritoria, quae debet fieri in statu gratiae (t. 1. § 385.). Solvuntur obiectiones.

*Schol.* 2. In daemonibus, et damnatis non remanet Fides infusa et supernaturalis, quia carent donis gratuitis, et pia motione voluntatis. Credunt ergo fide naturali, tum ex evidentia signorum, tum miserabili experientia, qua Deum vindicem sentiunt. In Beatis etiam non remanet Fides, quia in eis destruitur obiectum formale Fidei, quod est prima Veritas non visa, quam intuitive Beati vident. Remanet tamen Fides in animabus Purgatorii quae Deum nondum clare vident, et sperant adhuc beatitudinem, cuius spei Fides fundamentum est. An fides in damnatis, etc. maneat?

## CAP. IV.

### *De Infidelitate.*

§ 562. Quia non omnia peccata opponuntur Fidei, (§ 561.); hinc modo videndum, quaenam ergo peccata illi opponantur. In ge- Infidelitas quid?

nere ergo Fidei opponitur omnis *Infidelitas*, quae est carentia Fidei.

Quotuplex? *Schol.* Infidelitas alia est *negativa*, seu *materialis*, quae est invincibilis carentia in eo, qui nihil unquam de Fide audivit: alia est *formalis*, quae iterum vel est *privativa* in eo, qui vel non vult audire Fidem, vel ei sufficienter propositae non assentiri, vel non inquirere, quando tenetur: vel est *positiva* et *contraria*, seu carentia Fidei in eo, qui sufficienter propositae dissentit, negando veritatem Fidei, vel contrarium errorem asserendo. Haec iterum triplex est: 1. *Paganismus*, in quo doctrina Fidei tam secundum vetus, quam novum Testamentum reiicitur; quo reducitur *Atheismus* et *Mahometismus*. 2. *Iudaismus*, in quo Christo nato novi Testamenti doctrina reiicitur, et veteri Testamento multae fabulae Talmudicae admiscentur, et sic figura pro veritate admittitur. Pagani, Iudaei et omnes, qui non sunt baptizati, vulgo *Infideles* dicuntur. 3. *Haeresis*, de qua mox plura. Huc etiam reducitur *Apostasia*, quae est discessio a Fide Catholica ad Infidelitatem: latius etiam sumitur pro defectione a S. Ordine ad statum laicalem, et matrimonialem: item pro defectione a Religiosa Professione: denique pro defectione ab obedientia Summi Pontificis, et *Schisma* dicitur.

Infidelitas positiva est peccatum. § 563. Infidelitas negativa non est peccatum, sed poena peccati: formalis vero privativa, et positiva, scilicet Paganismus, Iudaismus, Atheismus, et Mahometismus, est peccatum. Rationem dat S. Thomas, quia repugnat auditui Fidei, et eam contemnit: et patet ex dictis (§ 464. et 465.).

Infideles vi ad fidem cogendi non sunt. *Schol.* 1. Infideles, qui nunquam Fidem susceperunt, sive subdantur Principibus Christianis, sive non, nullatenus ad Fidem cogendi sunt, quia Ecclesia nullam in eos habet iurisdictionem, nec Principes habent potestatem, subditos ad fidem cogendi, non iure naturae, quia praeceptum Fidei est supernaturale: non iure Divino, quod neque ex S. Scriptura, neque ex Traditione colligitur; imo ex modo, quo Christus Apostolos misit, contrarium eruitur, quos non ut milites armatos, sed ut agnos inter lupos misit, et voluit, ut in pace, et patientia possiderent animas suas. Hinc Innocentius III. *c. Maiores, de Bapt.* ait: *Est Religioni Christianae contrarium, ut semper invitus et penitus contradicens ad servandam Christianitatem aliquis compellatur.* Possunt tamen Infideles Principibus Christianis subiecti cogi, ne Evangelii praedicationem impediant, neve alios credere volentes violenter retrahant, aut turbent: imo etiam ad Fidei praedicationem statis temporibus quiete audiendam poenis adigi possunt, qualis lex conscientiae vim non inferret, sed eorum crassam negligentiam in salutis negotio suppleret. Unde Gregorius XIII. *Const.* 92. sub poena interdicti commercii cum Christianis Iudaeos ad audiendam singulis septimanis Christianam concionem ab Episcopis compelli voluit, denique infideles qui fidem aliquando susceperunt possunt corporaliter compelli, ut

servent; quod semel susceperunt. Qui enim Fidem per Baptismum susceperunt, incorporantur Ecclesiae tamquam eius subditi, et se ad Fidem servandam obligarunt. Ergo cogi possunt, ut obligationi satisfaciant.

*Schol.* 2. Ritus Infidelium Principibus Christianis subditorum per se loquendo non sunt tolerandi, quia eos observando Infideles peccant contra ius naturae. Per accidens tamen ad vitanda maiora mala possunt ritus Infidelium tolerari; et hinc recte tolerantur ritus Iudaeorum, quia sic testimonium Fidei accipimus ab hostibus nostris, et quasi in figura repraesentatur nobis, quod credimus. An ritus Infidelium tolerandi?

ART. 1. *De haeresi.*

§ 364. *Haeresis* est carentia Fidei in eo, qui Fidem quidem suscepit, sed libere et pertinaciter errorem contra Fidem tuetur. Est autem *Pertinacia* deliberata voluntas dissentiendi alicui veritati revelatae, ut tali, sufficienter per Ecclesiam, S. Scripturam, aut aliam Fidei regulam propositae. *Haereticus* est, qui baptizatus habet, vel tuetur voluntarie, et pertinaciter errorem contra aliquam Fidei veritatem. Haeresis quid?

*Schol.* 1. Haeresis mox definita dicitur *formalis*: huic opponitur *materialis*, quae quidem est error in Fide, sed ex ignorantia, simplicitate, et prava instructione, ita ut illi adhaerens paratus sit actu, vel habitu eum cognita veritate deponere. Haeretici alii sunt *interni* tantum, qui errorem sola mente retinent: alii *externi* simul, qui errorem suum exterius produnt facto, verbo, vel alio signo, cum intentione eum profitendi. Quotuplex?

*Schol.* 2. Fides sive habitualis, sive actualis non remanet in haeretico, qui vel unum tantum Fidei articulum pertinaciter negat. Sic 1. Apostolus *ad Gal.* 5. *v.* 5. iis, qui dicebant, observantiam legalium esse necessariam ad salutem, testatur: *Evacuati estis a Christo:* id est, a spiritu Fidei, uti explicat *v.* seq. Et Tridentinum *Sess.* 6. *cap.* 15. ait: *Asserendum est, non modo infidelitate, per quam et ipsa Fides amittitur; sed quaevis haeresis, etiam circa unum tantum articulum, est infidelitas.* Ergo Fides per eam amittitur. 2. In haeretico unum tantum articulum pertinaciter negante, non manet motivum formale Fidei, scilicet prima veritas, ut manifestata per Ecclesiam; qui enim unum articulum non credit, alios, quos tenet, non credit propter primam veritatem revelantem; alias etiam illum articulum crederet. 3. Si negans unum articulum retineret Fidem, posset dici Fidelis; nam Fides est una, et simplex in omni credente. Non obstat I. Apostoli in triduo mortis Christi, Fidem in Christum, et *Marci ult.* fidem resurrectionis, et praesertim S. Thomas, amiserunt: Moyses dubitavit, an aquam e petra eliceret: Zacharias, an filium habere possit, nec tamen circa alia Fidem amiserunt. *Resp.* Apostoli in illo triduo Fidem in Christum interius non amiserunt: iidem, Moyses, et Zacharias redarguuntur, non quod essent pertinaces in An unum articulum negans fidem retineat?

articulo Fidei sufficienter proposito, sed quod tardi essent ad credendum veritati sufficienter quidem revelatae, ad hoc, ut tenerentur credere sub veniali, non vero sub mortali. II. S. Augustinus *l. de Bapt. c.* 5. ait: *Tene Fidem resurrectionis mortuorum, sicut tenebas; sed crede iam Christum resurrexisse a mortuis, quod non tenebas*. Ergo Iudaeus habet fidem resurrectionis mortuorum. *Resp.* Iudaeus habet fidem mere naturalem, et acquisitam, non vero supernaturalem, et infusam Divinae auctoritati innixam. Eodem modo credit haereticus nonnullos articulos. III. Possum fide humana eidem homini credere unum, non vero aliud: errare circa conclusionem unam alicuius scientiae, quin amittam habitum scientiae circa alias conclusiones: servare unum mandatum, quin servem aliud: ergo etiam unum Deo credere, et non aliud. *Resp.* Disparitas est, quoad 1$^{um}$, quia homo non est universaliter infallibilis, sicut Deus. Quoad 2$^{um}$, in conclusionibus unius scientiae sunt diversa, per quae probantur, quorum unum cognosci potest sine alio; in Fide motivum est unicum. Quoad 3$^{um}$, in diversis mandatis diversa obstacula, et motiva occurrunt; non vero in Fide. IV. Unus actus contrarius habitum temperantiae non destruit: ergo nec unus habitum Fidei: imo Theologia manet in haereticis, ergo et Fides. *Resp.* Unus actus contrarius non tollit rationem formalem temperantiae. Et Theologia haeretici non est eadem cum nostra ex defectu obiecti formalis quo, scilicet revelationis mediatae.

### Art. 2. *De peccato haeresis.*

**Heresis est grave peccatum.** § 565. Haeresis ex genere suo est grave peccatum, et superat omnia peccata, quae contingunt in perversitate morum. Ratio est: quia per haeresim, sicut per aliam quamcumque infidelitatem mens hominis maxime a Deo avertitur, cum ne quidem veram Dei cognitionem tamquam primae veritatis admittat. Deinde Haeresis directe impedit remissionem aliorum peccatorum, quia Fides est fundamentum iustificationis, sine qua nemo Deo placere potest, et ad filiorum eius consortium pervenire.

**Resolvuntur casus.** *Corollar. Pract.* 1° Si quis ignoret, suam sententiam Catholicae Ecclesiae adversari, quantumvis crassa sit ignorantia, et a peccato mortali contra Fidem non excuset; proprie tamen non est haereticus, nec poenis Ecclesiasticis haereticorum subest, quia non est pertinax: imo ignorantia etiam affectata ob discendi taedium ab haeresi excusat; secus, si quis ideo ignorantiam affectet, quia proponentis auctoritatem minoris aestimat. 2° Dubitans deliberate cum pertinacia de aliquo Fidei articulo, sive positive iudicando, non esse certo, sed tantum incerto assensu dignum; sive negative, cohibendo assensum, licet positive non dissentiat; peccat graviter, et est haereticus, quia implicite saltem iudicat, eum esse incertum: et *c.* 1. *de haer.* dicitur: *Dubius in Fide, infidelis est*. Eodem modo peccat graviter, qui assensum tantum opinativum de Fide deliberate elicit, cogitando:

v. g. forte poenae Inferni non sunt aeternae. Et hoc iudicium in Fide erroneum iunctum cum pertinacia est haeresis. Si vero dubium tantum oriatur ex scrupulo conscientiae, vel alio motu, cui dubitans non consentit, sed resistit, nullum est peccatum: signum vero resistentiae est, si quis in ipsa tentatione magna molestia afficiatur, odio habens errorem, et diligens veritatem. 3° Haeresis formalis cognoscitur ex gradibus pertinaciae, quorum 1^us^ est, nolle inquirere in veritatem, dum quis de sua secta dubitat, ex odio et contemptu Ecclesiae. 2^us^ Contra definitionem Ecclesiae sufficienter propositam, sed non satis agnitam ideo sentire, quia quis animum a propositis motivis avertit, et malitiose ad motiva suae sectae convertit, non studio veritatis, sed ex respectu humano, et quia non vult subiici Ecclesiae. 3^us^ Agnita veritate Ecclesiae ex odio contradicere. 4° Signa haeresis materialis sunt: 1. Si quis errans contra Fidem paratus sit, agnito errore, mox Ecclesiae se submittere. 2. Si quis de Catholica Fide nihil sciverit; nec de sua unquam dubitaverit. 3. Si dubitans, inquirendo pro possibili veritatem agnoscere studuerit. 4. Qui propositam conversionem ex respectu humano, et incuria differt, ab eo quidem tempore haereticus non est; peccat tamen contra praeceptum affirmativum Fidei, si diu differat. 5° Qui negat aliquid per revelationem privatam Divinam sibi cognitum, est vere infidelis, et essentialiter ab haeretico apud Deum non differt; non tamen appellatur haereticus, nec poenis haereticorum subest (§ 547. Schol. 1.). 6° Media conservandi Fidem positiva sunt: 1. Maximi facere donum Fidei. 2. Saepius pro eo gratias agere. 3. Saepe actus Fidei elicere. 4. Magno studio Mysteria Fidei addiscere. Negativa sunt: 1. Fuga superbiae et libidinis. 2. Fuga curiositatis. 3. Fuga consortii Acatholicorum, et lectionis librorum haereticorum. 7° Modus recipiendi resipiscentes ab haeresi est: 1. Instruendi sunt in Fide nostra Catholica. 2. Disponendi sunt ad emittendam publicam Fidei professionem. 3. Hanc autem debent emittere coram Sacerdote superpelliceo induto, et duobus testibus. 4. Absolvantur ab haeresi, et admittantur ad Confessionem Sacramentalem, et SS. Eucharistiam.

### Art. 3. *De excommunicatione haereticorum.*

**§ 566. Haeretici formales, qui haeresim animo conceptam voce, vel alia actione mortaliter mala asserunt, aut profitentur, incurrunt Excommunicationem Papae reservatam: *c. 7. 13. de haeret.*** **Haeretici excommunicantur.**

***Corollar. Pract.*** **1° Quatuor conditiones requiruntur, ut propter haeresim excommunicatio incurratur. 1. Ut quis sit haereticus formalis. 2. Ut haeresim internam animo conceptam exterius significet per verba, vel alia signa sufficientia, etsi nullus audiat, vel videat. 3. Ut actio externa sit mortaliter peccaminosa; unde haereticus pure mentalis, et qui haeresim internam alteri prodit, ad petendum consilium, non est excommunicatus. 4. Ut quis haeresim externe asserat, animo eam profitendi. 2° Si quis haeresim occulte animo fovens** **Resolvuntur casus**

ideo a Missa, vel S. Communione abstineret, ita ut hoc modo colligeretur externa haeresis professio, Excommunicationem incurreret; secus, si oblivioni, vel alteri excusationi adscribi posset. 3° Excommunicantur haereticorum receptores, fautores, et defensores, qui favorem et auxilium haeretico, qua tali, praebent, ut haeresim latius diffundere possint, etiam ex amicitia, vel negligentia, si eorum officium sit, ut impediant.

ART. 4. *De libris prohibitis.*

Lectio librorum haereticorum prohibetur. § 567. Inter alia media negativa Fidem conservandi est fuga lectionis Librorum haereticorum. Quippe sicuti haeresim, ita et haereticorum libros Ecclesia semper detestata est; unde nequis libros haeresim continentes sine expressa licentia legeret, saepius iterata lege cavit. Sic Concilium Nicaen. II. statuit, haereticorum Scripta vulgo non permittenda. *can.* 9. Conc. Senonense a. 1518. idem decrevit *cap.* 34. Conc. Coloniense an. 1549. plures eiusmodi libros nominatis eorum Auctoribus prohibuit *med.* 1. *c.* 4. Item Conc. Londinense an. 1555. *c.* 2. Item Conc. Rothomagense an. 1581. c. 2. Item Conc. Burdigalense an. 1624. *cap.* 1. Vid. *Summ. Conc. Carranzae* a me editam. Utque Ecclesia legi suae maius robur adderet, Excommunicationis poenam Papae reservatam in omnes legentes, retinentes, imprimentes vel quomodolibet defendentes, per regulam Indicis et Bullam Coenae adiecit; quae poena etiam in recentioribus quibusdam Constitutionibus, uti Const. 74, Sixti V. et Const. 36. Clementis VIII. de novo confirmata fuit. Verum Ill. Godeau *Th. mor. part.* 1. notat, hanc legem Excommunicationis in variis Provinciis, et iuxta modernos Doctores etiam in Germania nec promulgatam, nec receptam, vel saltem per contrariam consuetudinem abrogatam fuisse. Unde curiosi ibidem lectores nullius quidem Canonicae poenae, peccati tamen gravis reatum incurrunt, nisi ignorantia aut parvitas materiae eosdem excuset.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Quatuor conditiones requiruntur, ut ob lectionem libri haeretici incurratur reatus peccati gravis * (et Excommunicatio Papae reservata.) *: Ut liber sit scriptus ab haeretico, sive typis sit impressus, sive non; sive Auctor sit haereticus nominatus et damnatus, sive non. Non tamen peccat qui haereses Scriptoris haeretici in libro Auctoris Catholici ad verbum insertas, sine prava intentione legit. Idem dicendum, si in libro Scriptoris Catholici legantur adiecta Scholia Scriptoris haeretici, quia talis liber non censetur commentantis haeretici, nisi Scholia tam copiosa forent, ut novus liber censeretur. Ille tamen probabilius graviter peccat, qui scienter epistolam vel concionem ab haeretico de Religione scriptam legit, quia sub generico nomine libri continetur. 2. Requiritur, ut liber vel haeresim in se contineat, vel de Religione tractet: unde non prohibentur libri haereticorum Philosophici, Medici, Historici, Poetici, Iuridici civiles, excepto Aventino, Sleidano, Munstero, Pro-

hibentur etiam illi haereticorum libri, qui de Religione expresse non tractantes, obiter aliquam haeresim inspergunt, licet P. Layman doceat, in tanto rigore Indicem in Germania quoad hoc non esse receptum. 3. Requiritur, ut quis talem librum scienter legat, etiam tantum oculis percurrendo. Si vero solum audiret, etiam mandando lectionem habenti licentiam, non incurreret peccatum grave, iuxta P. Billuart: sicut nec ille, qui legens, idioma non intelligeret. Requiritur etiam, ut scienter legatur, et imprimatur; unde ignorantia excusat a peccato; non tamen excusatur, qui sciens pravo animo non legit, quia lex est etiam in contemptum haereticorum. 4. Requiritur, ut legatur notabilis quantitas prudenti iudicio determinanda, v. g. pagina ex iusto volumine. 2. Libri haeresiarcharum, cuiuscumque sint argumenti, in eorum odium, et detestationem omnes prohibentur. 3° Retinentes etiam librum haereticum in sua vel aliena domo, suo vel alieno nomine, ex causa eum legendi vel non, peccant, si notabili tempore ultra diem, vel ultra quam occasionem habent eum extradendi, retineant. 4° Imprimentes, procurantes impressionem, typographi, et typos ordinantes librorum haereticorum, et eos, quatenus sunt haeretici, defendentes, similiter peccant graviter. 5° In Indice librorum prohibitorum Pii V. Sixti V. Clementis VIII. est duplex classis librorum prohibitorum. In 1ª classe ponuntur libri haeresiarcharum, et aliorum haereticorum, qui expresse de Religione tractant, etsi forte nullam haeresim contineant: hi omnes prohibentur sub poena Excommunicationis, ubi haec censura recepta est. * ( Haec autem Excommunicatio Summo Pontifici est reservata, qua ipso facto nodantur hos libros *legentes*, *retinentes*, *imprimentes*, *vel quomodolibet defendentes*, uti habetur in bulla Coenae ) *. In 2ª classe ponuntur libri haereticorum de Religione non tractantes, licet obiter unam vel aliam haeresim contineant; hi ex dictis secluso alio periculo legi possunt. Ad camdem classem spectant libri Catholicorum, qui specialiter prohibentur propter materiam, vel modum, quo scripti sunt, uti de rebus obscoenis, sortilegiis, maleficiis practicandis, Astrologia iudiciaria, etc. Quo reducitur *Talmud*, et *Alcoran*, qui omnes licite legi non possunt. * ( Hi libri 2ae classis prohibentur sub poena Excommunicationis ipso facto incurrendae non reservatae, uti habetur in reg. X. indicis iussu Tridentini Conc. editi. Notanda etiam est hac super re haec propositio 41. ab Alexandro VII. damnata: *libri prohibiti donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur*. Hisce addendi sunt libri prohibiti tertiae classis, cuiusmodi sunt libri, qui res turpes et obscoenas tractant, vel bonis moribus adversantur, puta quia continent propositiones laxas in materia morum, aut aliquid contra famam proximi qui sub peccato mortali, non vero sub censura prohibentur; nam ut habet regula 10. indicis: Qui *libros alio nomine interdictos* legerit, aut habuerit praeter peccati mortalis reatum, quo afficitur, iudicio Episcoporum severe puniatur. ). * Libri tamen Gentilium, et veterum haereticorum, uti Tertul-

liani, et Origenis, quorum errores iam extincti sunt, non prohibentur. 6° S. Scriptura in vulgari idiomate sine Episcopi vel Inquisitoris licentia legi prohibetur in regula 4ª Indicis: quae tamen prohibitio in nostris regionibus recepta non est, dummodo versio sit Catholica. * (Absque reatu peccati legi potest versio in lingua vulgari, dummodo sit vel a Sede Apostolica approbata aut edita annotationibus desumptis a Sanctis Ecclesiae Patribus, aut a doctis, Catholicisque viris. Ita S. Congregatio die 13. ian. 1757.). *

ART. 5. *De communicatione cum haereticis.*

Non licet cum Infidelibus communicare. § 568. Aliud medium negativum conservandi Fidem est fuga consortii haereticorum (§ 565. Coroll.). Hinc non licet cum Infidelibus communicare in Sacris, quae ad Religionem spectant: *tit. de Iudaeis;* hac enim communicatione admissa, adest periculum perversionis, et indignum est cum iis conversari, qui nomen Christi, et Catholici Romani blasphemant.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Licet communicare cum Infidelibus in civilibus, modo absit scandalum, et periculum perversionis. Cum Iudaeis autem, *tit. de Iud.* prohibentur Christiani habitare, comedere, in balneo lavari, medicinam ab iis accipere, et in eorum servitio commorari, ne ita cum iis familiaritas contrahatur. 2° Non licet directe, et proxime communicare cum Infidelibus in eorum superstitiosis ritibus, sacrificiis, festis, etc. quae sunt per se mala. Indirecte tamen, et remote cum illis communicare licet in iis, quae cum sint per se indifferentia, aeque in bonum usum, ac superstitiosum converti possunt, v. g. vendere agnos, flores, etc. quibus forte emptor Infidelis utetur ad sacrificia; quia respectu vendentis abusus ille per accidens sequitur. Qui vero proxime cooperaretur sacrilegiis Infidelium, v. g. fabricando idolum, vendendo agnum praecise pro sacrificio, graviter peccaret. 3° Non licet haereticis famulari, dum adest periculum perversionis: quod si absit, famulus vero plerumque, v. g. singulis mensibus bis vel ter, ab observatione praeceptorum Ecclesiae impediatur, servitium adhuc est illicitum; excusat tamen ad aliquod saltem tempus; non tamen ultra ordinarium, quo famuli solent conduci, notabile damnum, v. g. amissio salarii, vel si a Catholico sufficiens salarium, quo eget, famulus accipere non possit. Si vero famulus raro impediatur ab observatione praecepti Ecclesiastici, nec adsit periculum perversionis, licet servire Acatholico tolerato. Quae vero excusant apud dominos Catholicos ab observatione praeceptorum, excusant etiam famulos haereticorum. 4° Licet in Germania Acatholicorum funera comitari humanitatis causa: assistere Baptismo, et nuptiis: una vel altera vice curiositatis gratia eorum conciones, et cantus audire: spectare Coenam, sine simulatione tamen eorum sectae: fungi apud eos officio mere politico: suscipere gradum ex Iure et Medicina, si nil contrarium Religioni agendum sit: non vero licet apud eos audire lectiones Theologicas, nec Ius Canonicum, excepto libro II. *de Iudi-*

ciis; licet tamen audire lectiones Iuris Civilis et Medicas: periculosius autem est, audire Ius Publicum ob magnam cum Fide connexionem: imo Ill. D. Godeau parentes ob periculum perversionis obligari censet, ne suos filios ad Acatholicas Academias mittant.

## CAP. V.

### *De Spe, eiusque obiecto.*

§ 569. Secunda virtus Theologica est *Spes*, quae, si in genere spectetur, est motus appetitus efficaciter tendentis in bonum absens, arduum, apprehensum ut possibile. *Spes* vero *Theologica* est virtus Theologica supernaturalis a Deo infusa, per quam certa cum fiducia, id est firmiter, futuram aeternam beatitudinem, et media illius assequendae per Dei auxilium expectamus. **Spes quid?**

§ 570. Obiectum materiale Spei primarium est Deus possidendus: secundarium vero sunt omnia media tum spiritualia, tum temporalia, per quae Deus decrevit, nos ad se adducere. Circa Deum enim beate a nobis possidendum primario, circa media vero illum obtinendi Spes secundario versatur. **Obiectum materiale spei.**

*Schol.* Licet bona creata ad beatitudinem conducentia sint obiectum materiale Spei secundarium, si tamen non desiderentur et petantur a Deo in ordine ad beatitudinem aeternam, non sunt obiecta materialia ne quidem secundaria, quia sic non forent media ad nostram aeternam beatitudinem consequendam, sed potius impedimenta. **Bona creata quomodo sint obiectum spei?**

§ 571. Obiectum formale motivum Spei, est vel bonitas Dei respectiva, sive ut nobis bona, vel omnipotentia Dei; vel infinita Dei fidelitas, et eius promissio. Haec enim sunt ratio tendendi in obiectum materiale Spei, et Spem ab omnibus aliis virtutibus distinguunt. Quodnam autem ex his determinate sit obiectum formale Spei, mox patebit. **Obiectum formale spei.**

*Schol.* 1. Obiectum formale quod Spei, seu ratio, quae in obiecto materiali, scilicet Deo possidendo, a Spe attingitur, est Deus prout est beatitudo nostra obiectiva, connotans beatitudinem formalem, seu visionem beatificam, non tamquam constitutivum, sed conditionem in obiecto requisitam. Nam obiectum Spei debet esse quid pure Divinum et increatum, quale est solus Deus, beatitudo nostra obiectiva, cum e contra beatitudo formalis sit actus creatus. Deinde Spes primo, et per se attingit Deum seu beatitudinem obiectivam; sperans enim non quaerit Deum propter possessionem, alias finem suum ultimum in re creata poneret; sed quaerit possessionem Dei propter Deum, non ut rem beatificantem, sed applicationem Dei beatificantis. Cum vero Deus non sit obiectum Spei, nisi ut possidendus, et possideri non possit nisi per visionem beatificam, visio beatifica in obiecto formali quod Spei importatur tamquam connotatum, et applicatio obiecti formalis. **Formale quod.**

*Schol.* 2. De obiecto formali motivo Spei litigant Theologi, quo- **Formale quid?**

rum alii omnipotentiam, alii bonitatem Dei respectivam, ut nobis bonam, alii fidelitatem Dei assignant. Pro iis conciliandis notandum, Spem tres actus includere, scilicet: Desiderium bonorum supernaturalium a Deo promissorum, quod non consistit in simplici complacentia beatitudinis, sed in voluntate seria adhibendi media ad eam obtinendam: Firmam fiduciam, qua bona a Deo promissa nos obtenturos confidimus: et Erectionem animi contra difficultates occurrentes in consecutione beatitudinis. Igitur obiectum formale motivum Spei, prout est desiderium, est Bonitas Dei respectiva, ut nobis bona, et a nobis possidenda; haec enim immediate movet ad actum desiderii. Motivum Spei, prout est erectio animi, est Omnipotentia Dei, sive virtus auxiliatrix, quae movet ad prosequendum bonum arduum, erigitque animum contra omne id, quod boni sperati consecutionem impedire potest. Hinc *Is.* 6. *Sperastis in Domino Deo forti.* Denique motivum Spei, prout est certa fiducia, est infinita Dei fidelitas, eiusque promissio, qua inuixi beatitudinem, et media ad eam conducentia certo expectamus. Hinc Spes *ad Hebr.* 6. dicitur *anchora tuta.* Et Tridentinum *Sess.* 6. *can.* 16. *In Deo sperantibus proponenda est vita aeterna et tamquam gratia filiis per Christum Iesum misericorditer promissa, et tamquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis reddenda.*

An pro alio, et in homine sperare possimus?

*Schol.* 3. Spes directe solum respicit bonum operantis: sed supposita unione amoris, qua homo alios homines in natura sibi similes etiam tantum naturaliter diligit, et bonum alterius suum reputat, potest etiam alteri vitam aeternam sperare. Deinde non licet sperare in homine, sed in solo Deo, causa primaria nostrae beatitudinis: licet tamen in homine, seu alia creatura sperare, tamquam in agente secundario, et instrumento, quo iuvamur ad quaecumque bona in beatitudinem ordinata consequenda; unde convertimur ad Sanctos, et ab hominibus aliqua petimus. Licet etiam Spem aliquam ponere in propriis meritis, ex gratia Dei factis, tamquam in causis instrumentalibus, quia sunt media ad salutem ordinata, et tota fiducia ultimato refunditur in Deum Auctorem gratiae et meritorum.

### Art. 1. *De distinctione Spei a Fide, et Charitate.*

Spes a Fide et Charitate distinguitur.

§ 572. Cum Spes habeat speciale motivum formale, a motivo aliarum virtutum distinctum (§ 571. cum Schol.), sequitur, quod a Fide et Charitate distinguatur. Nam 1° ex dictis (t. 1. § 375. cum Schol.) Fides ad iustificationem requisita, non est Fiducia, et Fides in intellectu, Spes in voluntate residet: obiectum formale Fidei est prima veritas; Spei bonitas, omnipotentia et fidelitas: ergo a Fide distinguitur. 2° Iuxta Tridentinum *Sess.* 6. *Cap.* 6. Spes iustificationem et charitatem praecedit: ergo a charitate separari potest, adeoque ab ea distinguitur. Item Clemens XI. hanc propositionem 57. Quesnelli damnavit: *Totum deest peccatori, quando ei deest Spes; et non est Spes in Deo, ubi non est amor Dei.* Denique Spes etiam in-

formis est virtus, licet imperfecta, habens motivum formale diversum a motivo formali Charitatis: ergo ab ea distinguitur.

*Schol.* Protestantes docent, veram et salvificam Fidem esse certam fiduciam in promissis Dei (t. 1. § 375. cum Schol.). Quesnellus spem non distinguit a Charitate. I. Quia Spes et Charitas idem habent obiectum, scilicet Deum, beatitudinem nostram supernaturalem. *Resp.* Obiectum formale Charitatis est Deus in se bonus, adeoque ab obiecto formali Spei differt. II. Praesumptio est, sperare beatitudinem sine Charitate. *Resp.* Praesumptio est, sperare beatitudinem obtinendam sine Charitate; non vero, sperare sine Charitate beatitudinem obtinendam per Charitatem, quo modo peccator sperat. — Solvuntur obiectiones.

§ 573. Proprietates Spei Theologicae sunt: 1° Spes est certa ratione sui. *Ps.* 23. *Qui sustinent te, non confundentur. Ad Rom.* 8. *Spes non confundit.* 2. *Ad Tim:* 1. *Scio, cui credidi, et certus sum, quia potens est depositum meum servare.* Deinde Spes nititur motivo certo et infallibili, nempe bonitate, omnipotentia, et fidelitate Divina: ergo ratione sui certa est. — Spes est certa ratione sui.

2° Spes respectu nostri incerta est. Nam nullus potest esse certus de sua gratia (t. 1. § 377.), et ab illa excidere potest (t. 1 § 378.). Ergo spes respectu nostri incerta est. Spes tamen simpliciter certa dici debet; quia res denominatur ex iis, quae sunt illi propria, non vero ex iis, quae per accidens ipsi adveniunt. Sed spes ratione sui certa est (n. 1.), et quidquid sperans incerti patitur, nascitur ex defectu liberi arbitrii, et pravitate cordis humani. Ergo Spes simpliciter certa dici debet. — Incerta respectu nostri.

### Art. 2. *De Timore.*

§ 574. Cum Spes respectu nostri sit incerta (§ 573.), hinc omnem timorem non excludit, imo vero ex illa timor summi Boni amittendi nascitur. Est autem *Timor* motus appetitus refugientis malum arduum et imminens. Si sit motus appetitus sensitivi, est passio; si rationalis, in certo sensu est donum Timoris (t. 1. § 368. cum Schol.). Timor ergo fiduciam Spei temperat, et est medium inter Spem, et desperationem. — Unde timor definitur.

*Schol.* Timor in genere est quadruplex. Timor *mundanus* est, quo quis bona temporalia amittere ita timet, ut pro eorum conservatione legem violare, et a Deo recedere paratus sit. *Timor servilis* est, quo quis a Deo puniri timet, et ideo ad eum convertitur, ob timorem poenae. Timor *secundum substantiam servilis*, est praecise timor poenae. Timor *serviliter servilis*, est timor poenae culpae annexae, ita ut poena habeatur pro summo et principali malo, et si non esset poena, committeretur culpa. Timor *filialis* est, quo timetur offensa Dei, et quis ad Deum convertitur propter timorem culpae. Timor *initialis* est, quo timetur poena et culpa simul, ita ut quis ad Deum convertatur propter timorem poenae, et culpae: hic timor medius est inter servilem, et filialem. — Quotuplex?

Non datur in hac vita status sine omni timore et spe.

§ 575. Quia Spes timorem omnem non excludit (§ praec.), hinc non existit in hac vita is perfectionis status, in quo nec timor poenarum, nec desiderium remunerationis aeternae aliquam partem habeat. Hoc 1° innuit S. Scriptura, *ad Rom.* 8. *v.* 23. *Nos ipsi primitias Spiritus habentes; et ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri; spe enim salvi facti sumus ... Si autem quod non videmus, speramus: per patientiam expectamus.* Ita loquitur Apostolus de se, et primis Christianis fervidissimis, quibus certe male se anteponunt Neomystici Quietistae. Et *ad Phil.* 3. *v.* 13. *Unum autem, quae quidem retro sunt, obliviscens, ad ea vero, quae sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum persequor ... Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.* Subscribit S. Bernardus, *de dilig. Deo c.* 15. *Nescio, si a quoquam hominum quartus gradus in hac vita perfecte apprehenditur, ut se scilicet diligat homo tantum propter Deum. Asserant hoc, si qui experti sunt: mihi, fateor, impossibile videtur. Erit autem procul dubio, cum introductus fuerit servus bonus fidelis in gaudium Domini sui.* Unde merito hanc propositionem damnavit Innocentius XII. *Datur habitualis status amoris Dei, qui est Charitas pura, et sine ulla admixtione motivi proprii interesse ... Neque timor poenarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem ... Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam.* 2° Ratio est: Quamdiu vivimus, non desunt tentationes, corpus aggravat animam, caro concupiscit adversus spiritum: ergo scuto Fidei, et galea Spei salutis, quae timorem secum habet, ne summum Bonum amittatur, et malum poenae fugiatur, opus est.

*Schol.* Quietistae volunt, eum statum amoris in hac vita dari, qui sit omnino sine omni timore et Spe: sed de his inferius agemus.

Timor mundanus malus est.

§ 576. Porro timor, qui Spem comitatur, non est timor mundanus, utpote qui malus est. Nam illum 1° prohibet S. Scriptura, *Matth.* 10. *v.* 28. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus; animam autem non possunt occidere.* Hinc S. Augustinus *Serm.* 161. ait: *Timor vanus est omnium hominum, timentium amittere temporalia, quandoque migraturorum, et migrare trepidantium ... hinc increpandi, hinc obiurgandi, hinc lugendi homines, timentes mori, et nihil aliud agentes, nisi serius mori.* 2° Ratio est: Timor mundanus est, quo quis propter malum temporale paratus est Deum offendere (§ 574. Schol.); quod utique semper malum est.

### Art. 3. *De timore servili.*

Timor serviliter servilis malus est.

§ 577. Similiter Spes non habet secum timorem serviliter servilem, qui etiam malus est. Nam timor serviliter servilis timet poenam culpae annexam, ut summum, et principale malum, ita ut si non esset poena, culpa committeretur: sed hoc est malum, tum quia inordinatum est, plus timere minus malum, quale est poena, quam

malus, quale est culpa: tum quia homo non timet poenam ut principale malum, nisi quia bonum proprium habet tamquam principale bonum, et ultimum finem (§ 574. Schol.); quod perversum est.

§ 578. Timor vero servilis secundum substantiam suam cum Spe subsistit, et bonus est. Sic 1° *Luc.* 12. *v.* 5. Christus ait: *Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete.* Innumera certe ex S. Scriptura proferri possent testimonia, quibus Deus peccatores metu poenarum ad frugem se recipere compellit: blasphemum autem foret, dicere, Deum uti malis artibus, scilicet timore servili, ad bonum finem. 2° S. Augustinus *in Ps.* 127. de timore servili ait: *Bonus est et ille timor, utilis est, sed nondum est ille castus permanens in saeculum saeculi.* Et S. Thomas 2. 2. *q.* 19. *a.* 4. *Timor servilis secundum suam substantiam bonus est, sed servilitas eius est mala.* Hinc Patres communiter in Sermonibus suis timorem iudiciorum Dei populo incutiunt. 3° Ille timor est bonus, quo constringitur mala voluntas, ne in exteriora peccata prorumpat, continentur homines sub disciplina, peccatores disponuntur ad iustitiam, iusti incitantur ad perseverantiam: sed talis est timor servilis (t. 1. § 574. et § 574. Schol.): ergo est bonus. Timor servilis est bonus.

*Schol.* 1. Protestantes non distinguentes inter servilitatem timori adiunctam, et ipsum gehennae timorem essentialiter spectatum, absolute dicunt, timorem servilem esse malum et peccatum, quibus etiam favent Iansenistae. I. 1. *Ioan.* 4. *v.* 18 dicitur: *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem.* Et S. Augustinus *tr.* 9. *in ep. Ioan.* ait, timorem tormentum habere. Et *Serm.* 161. timentem ardere igne sempiterno; cuius ratio est, quia timor servilis provenit ex amore proprio: ergo malus est. *Resp.* In omnibus his locis sermo est de timore serviliter servili, non vero de servili simpliciter secundum suam substantiam spectato; qui provenit ex amore sui, ordinato ad Deum ultimum finem, non ordinato ad seipsum. II. Timor poenae peccata multiplicat; nam mala voluntas, quae nullo torrente sopita iacebat, praeceptorum minis lacessita in prava desideria exardescit. *Resp.* Hoc plane est per accidens ob malam nostram voluntatem. III. Timor poenae cohibet tantum manum ab opere externo, licet internus affectus in malum vehementissime exardescat. *Resp.* Malus internus affectus sensim intepescit, et omnino extinguitur, si illi per timorem peccandi materia subtrahatur. Solvuntur obiectiones.

*Schol.* 2. Timor serviliter servilis non remanet cum Charitate, quia servilitas repugnat Charitati (§ 577.): timor vero servilis simpliciter manet cum Charitate. Deinde timor servilis est initium sapientiae, seu quasi principium extrinsecum disponens ad sapientiam, in quantum aliquis timore poenae discedit a peccato, et per hoc habilitatur ad effectum sapientiae. Denique timor servilis non est proprie virtus; quia principaliter est de malo; est tamen habitus ad actus bonos. Proprietates timoris servilis.

### Art. 4. *De timore filiali.*

Timor filialis optimus. 579. Timor filialis, et castus est optimus: hic enim oritur ex Charitate, adeoque effectus eius est, et consequenter ab optima causa, optimus esse debet.

Proprietates timoris filialis. *Schol.* Timor filialis est effectus primus sapientiae, et hoc modo eius initium; cum enim ad sapientiam spectet, ut vita humana reguletur secundum rationes divinas, ab eo debet sumi principium, ut homo Deum revereatur, et sic secundum eum regulabitur. Item timor initialis non differt essentialiter a filiali, sed solum secundum perfectum, et imperfectum. Item timor filialis numeratur inter septem dona Spiritus S. non vero servilis, qui tamen hoc sensu est donum Spiritus S. quod fit a Spiritu S. Crescente charitate crescit timor filialis, quia semper homo magis timet Deum offendere, et minuitur timor servilis, quia magis confidit homo de praemio, et minus timet de poena. Denique in patria non remanet timor servilis, quia Beati de perpetuitate suae beatitudinis sunt securi, manet vero timor filialis quantum ad actum, qui est revereri Deum: *Ps.* 18. *Timor Domini sanctus, permanens in saeculum saeculi.*

## CAP. VI.

### *De actu Spei, eiusque necessitate.*

Actus spei quid? § 580. Ex dictis colligitur, quid ad *Actum Spei* Theologicae requiratur, qui est expectatio cum firma fiducia aeternae futurae beatitudinis, et mediorum illius assequendae per Dei auxilium (§ 569).

Actus spei est necessarius ad salutem. § 581. Actus Spei Theologicae est necessarius adultis 1° necessitate medii ad salutem. Nam S. Scriptura fere semper fidem et Spem coniungit: *ad Hebr.* 11. fides dicitur, *sperandarum substantia rerum:* et *ad Eph.* 2. *v.* 2. increduli vocantur, *filii diffidentiae.* Ergo cum actus Fidei sit necessitate medii necessarius ad salutem (§ 556.), etiam actus Spei erit. Deinde Spes est dispositio necessaria, tum ad veniam peccatorum obtinendam: *Matth.* 9. *Confide, fili, remittuntur tibi peccata* (t. 1. § 374.); tum ad caeteras gratias impetrandas: *Iac.* 1. *v.* 7. *Non ergo aestimet homo ille* (qui haesitat diffidentia) *quod accipiat aliquid a Domino.* Accedunt PP. S. Clemens Alex. *l.* 1. *strom. Fides est ad salutem inclinatio, postquam, timor, spes et poenitentia.* S. Ambrosius *l.* 1. *de poen. c.* 1. *Nemo potest bene agere poenitentiam, nisi speraverit indulgentiam.* Ex quibus sic: Illud est necessarium necessitate medii ad salutem, sine quo remissio peccatorum, et salus obtineri nequit: sed talis ex dictis est spes Theologica: ergo est necessaria necessitate medii.

2° Actus Spei est etiam necessarius necessitate praecepti. Quippe praeceptum Divinum habetur; *Ps.* 61. *Sperate in eo, omnis congregatio populi:* Eccl. 11. *Dirige viam tuam, et spera in illum:* 2. *Pet.* 1. *Sperate in eam, quae vobis offertur, gratiam.* Ideo Alexander VIII.

merito propositionem hanc proscripsit: *Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei et Charitatis, ex vi praeceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Item datur praeceptum naturale, nam recta ratio dictat, ut media ad salutem necessaria amplectamur. Sed spes est medium ad salutem necessarium. Ergo eam amplecti debemus.

*Coroll. Pract.* 1° Certo definiri non potest, quo determinato tempore praeceptum Spei obliget. Communiter 1. obligat sub initium usus rationis, quando homini per Fidem aeterna beatitudo sufficienter est proposita. 2. Quando quis vehementer contra Spem tentatur, ut aliter resistere non possit, maxime in articulo mortis. 3. Per accidens, quando urget praeceptum alterius virtutis, v. g. orationis, poenitentiae, etc. fideles tamen de impletione huius praecepti angi non debent, cum passim in exercitio bonorum operum, oratione, etc. frequentes actus Spei eliciant. 2° Si quis renuntiaret iuri ad coelum, dummodo sibi liceret bonis temporalibus semper frui, graviter peccaret, quia ultimum finem in iis constitueret, et aeternam beatitudinem ac Deum ipsum sperneret. 3° Speranda sunt a Deo primario bona supernaturalia, et spiritualia; temporalia vero non aliter, nisi quatenus conducunt ad salutem. 4° Ut spes sit utilis ad iustificationem, et salutem, supernaturalis beatitudo promissa, omnipotentia Dei, eius bonitas, et fidelitas in promissis, ceu motiva Spei in praxi per Fidem supernaturalem proponantur, quae actum Spei dirigant: qui proinde 5° hoc modo elici potest: Spero, mi Deus, per merita Iesu Christi remissionem peccatorum, gratiam vitandi peccata, praesertim gratiam finalem, et vitam aeternam, quia Tu infinite bonus ac misericors, potens et fidelis promisisti. Item peto a te humillime et spero hoc vel illud bonum temporale, v. g. sanitatem, quia tu vis, potes, et promisisti dare, si conducat ad salutem animae meae. *Resolvuntur casus.*

### Art. un. *De Spei permansione in peccatoribus.*

§ 582. Non quodlibet peccatum Spei opponitur; unde Spes manet in omnibus fidelibus viatoribus, etiam peccatoribus, qui non desperant, vel praesumunt. Ita Tridentinum *Sess.* 6. *cap.* 6. requirens Spem in peccatoribus qui ad iustificationem se disponunt. Ratio est: fundamentum Spei, scilicet fides, remanet in peccatoribus adhuc fidelibus (§ 561.), nec omnia peccata Spei contrariantur; imo in peccatoribus manet motivum formale Spei: ergo etiam Spes. *Spes manet in peccatoribus.*

*Schol.* 1. Quia in haereticis destruitur Fides ceu fundamentum Spei, destruitur etiam Spes, et Spes eorum non est Theologica, sed humana, et falsa. Neque spes manet in damnatis, qui certi sunt, se aeternam beatitudinem assequi non posse. Neque spes manet in Beatis, quibus beatitudo non amplius est futura: manet tamen in animabus Purgatorii, quibus beatitudo absens per graves poenas assequenda est. *In quibus non maneat.*

*Schol.* 2. Homo, cui facta esset revelatio Divina suae damnationis, *An suppo-*

*sita revelatione damnationis, salus sperari possit?*

posset quidem adhuc concupiscere, et inefficaciter desiderare beatitudinem: sed non posset, nec deberet sperare, quia voluntas non potest sperare bonum, nisi quod intellectus prudenter iudicat esse futurum: sed supposita revelatione Divina suae damnationis non potest homo prudenter iudicare, beatitudinem sibi esse futuram, cum non possit revelationi clarae dissentire: ergo eam non potest sperare. Non obstat I. quod cum certa revelatione aeternae salutis stet adhuc timor, uti patet in S. Paulo I. *ad Cor.* 9. *v.* 27. et stante revelatione salus adhuc sit possibilis, utpote quam revelatio velut aliquid extrinsecum non mutat: ergo etiam Spes. *Resp.* S. Paulus claram revelationem suae salutis non habebat; hinc timere poterat. Deinde ad obiectum Spei non sufficit, quod sit possibile, sed quod prudenter futurum et consequendum iudicetur. II. Si cui Deus revelaret suum peccatum, non solum illud vitare posset, sed sperare deberet, se illud vitaturum: ergo a pari. *Resp.* Non posset sperare, se vitaturum, quia evitatio non speraretur prudenter futura, conari tamen deberet, peccatum evitare, quia obiectum huius conatus, scilicet peccatum possibile vitatu, adhuc manet, et praeceptum vitandi urget.

## CAP. VII.

### *De Desperatione et de Praesumptione.*

*Desperatio quid?*

§ 583. Spei igitur per defectum opponitur *Desperatio*, quae est actus voluntatis, quo quis abiicit omnem Spem consequendae beatitudinis, et media ad eam consequendam necessaria; et quidem ex odio saltem virtuali vel aversione beatitudinis, et mediorum; quia apparent obtentu impossibilia, vel nimis ardua, vel numquam futura.

*Desperatio est peccatum mortale.*

§ 584. Desperatio plena et deliberata est peccatum mortale. Nam immediate opponitur Divinae bonitati, ac misericordiae; et hominem avertit a fine suo ultimo, estque causa gravissimorum scelerum, quia facit, ut homo abiecta salutis cura, sine timore se in quaevis crimina praecipitet.

*Resolvuntur casus.*

*Corollar. Pract.* 1° Desperationi saepe coniungitur crimen haeresis, specialiter in confessione explicandum, quando procedit ex iudicio erroneo contra Fidem, quando quis ideo desperat, quia actualiter et deliberate iudicat, Deum non esse omnipotentem; et in hoc peccato non datur parvitas materiae, sed sola indeliberatio excusat. 2° Si quis conformando se Divinae voluntati cessaret rogare Deum pro obtinenda v. g. sanitate, non peccaret: si vero ideo cessaret, quia Deum erga se immisericordem, et non potentem iuvare iudicat, graviter peccat. 3° Si quis timeat de sua salute, quia dubitat, an Deus facienti, quod est in se, sit defuturus, peccat contra Fidem, et Spem; secus, si ideo timeat, quia nescit, an peccata sua ex suo defectu sibi sint remissa. Nec ille contra Spem peccat, qui vitio alicui deditus viribus suis diffidens, putat, se non posse abstinere; nisi forte Spem Divinae misericordiae abiiceret et media negligeret. 4° Remedia con-

tra desperationem sunt: 1. Consideratio infinitae Dei bonitatis, et fidelitatis in promissis implendis. 2. Exempla conversionum gravium peccatorum. 3. Parabola de ove perdita et filio prodigo. 4. Devotio erga Beatissimam Virginem. 5. Fuga acediae et malancholiae.

§ 585. Spei per excessum opponitur *Praesumptio*, quae est inordinata et temeraria fiducia obtinendi a Deo aliter beatitudinem, quam ipse statuit, vel propriis viribus, et mediis pure naturalibus, vel sine propriis operibus per solam fiduciam in meritis Christi. Praesumptio quid?

*Schol.* Ad praesumptionem reducitur *Tentatio Dei*, quando quis temere vult experiri Dei misericordiam, expectando miraculosum Dei anxilium. *Blasphema praesumptio et Dei tentatio* est, si quis per bona opera, Sacrificium Missae, preces, etc. petat et speret a Deo consequi quae per se mala sunt. Tentatio Dei quid?

*Coroll. Pract.* 1° Qui peccat cogitans: volo confiteri: Deus facile in una Confessione remittit; si propositum Confessionis, et fiducia veniae obtinendae habeant se tantum concomitanter, vel consequenter ad peccatum, non peccat peccato praesumptionis; unde sufficit, in Confessione ipsum solum peccatum exprimere cum hac circumstantia aggravante, non vero speciem mutante, quia haec potius significant propositum non recedendi a Spe, et se convertendi: si vero hoc propositum sit ratio motiva peccandi, esset peccatum praesumptionis, quia misericordia Dei detorqueretur in occasionem, et causam peccati. 2° Remedia contra praesumptionem sunt: 1. Consideratio Divinae Iustitiae. 2. Longioris vitae incertitudo. 3. Difficultatis verae conversionis. 4. Poenarum praesumptuosis iam multoties a Deo iustissimo malorum vindice inflictarum. Resolvuntur casus.

## CAP. VIII.

### *De Charitate.*

§ 586. Tertia virtus Theologica est *Charitas*, quae proinde est virtus Theologica supernaturalis Divinitus infusa, qua Deum super omnia diligimus, et proximum ac reliqua propter Deum. Charitas quid?

*Schol.* Charitas tripliciter sumi potest: 1. Pro quovis amore naturali et civili, quo de bono alterius gaudemus. 2. Pro amore benevolentiae, quo quis ulteri bene vult et facit, quantum in se est, non sui, sed illius gratia. 3. Pro amore concupiscentiae, quo quis alteri bene vult, sui ipsius amantis gratia. Dein Charitas ratione obiecti, alia est *Charitas Dei*, qua Deus super omnia diligitur: alia *Charitas proximi*, qua proximus diligitur propter Deum. Rursus ratione perfectionis et modi, unus altero plus diligi potest vel *obiective*, quando volumus ei maius bonum, quam alteri: vel *appretiative*, quando unus pluris aestimatur, quam alter, et amans plus refugit eius quam alterius inimicitiam: vel *intensive*, quando unus intensiori conatu et affectu diligitur, quam alter. Denique Charitas alia est *habitualis*, alia *actualis*. Quotuplex?

ART. 1. *De obiecto Charitatis.*

Obiectum materiale Charitatis. § 587. Obiectum Charitatis materiale primarium, et attributionis est Deus; Charitas enim primario, et per se circa Deum versatur, et ad illum caetera refert. Obiectum materiale secundarium sumus nos ipsi, et proximus quia Charitas per se secundario versatur circa illas personas, quibus Deus ut nos amore benevolentiae volumus summum bonum, et caetera, quae ad illud conducunt, et quidem in gloriam Dei; sed Deus, qui est Charitas, hoc modo nobis, et proximo bene vult, et nos ipsi nobis, et proximo: ergo nos ipsi et proximus sumus obiectum secundarium Charitatis. Denique indirecte et reductive obiectum materiale Charitatis sunt res omnes, sive naturales, sive supernaturales, quatenus cedere possunt in gloriam Dei, et nostrum, ac proximi commodum; quia omnes creaturae sunt res Dei, in gloriam eius productae, et conservatae, et diligentibus Deum convertuntur in bonum.

Proximus quid? *Schol.* Proximus noster est omnis creatura supernaturalis beatitudinis capax, sive sit Angelus, sive homo, iustus, aut peccator, fidelis aut infidelis, haereticus, excommunicatus, Paganus, amicus, inimicus; quia hi omnes non solum sunt res Dei, sed etiam ex amore benevolentiae vocantur a Deo ad aeternam beatitudinem: daemones vero et damnati non sunt nostri proximi, quia illis vitam aeternam velle non possumus; cum talis amor repugnaret Charitati erga Deum, qua approbamus eius iustitiam.

Obiectum formale Charitatis. § 588. Obiectum formale Charitatis terminativum et motivum est Divina et increata bonitas, prout est in se, et propter se amabilis, lumine supernaturali cognoscibilis. Nam 1° Charitas est amor Dei: ergo est de Deo sub ratione boni Divini, quia amor versatur circa bonum, et est gaudium de bono. 2° Est amor non concupiscentiae, qui generat Spem, sed benevolentiae: ergo est de Deo sub ratione boni Divini, non ut nobis utilis, sed prout est in se, et propter se amabilis. 3° Debet esse lumine supernaturali cognoscibilis, quia diligere Deum propter eius bonitatem naturali lumine cognoscibilem, esset amor naturalis.

*Schol.* 1. Obiectum formale motivum Charitatis est Bonitas Divina, prout involuit Essentiam, Attributa, et Personas, seu prout transcendens omnem Dei perfectionem; quia omnia haec, non secus ac natura sunt bona per se Divina, increata, infinita propter se amabilia amabilitate ultimi finis.

An Charitas Dei et proximi sit una specie. *Schol.* 2. Eadem specie Charitatis diligitur Deus, et proximus, Deus propter seipsum, et proximus propter Deum, quia etiam ratio formalis diligendi proximum Deus est; hoc enim in proximo debemus diligere, ut in Deo sit, illique tamquam ultimo fini adhaereat, indeque Deus ametur, laudetur, et glorificetur, propter infinitam suam bonitatem, ut ita motivum formale diligendi proximum sit infinita Dei bonitas in se, et propter se amabilis. Hinc si quis diligat pro-

ximum propter accepta ab eo beneficia, vel propter egregias eius qualitates naturales, aut supernaturales, est tantum amor naturalis, nisi hae qualitates considerentur ut participationes Divinae perfectionis, et sic ipsa Dei perfectio in illis ametur. Quare Charitas est una virtus specie atomà.

### Art. 2. *De proprietatibus Charitatis.*

Charitas est quid creatum.

§ 389. Proprietates Charitatis sunt tres. *Primo*. Charitas habitualis est quid creatum in anima. Sic *ad Rom*. 5. Charitas dicitur *diffusa in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis*. Ubi Charitas aperte distinguitur a Spiritu S. tamquam effectus a causa. Et Tridentinum *Sess*. 6. *cap*. 7. ait, *quod per Spiritum S. Charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque in ipsis inhaeret*. Ergo a Spiritu S. distinguitur. Ratio est: Actus Charitatis est quid creatum: ergo etiam forma, seu Charitas tamquam principium actionis, debet esse quid creatum.

Solvuntur obiectiones.

*Schol*. 1. Magister Sententiarum docuit, quod Charitas habitualis sit ipse Spiritus S. mentem inhabitans, et immediate movens ad actus dilectionis, nullo habitu mediante. Haec sententia a nonnullis Theologis censetur esse erronea, ab aliis temeraria. Non obstat I. quod 1. *Ioan*. 4. dicatur: *Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo*. *Resp*. Deus dicitur Charitas increata, qua ipse nos diligit: reliqua verba loquuntur de Charitate, qua nos Deum diligimus, et per quam Deus manet in nobis; quia Charitas, qua nos Deum diligimus, est effectus Charitatis increatae, qua ipse nos diligit, quò ipsi similes, amici et grati efficimur. Non obstat II. S. Augustinus in pluribus locis docet, Charitatem fraternam esse Charitatem increatam et Deum, *l*. 8. *de Trin*. c. 8. *Resp*. S. D. vult, esse Charitatem increatam non formaliter, sed effective, quia est a Deo, et Charitatis Divinae participatio.

An Charitas sit vera amicitia inter Deum et hominem?

*Schol*. 2. Charitas est vera, et proprie dicta amicitia inter Deum et hominem. Nam Christus, *Ioan*. 15. Apostolis suis dicit: *Vos amici mei estis*. Et: *Iam non dicam vos servos, sed amicos meos*. Per nihil aliud autem, quam per Charitatem, homines sunt amici Dei. Deinde Charitas habet omnia ad proprie dictam amicitiam requisita: nam 1. est amor benevolentiae, quo homo diligit Deum propter Deum ut ultimum finem, et Deus diligit hominem propter se, non tamquam propter ultimum finem, sed propter eius utilitatem, et tamquam propter subiectum, cui vult aeternam beatitudinem: et sic utrinque est amor benevolentiae. 2. Est amor mutuus; diligimus enim per Charitatem eum, qui nos diligit: *Ioan*. 14. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum*. 3. Est communicatio beatitudinis hic per gratiam in iure, et in spe; in patria vero, in re. Non obstat I. quod Deus hominem diligat propter se, et inter hominem, et Deum nulla aequalitas, inter servum, et dominum nulla amicitia detur. *Resp*. Deus diligit hominem propter se, ita ut ly *propter* dicat fi-

nem, cuius gratia, non vero finem, cui; nam Deus diligit hominem, illique sua bona communicat, non ob suam utilitatem, sed ut homini bene sit in Deo tamquam ultimo suo fine. Deinde inter Deum et hominem per gratiam ad dignitatem filiorum Dei et consortium Divinae naturae elevatum saltem datur proportionis aequalitas, quae ad amicitiam sufficit. Eadem aequalitas datur inter dominum, et servum ad dignitatem filii, vel servi honorati per gratiam elevatum. Non obstat II. Leges amicitiae sunt, ut mutuus amor innotescat; quod nescit homo relate ad Deum. Item amici debent simul convivere, quod non tenet inter Deum et hominem. Amicitia est inter multos, non vero Charitas. Per amorem amicitiae alteri bonum volumus, quod Deo nullius boni indigo velle non possumus. Denique nulla est communicatio hominis ad Deum, cum nonnisi servi inutiles simus. *Resp.* Sufficit, ut amor mutuus moraliter certo innotescat. Deus et homo convivunt per vitam spiritualem, et conversationem mentis et cordis. Amicitia Dei potest esse inter multos, quia Deus omnia novit, et scit, quinam eius amicitia digni sint. Deo velle bonum possumus, gratulando interna, procurando externa, nosque illi subiiciendo. Servi sumus inutiles ex nobis, utiles sumus ex gratia Dei.

Charitas est excellentior omnibus virtutibus.

§ 590 Altera proprietas Charitatis est, quod sit excellentior aliis virtutibus in specie moris. 1. *Ad Cor.* 13. *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria haec: maior autem horum est Charitas.* Et *ad Col.* 3. *Super omnia Charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Ratio est: Inter omnes virtutes Charitas perfectius attingit regulam primam, seu Deum, quem ita attingit, ut in eo sistat, non ut ex eo aliquid percipiat: unde imperat aliis virtutibus, est radix meriti, et inseparabiliter coniungitur iustificationi.

Solvuntur obiectiones.

*Schol.* 1. Lutherani cum dicant, nos iustificari per fidem (t. 1. § 376.), eam Charitati praeferunt, quia *Fides per dilectionem operatur: ad Gal.* 5. Ergo Fides est nobilior in genere moris, sicut dominus est nobilior instrumento, quo operatur. Verum Fides non operatur per dilectionem tamquam per instrumentum, sed tamquam per formam propriam.

Charitatis praerogativae

*Schol.* 2. Charitas etiam in esse physico est nobilior omnibus aliis virtutibus, quia nobilius habet obiectum formale: hinc sine Charitate potest quidem esse vera virtus, sed imperfecta, quia non ordinatur ad ultimum finem, nec est meritoria vitae aeternae. Igitur Charitas est forma aliarum virtutum non intrinseca, alias omnes virtutes essent eiusdem speciei; sed extrinseca, quatenus per Charitatem omnes referuntur ad ultimum finem supernaturalem.

Charitas semper augeri potest.

§ 591. Tertia proprietas Charitatis est, quod Charitas viae sine termino augeri possit. Ita docet 1° S. Scriptura: *ad Eph.* 4. *In Charitate crescamus: ad Philipp.* 1. *Oro, ut Charitas vestra magis ac magis abundet: Apoc. ult. Qui iustus est, iustificetur adhuc.* Idem definivit Concilium Viennense in *Clem. Ad nostram, de haeret.* et Tridentinum *Sess.* 6. *cap.* 10 ait: *Hoc iustitiae incrementum petit*

*Ecclesia, cum orat: da nobis Fidei, Spei, et Charitatis augmentum.* 2° Subscribunt PP. S. Hieronymus *l.* 2. *cont. Iovin.* S. Athanasius in *Vit. S. Antonii:* S. Augustinus *tr.* 5. *in ep. Ioan.* ubi ait: *Charitas meretur augeri, ut aucta mereatur perfici.* 3° De ratione viatorum est, ita tendere ad terminum, ut magis, ac magis ad illum appropinquet; alioquin cessaret processus viae. Sed hanc appropinquationem facit Charitas. Ergo semper sine termino augeri potest.

*Schol.* 1. Charitas non augetur extensive, quia etiam minima Charitas se extendit ad omnia, quae sunt ex charitate diligenda, solum ergo intensive augetur. Item Charitas viae in eodem homine non potest superare vel aequare eius Charitatem in patria, quia Deus praemiat ultra condignum: Charitas tamen habitualis alicuius viatoris potest esse perfectior et intensior Charitate alicuius Beati, sicuti Charitas Beatissimae Virginis in via maior fuit, quam illa alicuius infantis beati. Quoad statum tamen et modum operandi, Charitas patriae est perfectior qualibet Charitate viae, quia Charitas patriae est in termino, et ob claram visionem tota intensione semper in Deum fertur. Quomodo augeatur?

*Schol.* 2. Quaeritur an per actus Charitatis remissos mereatur homo de condigno augmentum Charitatis. Respondetur contra Durandum: Quilibet actus Charitatis etiam remissus sive elicitus sive imperatus meretur de condigno augmentum Charitatis. Nam 1. iuxta Tridentinum *Sess.* 6. *can.* 32. iustificati bonis operibus merentur augmentum gratiae, et vitam aeternam (t. 1. § 383.). Sed actus Charitatis etiam remissus est bonum opus a iusto per Dei gratiam, et meritum Christi. Ergo meretur de condigno augmentum Charitatis. Idem Tridentinum *cap.* 10. docet, iustum bonis operibus, quibus mandata observat, crescere in gratia: sed ad observationem mandatorum sufficit actus etiam remissus Charitatis: ergo ille meretur augmentum Charitatis. 2. Actus etiam remissus Charitatis habet omnia ad meritum de condigno requisita: est quippe supernaturalis, fit ab homine amico Dei, et est ordinatus a Deo ad praemium, qui etiam calici aquae dato in nomine suo praemium promisit. Porro per actus eiusmodi remissos gratia, et Charitas non statim augetur in esse physico; quia actus remissi, v. g. ut duo in habente Charitatem ut sex, non sunt dispositiones sufficientes ad augendam physice Charitatem ultra sex, cum sint improportionati: nec augmentum his actibus remissis debitum confertur in hac vita; nam si actus intensiores eliciantur, suum illis augmentum praecise respondet: adeoque augmentum illud differtur usque ad ingressum gloriae, et primum instans glorificationis, in quo iustus ex clara Dei visione in actum ferventissimum tantae intensionis erumpit, quantae fuit meritum actuum remissorum; qui actus intensissimus cum non sit meritorius, utpote extra viam elicitus, sed tantum dispositio physica, totum augmentum huic dispositioni proportionatum respondebit actibus remissis in via elicitis. An per actus remissos augeatur?

### Art. 3. *De statu puri amoris Quietistarum.*

Status puri amoris Quietistarum non datur.

§ 592. Quia Charitas viae sine termino augeri potest (§ 591.), ideo non datur status puri amoris, et indifferentiae Quietistarum. Nam 1° status puri amoris, et indifferentiae Evangelio repugnat, in quo diligentibus Deum praescribitur observantia mandatorum, *Ioan.* 14. *v.* 15. et inter praecepta numeratur, Fides, Spes, Charitas, Poenitentia, Oratio etc. Et *ad Philipp.* 4. *v.* 8. dicitur: *Quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque sancta.... haec cogitate* Quae monita Charitati repugnarent, si nobis liceret in puro amore indifferenter quiescere. 2° Indifferentia Quietistarum Charitatem non purgat, sed ad aeternum interitum tradit: removet a recogitandis et deflendis peccatis, generat praesumptionem, et tollit studium orationis: ergo mala est. 3° *Haec est voluntas Dei, ut abstineamus ab omni immunditia... ut habentes donationes secundum gratiam, quae data est nobis, simus sollicitudine non pigri, Spiritu ferventes, Domino servientes, Spe gaudentes.... ad Rom.* 12. *v.* 11. Ergo Quietistae, qui in statu indifferentiae pigritiam, teporem, desperationem et turpitudinem approbant, specioso Charitatis nomine transgressionem Divinae voluntatis condecorant.

Quietistarum error.

*Schol.* Beguardi et Beguinae docuerunt, hominem in hac vita posse quemdam Charitatis gradum attingere, ultra quem progredi non possit. Eumdem errorem docuit Michael de Molinos, qui novam Scholam mysticam erexit, et docuit 1. annihilandas esse potentias animae: 2. eam non debere se in aliquo opere active gerere; sed 3. debere se regendam committere Divinae voluntati, a qua 4. nil petendum est, sed in ea omnis sollicitudo propriae salutis, spes, timor, et omnia virtutum desideria sunt deponenda: 5. unde fiet, ut anima in sua quiete, etiam in somno semper oret, etiam dum impurae cogitationes occurrunt et daemonis instinctu, aut alterna sollicitatione carnales actus exercentur, qui non commaculant partem superiorem Deo subiectam. Haec dogmata damnavit Innocentius XI. a. 1687. in Bulla: *Coelestis Pastor*. In hunc Quietismum incaute prolapsus est Franciscus de Fenelon Episcopus Cameracensis, qui in libro: *Explication des Maximes des Saints*, docuit, dari quemdam statum habitualem amoris Dei, qui est Charitas pura, in quo nec salutem aeternam volumus, darique in eo extremas probationes, in quibus non solum omnis spes amittitur, sed etiam anima invincibiliter credere potest, se iuste a Deo reprobatam, et hac mystica morte a Deo derelictam quasi cum Christo in cruce spirare: haec tamen perturbatio cietur tantum in inferiori parte, caeca et involuntaria passione, ita ut in superiori regnet Charitas, dum inferiorem percellit desperatio. Episcopus Parisiensis, Meldensis, et Carnotensis gravi censura hunc errorem notarunt, pluraque scripta utrinque prodierunt: sed damnatis ab Innocentio de amore puro, et statu indifferentiae dogmatibus, D. Fenelon sententiae Papae se submisit, erroremque suum palam

e suggestu reprobavit. Quietistae opponunt I. Exemplum Christi in cruce derelicti clamantis: *Deus meus, ut quid dereliquisti me? Matth.* 27. *v.* 46. *Resp.* Supplex haec Christi oratio cum spe coniuncta fuit, et exclamavit tantum ob ea, quae patiebatur humana natura, nullum a Divina levamen accipiens. II. Opponunt exemplum Moysis, volentis deleri de libro vitae pro salute populi. *Resp.* Iuxta S. Hieronymum, Moyses loquitur de vita corporali. III. Opponunt exemplum S. Pauli, cupientis *anathema esse* pro fratribus, *ad Rom.* 9. *v.* 3. *Resp.* S. Paulus vel loquitur de morte corporis, vel si de exitio animae, loquitur hypothetice, si pro gloria Dei fieri posset. Vid. meas *Inst. Theol. Mysticae tom.* 1. § 317.

### Art. 4. *De amissione Charitatis.*

§ 593. 1. Charitas amitti potest: nam gratia sanctificans amitti potest (t. 1. § 378.): sed gratia sanctificans non distinguitur realiter a Charitate habituali (t. 1. § 364. Schol. 3.): ergo etiam Charitas amitti potest. Ratio ulterius est: Charitas viae non replet totam capacitatem voluntatis, quia versatur circa summum bonum, obscure tantum, et imperfecte cognitum, nec semper est in actu. Ergo quando actu in Deum non fertur, potest aliquid occurrere, per quod Charitas ex mutabilitate liberi arbitrii amittatur. Charitas amitti potest

2. Porro Charitas per unum etiam tantum peccatum mortale amittitur. Ita docet 1° S. Scriptura, *Ioan.* 14. *Qui diligit Deum, mandata eius servat.* Sed qui peccat mortaliter, non servat mandata Dei. Ergo non diligit Deum. Unde Tridentinum *Sess.* 6. *cap.* 15. *Asserendum est, non modo infidelitate, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur Fides, acceptam iustificationis gratiam amitti.* 2° Per peccatum mortale homo fit dignus morte, per Charitatem vita aeterna; nemo autem simul morte et vita dignus esse potest. Et per mortale perditur

*Schol.* Iovinianus, et Beguinae, docuerunt, Charitatem amitti non posse. I. *Cant.* 8. dicitur: *Aquae multae non potuerunt extinguere Charitatem.* Et *ad Rom.* 8. *Neque mors, neque vita . . . poterit nos separare a Charitate Dei.* Et 1. *ad Cor.* 13. *Charitas nunquam excidit Resp.* In 1° et 2° textu sensus est, quod tribulationes huius saeculi non possint extinguere Charitatem, quae tamen extingui potest a libero arbitrio per peccatum: in 3° sermo est de Charitate patriae. II. S. Augustinus *ep. ad Iulian.* ait: *Charitas, quae deficere potest, nunquam vera fuit.* Et S. Leo *serm. de Pass.* ait de S. Petro: *Vidit in te Dominus non fidem fictam, non dilectionem aversam, sed constantiam fuisse turbatam. Resp.* S. Augustinus vult, quod Charitas, quam quis solum ad tempus exercere vult, vera non sit. S. Petrus non amisit Charitatem directe per actualem contemptum, sed indirecte, committendo aliquid contrarium Charitati propter timorem. III. Charitas excludit omnia motiva peccandi: ergo nequit amitti, sicuti nec Fides nec Spes per quodlibet peccatum amittitur. *Resp.* Charitas quando est in actu, omne motivum peccandi excludit, quia Solvuntur obiectiones.

tunc Deum super omnia diligit: secus est, si non sit in actu, quia tunc motivum peccandi intervenire, et voluntas illi consentire potest. Deinde non omne peccatum Fidei et Spei repugnat (§§ 556. 582.), sicuti Charitati, quia quodlibet mortale est aversio a Deo ultimo fine; Charitas vero conversio, et unio cum Deo ultimo fine.

## CAP. IX.

### *De Actibus Charitatis.*

Actus Charitatis quid? §. 594. Ex dictis huc usque colligi potest, quid sit *Actus Charitatis*, nimirum est actus voluntatis, quo voluntas diligit Deum summum bonum propter se, et Proximum propter Deum. Diligere autem dicimur, quando voluptatem ex alterius felicitate percipimus.

*Schol.* Quia Charitas versatur circa Deum et Proximum, duplex praeceptum amoris Dei et Proximi datur, quod per ordinem explicandum est. Caeterum actus Charitatis, alii sunt *interni*, scilicet, *Dilectio*, per quam alteri bonum volumus: *Gaudium*, seu quies animi in bono praesente, et possesso: *Pax*, quae consistit in unione nostrae voluntatis cum voluntate Dei et Proximi circa finem communem beatitudinis. *Misericordia*, quae est voluntas seu affectus alienam miseriam sublevandi. Actus *externi* Charitatis sunt, *Beneficentia*, *Eleemosyna*, *et Correctio fraterna*: de quibus in subsequentibus agetur.

#### Art. 1. *De praecepto Charitatis.*

Datur praeceptum diligendi Deum actu explicito. §. 595. Datur speciale et a caeteris distinctum praeceptum diligendi Deum affectu interno explicito, et non solum effectu observando caetera mandata. Ita 1° S. Scriptura, *Matth.* 22. *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum.* Unde sic: Verba S. Scripturae sumenda sunt in sensu proprio, et naturali, nisi obstet grave inconveniens. Sed haec verba, *diligere ex toto corde etc.* naturaliter sine inconvenienti affectum et actum internum significant. Ergo actu interno Deus diligendus est. 2° Iuxta S. Scripturam mandatum diligendi Deum dicitur primum et maximum; secundum vero mandatum est, diligendi Proximum. Ergo mandatum dilectionis Dei est speciale a caeteris distinctum. 3° S. Scriptura distinguit dilectionem Dei, et observantiam mandatorum ut causam, et effectum, ut signum et significatum: *Joan.* 14. *Si diligitis me, mandata mea servate.* Ergo distinguuntur. Hinc merito damnatae sunt sequentes propositiones: 1. *Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei et Charitatis.* 2. *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.* 3. *Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare praeceptum dilectionis Dei.*

Solvuntur *Schol.* Nonnulli docuerunt, non dari praeceptum speciale a cae-

teris distinctum, diligendi Deum actu interno explicito, sed dilectionem Dei praeceptum nihil aliud esse, quam observantiam praeceptorum, etiam sine ullo internae dilectionis affectu. I. Quia *Ioan.* 14. dicitur: *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est, qui diligit me. Resp.* Haec verba solum innuunt, observationem mandatorum Dei esse signum dilectionis Dei. II. S. Bernardus *Serm.* 50. *in Cantica* ait: *Est Charitas in actu, et in affectu, et de illa quidem, quae operis est, puto datam esse legem, mandatumque firmatum; nam in affectu quis ita habeat, ut mandetur? Illa mandatur ad praemium, ista in praemium datur. Resp.* S. Bernardus non excludit omnem obligationem affectionis internae, sed tantum perfectae, et consummatae cum dulcedine et devotione consummata, uti ex toto contextu apparet. **obiectiones.**

ART. 2. *De modo diligendi Deum.*

§ 596. Praeceptum Charitatis Dei prout est affirmativum nos obligat, ut Deum appretiative super omnia propter seipsum diligamus. Nam Deus diligendus est ex toto corde, id est tota intentione, et voluntate: ex tota mente, ita ut intellectus noster subdatur Deo: ex tota anima, ita ut appetitus sensitivus reguletur secundum Deum: ex tota fortitudine, ita ut actus externi sint conformes legi Divinae, adeoque Deus pluris aestimari debet, quam reliqua omnia: quod est appretiative super omnia diligere. **Deus appretiative super omnia amandus.**

*Schol.* 1. Quaeritur, an Deus etiam intensive sit diligendus super omnia. Petrus Soto cum nonnullis Lovaniensibus docet, esse peccatum, si Deus amore intensive maiori non diligatur, quam Proximus; et hoc nonnulli mortale, alii veniale peccatum esse dicunt. Nos dicimus: Non peccat contra praeceptum Charitatis, qui intensiori amore, sive naturali, sive supernaturali diligit Proximum, quam Deum. 1. Quia obiectum sensibile, uti Proximus, vehementius movet voluntatem, quam spirituale, uti est Deus, quia sensibile voluntati dependenter a sensibus operanti est propinquius. Ergo potest intensius movere ad Charitatem intensiorem, licet amor Dei sit in voluntate appretiative maior, cum Deus pluris aestimetur, quam totus mundus. 2. Si detur praeceptum Charitatis intensioris erga Deum, sequeretur perpetua anxietas conscientiarum, cum impossibile sit discernere inter gradus intensionis, et scire, an Deum intensius diligamus, quam proximum. Non obstat I. quod teneamur Deum diligere, ex toto corde, mente et anima: ergo intensius, quam quodvis aliud, maxime cum inordinatum sit, quod voluntas plus afficiatur ad bonum creatum, quam ad increatum. *Resp.* Tenemur Deum appretiative ex toto corde diligere; et inordinatum est, si voluntas appretiative ad bonum creatum magis afficiatur, quia alias bonum creatum increato praeferretur, non vero intensive, quia sic solum obiectum appetitui vehementius applicatur. II. Proximus diligitur ex Charitate propter Deum: ergo Deus **An etiam intensive?**

intensius diligendus est; quia propter quod unumquodque tale, est magis tale. *Resp.* Ly *propter Deum* non dicit bonum amatum, sed rationem motivam amandi. III. Spiritus S. inclinat cor hominis ad amandum: sed nequit intensius ad amorem Proximi, quam Dei inclinare, quia Deus meretur, ut intensius ametur. *Resp.* Spiritus S. quandoque magis inclinat hominem ad minus bonum; quia movet secundum modum et dispositionem subiecti: Deus vero non praecipit omnia, quae meretur, alias continuo actuali amore in eum ferri teneremur.

An homo opera sua ad Deum explicite virtualiter referre teneatur?

*Schol.* 2. Quaeritur ulterius, an homo deliberate agens teneatur omnia opera sua referre in Deum. Quidam Theologi respondent, hominem deliberate agentem teneri sub peccato veniali actum referre in Deum ex amore benevolentiae relatione virtuali explicita relicta ex actuali relatione praecedente, quae adhuc perseveret, et in opus influat; ita tamen, ut defectus huius relationis non ipsum opus, sed operantem maculet. Dicendum est: 1. Homo tenetur aliquoties opera sua omnia referre relatione virtuali explicita in Deum ut ultimum finem sive naturalem, sive supernaturalem, eo scilicet modo, quo eum cognoscit: omnis enim homo sive fidelis, sive infidelis tenetur saepius elicere actum amoris Dei ut ultimi finis. Sed in hoc actu amoris involvitur virtualis relatio omnium operum in Deum tamquam ultimum finem, et quidem explicita. Ergo etc. 2. Ut vero tum opera nostra, tum operans a peccato eximantur, non requiritur relatio virtualis explicita, sive ut ex Charitate saltem initiali ad Deum propter se dilectum omnia semper referantur; sed sufficit relatio virtualis implicita in Deum, scilicet, quod opus sit honestum ex obiecto, et nullis malis circumstantiis, nec ullo malo fine vitietur. Nam 1. non potest assignari lex praecipiens relationem explicitam, nisi praeceptum dilectionis Dei. Sed hoc, cum sit affirmativum, non obligat pro semper, sed tantum certis temporibus. Ergo quando praeceptum dilectionis non urget, in qua virtualis explicita relatio operum ad Deum involvitur, non obligat illa virtualis explicita relatio. 2. Infidelis, vel peccator, qui nulla praecedente actuali relatione in Deum propter se dilectum facit eleemosynam ex motivo misericordiae, non peccat ex parte obiecti, quod honestum est: nec ex parte circumstantiarum, quas bonas esse supponimus: nec ex parte finis; quia habet pro fine particulari proximo et explicito honestatem operis particularem, quae ex se tendit ad Auctorem totius honestatis, scilicet Deum, quem habet virtualiter implicite pro fine ultimo. 3. Ex contraria sententia videtur sequi, Infidelem, quamdiu manet Infidelis, in omni opere non relato ad Deum propter se dilectum peccare, quod damnavit Alexander VIII. Item sequitur, quod qui dolet de peccato mere ob eius turpitudinem, sine ullo respectu ad Deum offensum, peccet; quod damnatum videtur in hac propositione: *Re vera peccat, qui odio habet peccatum mere ob eius turpitudinem et disconvenientiam cum natura, sine ullo ad*

*Deum offensum respectu.* Item sequitur, quod qui elicit actus Fidei, et Spei, sine ulla relatione explicita ad Deum propter se dilectum, peccet. Item sequitur, quod peccator, qui Deum timet et eius iustitiam, sine relatione ad Deum propter se dilectum, peccet. Adeoque non disponatur ad iustificationem; quod est contra Tridentinum. Has tamen sequelas nolim ita intelligi, quasi contraria sententia censuram mereatur; cum eas erudite solvere nitatur R. P. Chmel Benedictinus Breznoviensis in Opere: *De off. hom. erga Deum.* 4. Si esset obligatio referendi omnia virtualiter explicite ad Deum propter se dilectum; haec obligatio foret sub peccato mortali, quia est contra maximum praeceptum diligendi Deum: quod tamen est contra adversarios, qui obligationem sub veniali solum agnoscunt. Non obstat I. quod 1. *ad Cor.* 10. iubeamur *omnia in gloriam Dei facere.* Et *c.* 16. *Omnia vestra in Charitate fiant*: quae praecepta affirmativa obligant pro semper. *Resp.* Haec omnia in nostra sententia verificantur, iuxta quam homo tenetur aliquoties opera sua referre in Deum propter se dilectum relatione virtuali explicita. Porro haec praecepta affirmativa obligant pro semper, quoad relationem virtualem implicitam, quatenus homo semper tenetur agere quod de se bonum, et perfectum est. II. S. Augustinus *l.* 4. *contr. Jul. c.* 3. ait: *Quidquid autem boni fit ab homine .... ipso non recto fine, peccatum est.* Et: *De tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat, esse peccatum. Resp.* S. Augustinus illa verba: *Non recto fine.* Et: *Non in Domino gloriari*, sumit contrarie, ita ut non liceat perverso fine agere, et in alio, quam in Domino, gloriari; agit enim contra Julianum dicentem, opera etiam ex malo fine facta bona esse. III. Homo rationalis debet omnia opera sua referre ad finem rationi conformem: ergo ut elevatus ad statum supernaturalem debet omnia referre ad finem supernaturalem, quae relatio non potest esse virtualis implicita, quia opus morale bonum non tendit ex se ad finem supernaturalem. *Resp.* Disparitas est, quia ratio est homini intrinseca regula omnium actionum: elevatio vero ad statum supernaturalem est quid extrinsecum, non destruens, sed conservans naturam: unde dum homo non refert actiones suas ad Deum ut finem supernaturalem, refert tamen ad Deum ut finem naturalem; adeoque habet Deum pro obiecto, et non peccat: at si illas non referat ad finem rationi conformem, nullatenus Deum pro fine habet, et in nullo illi servit, et sic peccat.

Art. 3. *De dilectione Dei propter mercedem aeternam.*

§ 397. Non repugnat Charitati servare legem et Deo servire, sive illum diligendo, sive alia virtutum opera exercendo propter aeternam retributionem. Nam licitum est, intuitu aeternae mercedis operari (t. 1. §. 384.). Ergo Charitati non repugnat. Quippe finis bonorum operum a Deo statutus, est vita aeterna; hunc proponit

**Non est contra Charitatem servire Deo propter mercedem aeternam.**

Evangelium, inquirit Fides, praestolatur Spes, rependit Justitia. Ergo pro illo bonis operibus vacare, Charitati non repugnat.

Resolvuntur casus. *Corollar. Pract.* 1° Deus super omnia diligendus est saltem appretiative (§ 596.), licet decentissimum sit, ut etiam intensive super omnia diligatur. 2° Quamvis nefas sit, Deum diligere propter mercedem vitae aeternae tamquam finem principalem, licet tamen eum diligere propter mercedem, ceu finem minus principalem et causam impellentem. 3° Praeceptum actus Charitatis Dei non habet quidem determinatum tempus sibi assignatum: obligat tamen, quamprimum homo sufficientem usum rationis obtinet, et Deum summum Bonum, et ultimum finem cognoscit: ubi tamen ly *quamprimum* non sumitur pro primo instanti rationis physice, sed moraliter, ita ut cognito praecepto, longa mora in illo implendo non trahatur: tum saepius in vita, cui tamen praecepto plerumque satisfit, opera bona faciendo, quia Deus vult; devote orando: *Sanctificetur Nomen tuum; Fiat voluntas tua*; quo modo concomitanter elicitur actus Charitatis, gaudendo de perfectionibus Divinis: tum quando urget gravis tentatio circa odium Dei: tum in articulo mortis, ubi absolute obligat: tum quando Contritio est elicienda, quae necessario includit actum Charitatis. 4° Actus amoris Dei hoc modo elici potest: Amo Te, o Deus, ex toto corde, quia tu es summum et infinitum Bonum. 5° Intentio mane facta, omnia propter Deum agendi, si per contrariam intentionem, vel vanam gloriam, vel grave peccatum non corrumpatur, censetur adhuc influere in opera totius diei, licet quis in singulis actionibus de motivo Charitatis non cogitet. Signum perdurationis est, si interrogatus respondere possit, se ad gloriam Dei operari. 6° Media proficiendi in Charitate Dei sunt: 1. Meditatio beneficiorum nobis a Deo praestitorum: 2. Praemiorum, quae Deus promisit diligentibus se; et 3. Divinarum perfectionum. 4. Bona intentio, omnia agendi ad gloriam Dei, et eius beneplacitum. 7° Amor Dei super omnia tres gradus habet. Primus est, Deum propter summam eius bonitatem appretiare super omne bonum creatum, ita ut quis malit omni bono privari creato, et omne malum perpeti, quam Deum graviter offendere. Secundus, Deum ita appretiare, ut quis malit omni bono creato carere, quam Deum leviter offendere. Tertius est, Divinae voluntati in prosperis, et adversis ita se conformare, ut quis nihil velit, nisi Deum, et propter Deum; ideoque semper eligat, quod est perfectius, excludendo omnes voluntarias imperfectiones.

### Art. 4. *De Amore sui ipsius.*

Homo debet diligere seipsum. § 598. Ab amore Dei pergimus ad amorem Proximi: inter Proximos autem nemo sibi proximior, nisi homo sibi ipsi. Proinde homo seipsum actu interno ex Charitate diligere tenetur. Deus enim tamquam infinite bonus dignus est, ut ab omnibus amore benevolentiae diligatur; ergo etiam homo propter Deum hunc amorem sibi

velle debet. Sed hoc est amare seipsum amore Charitatis: ergo homo seipsum amare propter Deum debet.

*Schol.* Homo seipsum magis ex charitate diligere debet, quam alium Proximum: nam *Matth.* 22. dicitur; *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum*: adeoque dilectio sui ipsius debet esse exemplar dilectionis alterius: exemplar autem est potius, quam exemplatum. Hinc S. Augustinus *l.* 1. *de Civ. c.* 20. ait: *Regulam diligendi Proximum a semetipso dilector accipit.* Deinde Deus diligitur ut principium boni: homo autem se diligit ut participem illius boni, et Proximum ut socium in isto bono: sed participatio est potior consociatione, sicuti unitas est potior unione: ergo homo seipsum magis, quam Proximum diligere debet. Non obstat I. quod ly *sicut teipsum* significet aequalitatem inter amorem sui et proximi. Et 1. *ad Cor.* 13. dicitur: *Charitas non quaerit, quae sua sunt. Resp.* Ly *sicut*, solam similitudinem in S. Scriptura multoties designat. Et S. Apostolus loquitur de Charitate, quae communia propriis antepouit. II. Proximus subinde est sanctior, quam nos: ergo plus amandus: imo Christum, et Beatissimam Virginem plus quam nos diligere debemus. *Resp.* Proximus subinde est sanctior, et Deo coniunctior, sed non ita propinqnus amanti, sicut amans sibi; adeoque plus tenetur se diligere. Christus ut Deus super omnia amandus est, ut Homo plus quam nos amari debet, velut Auctor nostrae salutis. Beatissima Virgo plus quam nos amari debet obiective, quia illi maiora bona propter dignitatem Maternitatis Dei velle debemus; non tamen debemus illam appretiative magis amare, quam nos. An magis se quam proximum diligere debeat?

## Art. 5. *De Amore proximi.*

§ 599. Homo inter omnes Proximos, suos etiam peccatores secundum naturam spectatos, actu interno propter Deum diligere debet, *Matth.* 22. *Diliges Proximum tuum, sicut te ipsum.* Sed peccator non desiuit esse Proximus, *Matth.* 18. *Si peccaverit in te frater tuus*, quia frater noster dicitur, et beatitudinis capax est, si secundum naturam spectetur (§ 587. Schol.). Ergo diligendus est; et quidem actu interno: nam *Joan.* 15. praecipitur: *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Christus autem non solum per opera externa, sed affectu etiam interno nos dilexit. Hinc Innocentius XI. has propositiones damnavit: 10. *Non tenemur proximum diligere actu interno et formali.* Et 11. *Praecepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.* Homo debet diligere proximum.

Ordo tamen in Charitate observandus est, ut 1° Deus super omnia diligatur. 2° Seipsum quisque diligat secundum bona spiritualia. 3° Proximum secundum bona spiritualia. 4° Seipsum secundum bona corporis. 5° Proximum secundum bona corporis. 6° Seipsum et Proximum secundum bona externa.

*Coroll. Pract.* 1° Proximo in extrema necessitate spirituali versanti succurrendum est cum certo periculo propriae vitae, dummodo Resolvuntur casus

spes aeque certa Proximum iuvandi adsit, nullumque gravius damnum inde secuturum puletur: sic teneor baptizare infantem moriturum. 2° Qui ratione officii ex iustitia obligatur ad prospiciendum saluti spirituali Proximi, non tantum in extrema, sed et gravi necessitate spirituali constitutis cum periculo propriae vitae succurrere debet. Hinc Parochus tempore pestis fugere nequit, nisi alteri idoneo officium suum resignet: cavere tamen debet, ne ex sua morte alii grave damnum patiantur: unde pro sui conservatione ad bonum commune, illis personis, de quarum bona conscientia, et debita instructione satis securus est, ad conservandam pro bono communi propriam vitam, Sacramenta non admodum necessaria ministrare facile non debet. 3° Qui alteri grave damnum spirituale intulit, debet illud cum periculo propriae vitae resarcire: adeoque obstetrix infantes invalide baptizans, cum periculo poenae capitalis sibi infligendae crimen manifestando, damnum resarcire debet. 4° Ordinarie non licet vitam propriam postponere alienae; licet tamen eam exponere pro salute personae publicae, ex qua salus communis dependet; item pro Fide, Religione et Republica; imo saepe ad hoc tenemur, quia bonum publicum privato praeferendum est. 5° Ad impediendam aeternam damnationem iniusti aggressoris, etsi eum iure occidere possim, licet tamen potius permittere et tolerare mortem corporalem. 6° Vitam hominis nocentis debemus praeferre vitae hominis innocentis; unde occidendus est latro, ut ex eius manibus innocens liberetur, dummodo hoc fieri possit sine periculo propriae vitae. 7° Magis diligendus est Proximus melior, ea scilicet Charitate, quam comitatur gaudium circa bona possessa: sic plus diligendus est vir sanctus, quam parens improbus. Ea vero Charitate, quae coniuncta est cum honore et reverentia, magis diligendi sunt parentes, quam filii, et uxor; magis benefactores, quam illi, quibus benefecimus. Illa autem Charitate, qua alteri optamus bona nondum possessa cum beneficentia magis diligendi sunt, qui nobis sunt propinquiores. Et ideo 8° in bonis ad conservandam vitam corporis extra extremam necessitatem succurrendum est 1. uxori, 2. filiis, 3. parentibus, et quidem patri prae matre, 4. fratribus et sororibus, 5. propinquis, domesticis et familiaribus. In necessitate vero extrema omnibus praeferendi sunt parentes, erga quos debitum est antiquius et nobilius. 9° In rebus pertinentibus ad civilem communicationem praeferendi sunt concives: in bellicis, commilitones: in spiritualibus, spirituales patres, et filii, et fratres. In hoc tamen etiam genere praeferendi sunt parentes.

### Art. 6. *De Amore inimicorum.*

Inimici diligendi sunt.

§ 600. Inimici etiam actu interno et formali ex Charitate sunt diligendi. Sic 1° praecipit Christus, *Matth.* 5. *Diligite inimicos vestros.* Quod esse praeceptum declarat Christus, dicens: *Ut sitis*

*filii patris vestri*, *qui in coelis est*. Quippe omnibus ad salutem necessarium est, esse filios Patris coelestis. Deinde in Oratione Dominica *Matth.* 6. petimus, ut Deus nobis dimittat *debita nostra*, *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*: adeoque praeceptum est dimittere inimicis: alias non dimittetur nobis, sicuti ibidem dicitur: *Si non dimiseritis hominibus*, *nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra*. 2° Ratio est: Dilectio inimicorum nostram perfectionem spiritualem et naturalem promovet, et a multis peccatis nos retrahit, dum inordinatas nostras passiones domat, pacem internam conciliat, inimicum nostrum ad nostram amicitiam invitat, et trahit, quo deinde velut amico in nostris necessitatibus uti possumus: inimicum ad saniorem frugem reducit; et nos ipsi volumus, ut alii nobis offensas illis illatas condonent, et nos diligant. Ergo etiam nos inimicos nostros velut proximos actu interno etiam diligere debemus (§ 599.).

*Schol.* Dilectio amici secundum se, et caeteris paribus est absolute melior, et magis meritoria, quam dilectio inimici; nam amicus est obiectum melius, et Deo coniunctius, ac nobis, quam inimicus, saltem si amicus spectetur ratione amicitiae et respective ad amantem. Ergo dilectio amici est melior. Sane absolute loquendo peius est, odisse amicum, quam inimicum. Ergo absolute melius est amare amicum, quam inimicum. Non obstat I. quod dilectio amicorum non mereatur mercedem. *Matth.* 5. *Si diligitis eos*, *qui vos diligunt*, *quam mercedem habebitis? Resp.* Dilectio amicorum non habet mercedem, si non diligantur propter Deum, et si non simul diligantur inimici. II. S. Chrysostomus *hom. de cruce* ait: *Melius est pro inimicis*, *quam pro amicis orare*. Et iuxta S. Thomam, *dilectio inimici praeeminet secundum rationem diligendi*. *Resp.* S. Chrysostomus loquitur de dilectione, et oratione pro inimicis simul, et amicis, quae melior est dilectione amicorum tantum. Et S. Thomas non vult, quod ratio diligendi, scilicet bonitas Divina, sit maior, seu magis participata in inimico, quam in amico, sed quod sit purior, et fortior, quia est difficilior. III. Dilectio inimici est fortior et purior, imo difficilior: ergo melior. *Resp.* Est fortior et purior, sed non melior absolute et ratione obiecti, sed tantum secundum quid, et accidentaliter. Deinde difficilius non est semper magis meritorium, sed requiritur maior obiecti bonitas, circa quod difficultas occurrit: sic dilectio Dei melior est, quam dilectio Proximi, licet haec sit difficilior; nam difficultas non se tenet ex parte obiecti, quatenus bonum est, sed quatenus a bono deficit.

**An dilectio amici sit melior dilectione inimici?**

*Coroll. Pract.* 1° Ex Charitate tenemur inimicis nostris exhibere beneficia, et signa dilectionis generalia, quae communiter omnibus eiusdem status hominibus praestare solemus, v. g. orare in communi, salutare, etc. si omnibus haec praestantur: non tamen tenemur exhibere illis signa specialia, v. g. ultro aliquem alloqui, amice conversari, aegrotum invisere, moestum solari, hospitio excipere, quia

**Resolvuntur casus**

haec non tenemur communiter omnibus exhibere; si quis tamen inimicum torvis oculis aspiciat, asperius alloquatur, vel ex negatis signis specialibus inimicus magis exacerbetur, et alii scandalizentur; signa etiam specialia illi exhibenda sunt de praecepto sub peccato mortali: item si quis his signis inimici animum Deo, et sibi reconciliandum putet, et si ad depellendum proprium odium haec signa sint necessaria. 2° Inimicum salutantem vicissim resalutare necesse est, et veniam petenti tribuere, ac alia signa exhibere, quae ostendant inimicitiam esse depositam, nisi quis sit Superior, et reconciliationem iustae correctionis causa differendam esse credat. In genere perfectius est, signa etiam specialia inimico exhibere. 3° Offensam nobis illatam ex animo condonare debemus, ex phantasia vero et memoria eam depellere vix possibile est: possumus tamen actionem iniuriarum instituere tum civilem, ut nobis satisfiat, et damnum illatum compensetur; tum criminalem publicae iustitiae amore, ne crimina maneant impunita, sed hoc fieri debet sine odio et vindicta. 4° Quando duo se mutuo offenderunt, et offensae sunt aequales; ille prior veniam petere debet, qui prior offendit: si offensae vel offendentes sunt inaequales, ille qui inferior est, vel gravius offendit, prius veniam petere debet. 5° Offensus non peccat graviter, si non statim ignoscat, quod saepe nimis durum est, ob humanam fragilitatem quae saltem a mortali subinde excusat; longa tamen mora trahi non debet. 6° Qui offendit alium, a quo offensus non fuit, tenetur ab eo veniam petere, si offensa sit gravis, et aliud medium reconciliationis non suppetat; qui vero veniam petenti non vult ignoscere, graviter peccat.

Solvuntur obiectiones

*Schol.* 2. Contra hucusque dicta obiici potest. I. In veteri Lege non erat necesse diligere inimicum, quia Christus, *Matth.* 5. dicit: *Audistis, quia dictum est antiquis . . . odio habebis inimicum tuum.* Et Christus ibidem dilectionem inimicorum praecipit solum tamquam aliquid perfectum: *Estote ergo perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est. Resp.* Etiam in Lege veteri dilectio inimicorum praecepta fuit: *Lev.* 19. *Ne oderis fratrem tuum in corde tuo . . . . non quaeras ultionem.* Et *Prov.* 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum.* Hoc quippe praeceptum est legis naturae. Christus non ait: in lege dictum est, odio habebis inimicum tuum, sed a Scribis legem perverse interpretantibus, qui cum *Lev.* 19. diceretur: *Diliges amicum,* male inferebant, inimicum esse odio habendum; quod argumentum a contrario non valet; si praedicatum sub eadem ratione convenit subiecto antecedentis, et consequentis, sicuti diligere convenit amico, et inimico, sub eadem ratione creaturae Dei, qualis est uterque: unde *Matth.* 5. Christus illud, *amicum*, *Lev.* 19. exprimit per ly *proximum.* Ibidem Christus loquitur de perfectione cuilibet Christiano necessaria: nam dixerat: *Ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est,* quod cuilibet necessarium est. II. S. Augustinus in *Ench. c.* 73. dicit, perfectorum esse diligere inimicos, neque hoc a tanta multitu-

dinc impleri. Et *l.* 1. *de Serm. Dom. in monte* ait: *Ascendit aliquem gradum, qui proximum diligit, quamvis adhuc oderit inimicum.* Et S. Hieronymus *l.* 1. *contr. Pelag. c.* 9. eos redarguit, quod dicerent, inimicos esse diligendos, sicut Proximos. *Resp.* S. Augustinus in primo loco agit de speciali dilectione perfectorum. In altero agit de gradu iustitiae Pharisaicae, quem dicit tam parvum esse, ut Publicanis sit communis. S. Hieronymus Pelagianos redarguit, quod dicerent, inimicos ita specialiter diligendos esse, sicuti consanguineos. III. Unaquaeque res naturaliter odit suum contrarium: ergo etiam homo suum inimicum. *Resp.* Odit suum contrarium, in quantum est contrarium, sicuti et nos inimicos, in quantum sunt inimici, odisse debemus, non vero in quantum homines sunt, beatitudinis capaces; displicere igitur nobis debet, quod nobis sint inimici; diligere eos debemus, quia Proximi nostri sunt.

## CAP. X.

### *De Eleemosyna.*

§ 601. Non solum corde et actu interno Proximum nostrum diligere debemus, sed etiam opere, actus externos Charitatis illi impendendo. Inter hos actus externos est primo *Eleemosyna*, quae est opus, quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum. Actus externi Charitatis. Eleemosyna quid?

*Schol.* Eleemosynae vel sunt spirituales, vel corporales. *Spirituales* sunt septem: 1. Ignorantes docere. 2. Consulere dubitanti. 3. Consolari tristem. 4. Peccantem corrigere. 5. Remittere offendenti. 6. Portare patienter onerosos et graves. 7. Pro omnibus orare. *Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.* Eleemosynae *corporales* etiam sunt septem: 1. Pascere esurientem. 2. Potare sitientem. 3. Vestire nudum. 4. Recolligere hospitem. 5. Visitare infirmum. 6. Redimere captivum. 7. Sepelire mortuum. *Visito, Poto, Cibo, Redimo, Tego, Colligo, Condo.* Quotuplex?

§ 602. Datur praeceptum Divinum positivum, et naturale dandi eleemosynam. 1° Divinum praeceptum habetur, *Prov.* 21. *Qui obdurat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudietur: Eccli.* 29. *Propter mandatum assume pauperem, et propter inopiam eius ne dimittas eum vacuum:* et *Matth.* 25. *Ite maledicti in ignem aeternum: esurivi enim, et non dedistis mihi manducare.* Nullus certe damnatur, nisi propter omissionem praecepti. 2° Quaecumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Sed unusquisque vellet, sibi in necessitate per eleemosynam subveniri. Ergo etiam ille subvenire debet. Datur praeceptum eleemosynae.

*Corollar. Pract.* 1° Praeceptum dandi eleemosynam est respectu omnium Proximorum, fidelium et infidelium. 2° Obligatio dandi eleemosynam oritur vel ex parte accipientis in necessitate constituti, quae necessitas aut est *extrema*, cui nisi succurratur, aliquis vita periclitatur, sive saltem periculo mali morti aequali exponitur: aut est Resolvuntur casus.

*gravis*, ubi alter aegre vitam sustentat, sive dignitate sua privatur: vel est *communis*, quam comitatur aliquod incommodum in necessariis ad vitam et statum, sine nimia tamen miseria, et molestia, qualem patiuntur ostiatim mendicantes: vel obligatio oritur ex parte dantis, si habeat bona *superflua*, sive *naturae*, hoc est, non necessaria ad suam, suorumque sustentationem: sive *superflua personae*, hoc est, non necessaria ad statum et dignitatem tuendam. 3° De necessariis naturae nemo tenetur dare eleemosynam, quia Charitate ordinata suae et suorum necessitati primo debet succurrere, nisi persona extremam necessitatem patiens sit talis, ut ab ea salus Ecclesiae vel reipublicae dependeat, ubi bonum commune privato praeferri debet: imo etiam ex necessariis naturae sub gravi peccato succurrendum est extreme indigenti, si cum modico detrimento fieri possit. 4° De necessariis personae sive statui eleemosyna tribui debet homini extreme indigenti per se: nemo tamen pro conservanda pauperis vita tenetur statu suo excidere, si hoc maius damnum videatur. 5° Proximo in gravi necessitate constituto succurrendum est ex bonis statui necessariis, si modicum tantum damnum inde sequatur: secus, si quis notabile damnum subire deberet, quod aequiparatur gravi necessitati alienae. 6° Ex superfluis naturae, et personae, sub gravi peccato danda est eleemosyna gravem necessitatem patientibus, si eorum paupertas cognita fuerit, et nemo adsit, qui eos iuvare velit. 7° Etiam in communi necessitate constitutis, sub gravi peccato danda est eleemosyna ex bonis naturae et personae superfluis: *Luc.* 11. *v.* 41. *Verumtamen quod superest, date eleemosynam:* certe, qui hanc non dat, nimis inordinate bona divitiasque amat. Unde damnata est haec propositio 12. *Vix in saecularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui: et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.* Non tamen est obligatio succurrendi illis pauperibus, qui suo labore se sustentare possunt. 8° Non satisfit praecepto eleemosynae pauperi mutuando, commodando, vendendo eredito, nisi solum esset pauper secundum quid. 9° De illicite acquisitis restitutioni obnoxiis, eleemosynae fieri non possunt, et Clerici strictius quam laici ad eas obligantur. Pauper vero fictus peccat petendo eleemosynas, quas veris pauperibus restituere tenetur. 10° Eleemosynae quantitas et proportio iuxta varietatem personarum regulanda est. P. Tamburinus quinquagesimam partem annuorum redituum in communi necessitate assignat. Verum Charitas proximi regulam certam nec quaerit, nec attendit.

## CAP. II.

### *De Correctione fraterna.*

Correctio fraterna quid? § 203. Alius actus externus Charitatis erga proximum est *Correctio fraterna*, qua per convenientem sermonem Proximum a malo peccati ad bonum honestatis convertere nitimur. Quae correctio fraterna est

de praecepto: *Matth.* 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*: et ad *Gal.* 6. *Etsi praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Hinc S. Augustinus *Serm.* 16. *de verb. Dom.* ait: *Si neglexeris corripere, peior eo factus es, qui peccavit.* Ratio est, quia tenemur praecepto naturali subvenire Proximo corporaliter indigenti, reducere bovem Proximi errantem, et a Proximo omne malum avertere, cum possumus. Ergo tenemur etiam per correctionem fraternam subvenire spiritualiter indigenti, reducere peccantem, et maximum malum peccati, ab eo avertere. Est de praecepto

*Coroll. Pract.* 1° Praeceptum correctionis fraternae sub peccato gravi obligat, si peccatum grave Proximi aut eius periculum certum sit; adeoque in dubio non est obligatio, nec privata persona tenetur inquirere in certitudinem, sed solus Superior, Pater et Dominus respectu suorum. 2° Obligat, si probabile sit, Proximum nondum emendasse peccatum, nec emendaturum, nisi moneatur. 3° Obligat, si adsit spes probabilis, correctionem esse profuturam; si enim magis irritandus proximus videatur, cessat finis correctionis, scilicet emendatio: excipitur tamen articulus mortis, quando omissa correctione moribundus de aeterna salute periclitaretur, cui adhibenda est correctio, etsi aequaliter dubitaretur, sit ne profutura vel obfutura, ob instans malum irreparabile. 4° Obligat, si non adsit alius aeque ac magis idoneus ad corrigendum, vel qui credatur esse correcturus. 5° Obligat, si sit aptus locus, tempus, et occasio, et fieri possit sine gravi proprio incommodo. Sine his conditionibus privati non tenentur monere delinquentem. 6° Superiores, Parentes, et Heri, hoc praecepto saepius tenentur; imo Superiores Regulares etiam sub peccato gravi tenentur, veniales defectus corrigere, si ex iis disciplina relaxetur, et privatus saepe tenetur delictum ad Superiorem deferre. 7° Correctio non necessario verbis, sed aliis signis et modis fieri potest: non tamen expediunt verba aspera; nec debet fieri publice, nisi peccatum publicum fuerit. Modum praescribit Christus, *Matth.* 18. Correctio fiat 1. inter te et peccantem solum. 2. Si non sufficiat, coram testibus. 3. Si nec sic prosit, deferatur ad Superiorem; imo rem saepe immediate ad Superiorem deferre licet, ut emendatio procuretur; quod an necesse sit, circumstantiae docebunt. Resolvuntur casus.

## CAP. XII.

### *De vitiis Charitati oppositis, ac primum de odio Dei.*

§ 604. Vitia Charitati specialiter opposita sunt primo, *Odium Dei*, *et Proximi*. Est autem *Odium* in genere taedium ob bonum alterius, quo quis malevole fertur in alterum. Odium quid?

*Schol.* Odium aliud est *abominationis*, qua aversamur aliquid ut nobis malum, et disconveniens: hoc odium opponitur amori concu- Quotuplex?

piscentiae. Aliud est *odium inimicitiae*, quo volumus alicui malum, ut illi male sit; et opponitur amori benevolentiae. Odium abominationis rursus duplex est: aliud est odium *personae*, quo ipsam secundum se, quantum ad naturam, et gratiam, ut malum displicens aversamur: vel odium *qualitatis* Proximi sive boni, sive mali.

Odium est peccatum mortale. § 605. Odium inimicitiae tum erga Deum, tum erga Proximum est peccatum mortale, quia graviter repugnat praecepto maximo Charitatis Dei (§ 595. 596.), et Proximi (§ 599. 600.).

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Odium Dei, quo quis directe vult malum Deo, est peccatum omninm gravissimum, ubi non datur parvitas materiae. 2° Odium inimicitiae erga Proximum, ex genere suo est peccatum mortale, nisi fiat veniale vel ex indeliberatione; vel ex parvitate materiae, quando quis leve malum alteri imprecatur. Hinc deliberate velle, gaudere, desiderare, imprecari Proximo grave malum, v. g. mortem, pestilentiam, etc. sive ex vindicta, sive ex aversione erga eius personam, semper est mortale. 3° Odium abominationis, seu qualitatis personae, si bona qualitas in proximo odio habeatur, est peccatum grave, et fraternae Charitatis invidentia: si qualitas sit mala, odium bonum est. Cavendum vero, ne odium rei paullatim ad personam se extendat. 4° Hominibus malis subinde licet maledicere ex odio abominationis qualitatis personae, v. g. furi, ut suspendatur, non quidem optando, quatenus malum ipsius absolute est, sed quatenus boni rationem habet, ut alia mala evitentur: daemonibus etiam, quatenus sunt inimici Dei, maledicere possumus. 5° Proximo sine iusta causa maledicere est de se grave peccatum, et subinde iustitiae adversatur, et ad contumeliam spectat, quas peccatorum species exacto in Confessione distinguere oportet; nam subinde ambae reperiuntur in maledictione, uti si quis serio ex odio alicui in faciem maledicat non sine laesione honoris, contra iustitiam, et Charitatem de se mortaliter duplici peccato peccat, si non ex indeliberatione et levitate materiae fiat veniale, interdum peccatur contra Charitatem sine contumelia, quando absenti sine imminutione honoris maledicitur. Interdum committitur peccatum contumeliae contra iustitiam et pietatem sine peccato odii contra Charitatem, si quis non serio alteri in faciem maledicat; ubi tanto gravior est contumelia, vel impietas, quanto excellentior est persona. 6° Subinde fit, ut verba maledictionis contra hominem subditum nec Charitati, nec iustitiae notabiliter repugnent, sed tantum virtuti mansuetudinis et patientiae: v. g. si parens filio, dominus servo, sine animo, ut mala imprecata eveniant, maledicat: hinc tantum sunt peccata venialia ex supposito, quod scandalum absit. Item si ex subita ira, et indeliberatione ad incutiendum subditis terrorem maledictiones sine scandalo effutiantur, est solum veniale: tenentur tamen eiusmodi imprecantes sub gravi peccato consuetudinem deponere, tum propter scandalum, tum propter vitium ex genere suo mortale; et ideo consuetudinarii non debent facile absolvi, si nullam diligentiam se emendandi adhibeant. 7° Crea-

turis irrationabilibus, v. g. ligno, bovi, etc. maledicere sine scandalo, ordinarie est tantum veniale, si affectus pravus praecise tendat in has res, secundum se spectatas: si vero tendat in personam, ad quam spectant, est mortale pro gravitate materiae: si in Deum, creaturis ad nos puniendos utentem, erit blasphemia. 8° Non peccat graviter, qui in aestu irae dicit: *tonitru*, *diabole*, *pestis*, *aut morbus quicumque graviter infectivus:* quia haec mala tantum pronuntiando nemini imprecatur: secus est, si imprecari intendat. 9° Qui sibi ipsi mortem imprecatur deliberate ex prava intentione, graviter peccat; secus, si fiat ex ira indeliberate, vel ex bono fine, ne in periculo peccati vivere cogatur: imo Palao eum a mortali excusat, qui sibi ob gravissima mala mortem imprecatur, ut a gravissimis doloribus liberetur: quod tamen sine peccato saltem veniali vix fiet, nisi se in voluntatem Dei simul resignet. 10° Qui aliis serio grave malum imprecatur, debet exprimere in Confessione, an illi parentes, vel consanguinei fuerint, quia etiam contra pietatem peccat. Signa autem, quod aliquis alteri non serio maledixerit, sunt, si statim horreat, poeniteat, et interrogatus, an libenter vidisset, si mala imprecata evenissent, serio respondeat, sibi gratum non fuisse. Se vero et alios etiam non serio daemoni devovere, ob gravem deformitatem saepe peccatum mortale est. 11° Denique odium ab aversione bene distingui debet, utpote in qua malum alteri non optamus, et plerumque veniale est.

### Art. 1. *De Acedia.*

§ 606. Secundo Charitati opponitur *Acedia*, quae est tristitia de bono Divino in nobis participando cum labore et difficultate; et ideo quia Acedia Charitati, et amicitiae Dei graviter repugnat, ex genere suo peccatum mortale est. *Acedia quid? Ex genere suo est mortale*

*Coroll. Pract.* 1° Acedia si sit taedium et tristitia de bonis spiritualibus, et Divinis, de amicitia Dei, vita aeterna, et mediis ad eam necessariis, propter difficultatem in iis consequendis, et quidem deliberata; est peccatum mortale, quia est aversio ab ultimo fine. 2° Si vero Acedia sumatur pro fastidio, et tepore animi in arduo virtutum exercitio; est peccatum veniale, nisi omitterentur actus virtutum graviter praecepti. 3° Filiae Acediae sunt: amaritudo, nausea, odium rerum spiritualium, torpor in servitio Divino, negligens praeparatio ad suscipienda, et administranda Sacramenta, otium, pusillanimitas, odium Dei, taedium vitae, desperatio. 4° Remedia contra Acediam sunt: 1. Nausea, quam tepidus Deo creat, quem incipit evomere ex ore suo, *Apoc.* 3. 2. Meditatio beneficiorum Dei. 3. Exempla fervidorum Christianorum. 4. Exempla saecularium summo studio dominis terrenis servientium. *Resolvuntur casus*

### Art. 2. *De Invidia.*

§ 607. Tertio Charitati erga proximum opponitur *Invidia*, quae *Invidia quid?*

Ex genere suo est mortale est tristitia de bono alieno, aestimato ut malo proprio, quatenus est diminutivum propriae excellentiae. Hinc quia Invidia Charitati graviter repugnat, ex genere suo peccatum mortale est.

Resolvuntur casus. *Corollar. Pract.* 1° Invidia ob levitatem malae affectionis, inconsiderantiam, et parvitatem materiae, plerumque veniale peccatum solum est. Ex ea tamen oritur, Odium, Detractio, et Susurratio. 2° Qui tristatur de scientia et virtute Proximi, non quia Proximus haec habet, sed quia quis illis caret, non peccat per Invidiam, sed potius habet laudabilem aemulationem, quia haec tristitia est de propria penuria, quam ex comparatione cum alterius abundantia quis advertit; dummodo illa abundantia etiam sibi conveniat, nec supra suum statum fuerit. 3° Si quis de dignitate ab altero obtenta tristetur, qui certo novit, quod illa indignus sit, non peccat, si bona illa consideret prout a potestate humana contra iustitiam distributivam indigno obveniunt, et indignus illis ad peccandum abutitur: saepe tamen quis peccat, si tristetur, quod Deus permittat, illa bona indignis conferri; quia voluntati Divinae repugnare non licet. 4° Si quis tristetur, quod Caius persecutor suus sit promotus ad certum officium, unde merito timet, ne occasione arrepta graviter illi noceat, tristitia illa, si sit prudens, non est vitiosa; secus est, si ex temeraria suspicione solum oriatur. 5° Si mercator vehementer doleat, dum videt, quod emptores ad alios vicinos mercatores accedant, et suas merces negligant, si ideo tantum doleat, quod illo lucro carere debeat, non peccat: secus est, si ideo doleat, quod alii lucrum acquirant. 6° Si quis tristetur ob bona spiritualia Proximi, graviter peccat ob fraternae Charitatis invidentiam. 7° Remedia contra Invidiam sunt: 1. Humilitas. 2. Meditatio malorum ex Invidia provenientium. 3. Charitas.

## Art. 3. *De Scandalo.*

Scandalum quid? § 608. Quarto Charitati opponitur *Scandalum*, quod est dictum, vel factum minus rectum, praebens alteri occasionem ruinae spiritualis.

Quotuplex? *Schol.* Scandalum aliud est *activum*, quod modo definitum est: aliud est *passivum*, seu ipsa ruina spiritualis ab activo causata. Scandalum activum aliud est *per se*, quando quis vel expresse intendit alterum ad peccatum inducere; vel aliquid dicit, aut facit, quod per se est inductivum ad peccatum: aliud est *per accidens*, quando praeter intentionem peccantis, aut conditionem operis, alter ex mala sua dispositione ad peccatum inducitur. Scandalum passivum aliud est *datum*, quod vere oritur ex alterius dicto, vel facto re vera malo, vel speciem mali habente: aliud est *acceptum*, quo quis ex dicto, vel facto alterius, praeter eius intentionem et conditionem operis ex sola sua sinistra interpretatione sumit occasionem peccandi: quod fit vel ex infirmitate, et ignorantia, et dicitur *Scandalum pusillorum;* vel ex malitia, et est *Scandalum Pharisaicum.*

Scandalum ex ge- § 609. Scandalum activum ex genere suo est peccatum mortale;

veniale autem propter parvitatem materiae, aut inadvertentiam. Nam *Matth.* 18. Christus dicit: *Vae homini, per quem scandalum venit.* Et certe non licet proximum inducere ad peccatum; quod tamen fit per scandalum (§ 608.). nere suo est mortale.

*Coroll. Pract.* 1° Scandalum activum indirectum, cum quis exercet actionem, quam novit esse aptam ad causandam ruinam spiritualem, est speciale peccatum in Confessione exprimendum. Pro quo sint sequentes regulae. Prima: In Confessione necessario exprimenda est species peccati mortalis, ad quod quis exemplo suo alterum induxit; insuper exprimendus est numerus personarum, quas seduxit, vel probabiliter seducere potuit. Secunda: Non semper peccatum scandali committitur; si quis coram aliis peccet; sed tunc solum, quando probabile periculum est, alterum ad peccatum movendi. 2° Ad scandalum activum non requiritur, ut passivum actu sequatur, sed ut sequi possit. 3° Si quis exemplo suo alterum ad peccatum, vel damnum inferendum induxit, non tenetur ad eius compensationem, nisi iussio, vel suasio efficax praecesserit, quia non contra iustitiam, sed contra Charitatem peccavit. Scandalizans tamen bono exemplo errorem corrigere debet. 4° Qui induxit foeminam ad fornicandum, circumstantiam huius scandali in Confessione exprimere non tenetur, quia Confessarius ex communiter contingentibus praesumit, virum foeminam induxisse: si vero foemina virum seduxisset, hoc in Confessione exprimere deberet, quia hoc communiter non contingit. 5° Histriones verba turpia in comoediis proferentes: item turpia carmina componentes, turpes imagines pingentes, et sculpentes, turpia coram aliis canentes, vel loquentes, maxime coram iunioribus, et similia videntes, aut audientes, a peccato gravi excusari vix possunt. 6° Si minus malum contineatur in maiori, nec maius aliter impediri possit, licet suadere minus, quia sic non suadetur minus peccatum, nec intenditur, sed tantum, ut determinatus ad maius malum unam eius partem omittat. In praxi tenemur omni modo malum ab altero intentum impedire, et absolute dissuadendum est maius malum sine suasione minoris mali. 7° In nullo casu licet exercere actionem intrinsece malam ad impediendum peccatum Proximi, sicut nec licet aliquid omittere, si omissio intrinsece mala fuerit. 8° Opera bona ob scandalum pharisaicum nunquam omittenda sunt; ob scandalum vero pusillorum subinde sunt occultanda, vel differenda, donec explicata ratione scandalum cesset, quia hoc suadet Charitas. 9° Opus praeceptum semel et iterum ob praevisum scandalum, v. g. auditio Missae, ne inimicus maius odium concipiat, omitti, non tamen saepius, debet, quia praeceptum naturale impediendi peccatum gravius urget. 10° Opera indifferentia, et de se licita non tenemur omittere ad vitandum scandalum, si rationabilis causa propriae salutis adsit; quia utimur iure nostro, et peccatum alienum solum permittitur: secus, si rationabilis causa absit. 11° Nunquam licet cooperari alterius peccato per actionem directe in illud influentem; licet tamen per actionem remote

Resolvuntur casus

concurrentem materialiter cooperari, 1. si actio nostra sit de se bona, vel indifferens, 2. si fiat ex rationabili causa, et bona intentione, 3. si alterius peccatum impedire nec possis, nec tenearis. 12° Foemina negativo dubitans, an ab aliquo ametur, potest eum ad alloquium admittere, si sit honestum, et aliunde de mala eius voluntate non constet; secus, si ex moribus eius perversa voluntas prudenter timeretur. 13° Si vestitus foeminae sit statui conveniens, et honestus, et alloquium suaviter honestum, non peccat, illis utendo, ut honestos procos accipiat, quia nil mali intendit. Si vero ornatus eius sit scandalosus cum denudatione, peccat talis foemina graviter alliciens ad turpia, unde nec compressionem manuum ab adolescente ad turpia proclivi admittere potest. 14° Qui non aufert occasionem peccati, eo fine, ut deprehensus corrigatur, non peccat, quia peccatum solum permittit: non tamen licet, se v. g. abscondere, ex eo praecise fine, ut v. g. fur deprehensus puniatur; quia hoc esset intendere poenam, et consequenter peccatum Proximi; si occasio furandi simul praebeatur: hinc non convenit inter Theologos, an liceat ultro offerre occasionem peccati, v. g. in mensa ponere pecuniam, ut fure deprehenso maiora mala impediantur. P. Sanchez negat: P. Layman affirmat, quia hoc non est peccato formaliter cooperari, sed materiam ministrando illud tantum permittere; non quod permittens intendat, malum peccati fieri, sed potius grave aliquod malum impedire, si nullum aliud sufficiens correctionis remedium supersit.

### Art. 4. *De Discordia, Contentione, Rixa, et Schismate.*

Discordia quid? § 610. Quinto Charitati opponitur *Discordia*, quae est dissensio voluntatum circa bonum, quod velle debemus. Item *Contentio*, seu Contentio. pugna verborum, quae est impugnatio veritatis cum confidentia clamoris; quae pugna, si ex ira usque ad verbera procedat, vocatur Rixa. *Rixa*. Et denique *Schisma*, quando quis ab unitate Ecclesiae, prout Schisma. est corpus mysticum, voluntario se separat. Quae omnia utpote Charitati repugnantia, pro substrata materia sunt vel peccata mortalia, vel venialia.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Discordia circa malum non est vitiosa, sed laudabilis; unde nec parentibus obediendum, si ad malum nos invitent. 2° Non est peccatum discordiae, dissentire in bono, si in eo concordare obligati non simus: v. g. recusando sequi socium ad Religionem euntem: vel si nolis consentire, ut Proximus bonum ipsi non debitum consequatur, non quia bonum ipsi non cupis, sed quia proprium, aut alterius commodum praefers. Subinde etiam ex ignorantia dissentio voluntatum oritur, dum unus hoc, alter aliud medium ad honorem Dei, et salutem Proximi expedire indicat: talis dissentio erat inter SS. Paulum, et Barnabam, *Act.* 15. 3° Contentio et disputatio de rebus Fidei est illicita ex parte disputantis, si non sit satis doctus, licet non semper graviter peccetur in regionibus, ubi Catholici haereticis sunt permixti, si privatim de Fide disputent. Deinde ex parte

eorum, coram quibus de Fide disputatur, si sint indocti, et vim argumenti non penetrent, disputatio illicita esse potest, sicuti et ex parte haereticorum, qui suis sophismatibus infirmos decipiunt. 4° Rixa, si fiat animo iuste se defendendi, non est peccatum: si ex motu odii, et vindictae, pro substrata materia est mortale, vel veniale: si ad alterum graviter laedendum, est mortale.

## CAP. XIII.

### *De Bello.*

§ 611. Sexto Charitati opponitur Bellum iniustum. Est autem *Bellum* congressio vi et armis, inter duos exercitus contrarios: si sit ad propulsandam iniuriam inferendam, dicitur *Bellum defensivum*: si sit ad obtinendam satisfactionem pro iniuria illata, *offensivum*. Bellum quid?

§ 612. Bellare per se non est malum, sed supposita legitima auctoritate, et iusta causa licitum. Sic in lege naturae Abraham *Gen.* 14. Bellum est licitum cum vernaculis suis bellum gessit contra quatuor Reges. In lege scripta Deus iussit bellum et probavit, *Exod.* 17. *Num.* 21. *Deut.* 7. et 1. *Reg.* 15. In lege nova militibus, ut fugiant iram Dei, *Luc.* 3. S. Ioannes non suasit, ut militiam deserant, sed ea bene utantur, dicens: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis vestris.* Et Christus ipse laudavit Centurionis fidem, qui habebat sub se milites, nec tamen militiam deserere docuit. Et *ad Hebr.* 11. laudatur Gedeon, Barac et Sampson, qui *fortes facti sunt in bello, et castra verterunt exterorum.* Deinde ita docet S. Ambrosius *l.* 1. *de off. c.* 40. S. Augustinus *ep.* 50. *ad Bonif.* Et ipsa Ecclesia decrevit in variis Conciliis bellum pro recuperanda Terra sancta. Ratio est, quia iure naturae licet vim vi repellere: ergo bellum defensivum est licitum. Item privatus iniuriam passus potest petere satisfactionem, et restitutionem: ergo etiam Respublica. Sed haec aliquando non aliter, nisi armis obtineri potest, si iniuriantes, et damnificantes nolint satisfacere, nec habeant Superiorem, qui eos ad hoc compellat: ergo armis et bello hoc quaerere licet.

*Schol.* Manichaei, teste S. Augustino *l.* 22. *contr. Faustum c.* 74. Wicleffistae, et Erasmus contendunt, omne bellum esse illicitum. I. Quia *Is.* 2. *v.* 4. praedicitur in adventu Christi omnia bella cessatura: *Conflabunt gladios suos in vomeres.* Et *Matth.* 26. *Qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Et *Matth.* 5. iubemur, *non resistere malo. Ad Rom.* 12. *Non vos defendentes, charissimi, sed date locum irae.* Et 2. *ad Cor.* 10: *Arma nostrae militiae non carnalia sunt, sed potentia Deo. Resp.* Sensus Isaiae est, tempore Nativitatis Christi pacem futuram, sed non perpetuam. In 2° et 3° loco sermo est, de ultione iniuriarum privata auctoritate sumpta. In ultimo loco loquitur Apostolus de armis, quibus ad conversionem infidelium et peccatorum usus est. II. Concilium Nicaenum *can.* 11. poenitentiam 10. annorum ad militiam redeuntibus indicit. Et S. Solvuntur obiectiones.

Basilius *ep. ad Amphil. c.* 13. dicit eis, qui aliquem in bello occiderunt, abstinendum esse a Communione per triennium. Et S. Martinus Iuliano dixit: Christi ego miles sum: mihi pugnare non licet. *Resp.* Ex supposito, quod Canon Nicaenus genuinus sit, loquitur de redeuntibus ad militiam idololatriae coniunctam], vel poenitentiae curriculo deserto ad militiam fugientibus. S. Basilius consulit, non praecipit, nec eius Canon usu receptus est. S. Martinus tunc erat Monachus; unde non tenebatur militare, maxime quia illi post 24. stipendia iuxta ius Romanum dimissio debebatur. Item detrectavit militiam sub Iuliano Apostata, sub quo militare indignum erat. III. Bellum opponitur paci, quae est effectus Charitatis, et ex eo multa peccata, et mala etiam innocentes sequuntur. *Resp.* Bellum contrariatur paci, quamdiu geritur, adeoque secundum quid, non vero simpliciter, quia bellum iustum est via ad pacem. Peccata et mala ex bello non per se, sed per accidens ratione militantium sequuntur.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Bellum offensivum nonnisi auctoritate publica Principis nullum Superiorem agnoscentis geri potest. 2° Iustae causae indicendi bellum offensivum sunt: 1. Gravis iniuria illata non reparata, nec aliter reparanda. 2. Ut subditi rebelles ad obedientiam cogantur. 3. Ut recuperetur Civitas vel Provincia Principi iure debita. 4. Vindicatio gravis contumeliae Principi illatae. 5. Auxilium delatum hosti iniusto. 6. Si quis impediat, ne nocentes iuste puniantur. 7. Violatio pacti gravis momenti. 8. Denegatio iusti tributi. 9. Auxilium praestandum confoederatis iustum bellum gerentibus, vel iniuste vexatis. 10. Verae Religionis defensio. 11. Denegatio transitus innoxii. 3° Perspecta belli iustitia ante bellum motum parti adversae proponi debet, quae si competentem satisfactionem offerat, bellum intermitti, aut iam inceptum, licet aliqui ceciderint, si pro expensis satisfiat, revocari debet: ubi Charitas exigit, ut Princeps aliquid de summo iure remittat. 4° Subditi, qui de belli iustitia dubitant, deposito dubio Principi merito obediunt, et militant, quia illius est, iustitiam belli discutere. Qui vero non sunt subditi, in dubio de belli iustitia militare non possunt, nisi dubium eorum sit negativum, et illi de probitate Principis satis persuasi sint. Qui vero parati sunt bellare, sive bellum iustum, sive iniustum fuerit, sunt in certo damnationis periculo, propter voluntatem etiam iniuste bellandi. 5° Bellum ex natura sua non potest esse reipsa iustum ex utraque parte, quia in uno nequit esse ius petendi, nisi in altero sit obligatio reddendi: potest tamen per accidens esse iustum ex utraque parte ex ignorantia, quia unus ignorat ius alterius. 6° Pugnantes in bello iusto progredi possunt secundum iustum mandatum ducis sui expressum, vel tacitum ad agrorum vastationem, pagorum eversionem, hostium spoliationem, nocentium caedem; quia sunt ministri iustae sententiae in nocentes a Principe latae. Si tamen dux hoc expresse prohibeat, milites

contravenientes peccant, et tenentur ad restitutionem, si dux consulto parcere velit; secus si solum pro servanda disciplina militari, ubi milites saltem contra obedientiam graviter peccant, si se et exercitum in grave periculum coniiciant. 7° in bello defensivo ea solum licent, quae ad securitatem ab hostibus sunt necessaria. Si bellum geratur ad recuperandam Civitatem iure debitam, et ab altero cum invincibili iuris ignorantia possessam, ea tantum licent, quae cum minimo hostium, et incolarum damno ad eam recuperandam fieri possunt: nec belli expensae exigi, nec vindicta decerni debet. Si bellum geratur ad vindicandam iniuriam, modus servari debet. 8° Insidiae et stratagemata in bello licent; non tamen licet violare promissa. 9° In bello iusto non licet per se, et ex intentione occidere innocentes, quales sunt infantes, ad bellum incepti, rustici, peregrini, Clerici, Religiosi: licet vero per accidens, si alio modo victoria obtineri non possit, quia ratio boni communis hoc exigit; unde etiam, ut pars saltem reipublicae, spoliari in hoc casu possunt, exceptis Ecclesiis et Monasteriis, nisi hostes eis ut propugnaculis utantur. 10° Repressaliae, quando Princeps subditis iniuriam passis dat potestatem invadendi terram iniuriantium, et bona eorum pro compensatione occupandi, licitae quidem sunt, si satisfactio aliter haberi non possit; ob rapinas tamen non facile sunt concedendae, et contra Ecclesiasticos sunt prohibitae sub Excommunicatione, *c.* un. *de iniur. in* 6. 11° Mobilia in bello iusto capta iure gentium sunt occupantis, etsi iustam compensationem excedant: si vero ab hostibus iniuste ab illis ablata mobilia capiantur, sunt capientium, nec pristinis veris dominis restitui debent, quia respublica haec militibus concedit, tum ut ferventius ad pugnam accendantur, tum ut innumeris litibus ansa auferatur: excipiuntur tamen, quae iure postliminii gaudent, uti currus et naves onerariae, quae pristinis dominis restitui debent. Bona vero immobilia in bello iusto capta sunt Principis, et si ab hoste iniuste possessa fuerint, veris dominis sunt restituenda. 13° Pacta pacis inita metu belli iniuste illati sunt servanda, quae nec Papa relaxare potest; alias gravissima damna, nunquam vero pax oriretur, et bonum commune pateretur; iniuste tamen ablata restitutioni semper manent coram Deo obnoxia. 12° Capti in bello iusto, sine peccato ad suos fugere possunt, nisi manere promiserint: capti vero in bello iniusto, v. g. Christiani a Turcis, si promissio manendi non intervenerit, non tantum fugere, sed et in compensationem damni illati, et servitii praestiti res eorum auferre possunt. 14° Supremi belli duces tenentur invigilare disciplinae militari, milites a rapinis coercere, iusta stipendia illis erogare; alias peccant mortaliter, et tenentur ad restitutionem damnorum inde secutorum. Subordinati vero duces sub mortali, et onere restitutionis tenentur milites certae internecioni non exponere, stipendia rite distribuere completo numero militum, si deficiant, et a rapinis milites cohibere. 15° Milites sub peccato gravi

tenentur duci suo obedire, in acie persistere, et non facile fugere; stationem servare, et arcem pro possibili defendere, ab exercitu non fugere, eos, apud quos hospitantur, indebitis exactionibus non gravare, nisi in poenam nocentium hoc illis concedatur, vel gravissima necessitas urgeat, quae si ex dilatione stipendii oriatur, dux illius causa ad restitutionem tenetur. 16° Clericis iure Ecclesiastico bellare prohibitum est, c. *Quicumque caus.* 23. *q.* 8. In maioribus constituti peccant mortaliter: in minoribus non gaudentes privilegio fori, nullo modo; secus, venialiter peccant. Si Beneficium habeant, quod residentiam non requirit, iuxta stylum Germaniae bellare possunt. In casu vero necessitatis ius naturae Clericis pugnare permittit. 17° Princeps Catholicus potest vocare in auxilium Infideles, et Haereticos, absolute loquendo; propter gravia tamen incommoda hoc non licet, nisi necessitas excuset. 18° Die festo bellare licitum est, si necessitas pro publica salute urgeat; extra necessitatem, saltem veniale erit. Haec de Fide, Spe, et Charitate. Da nobis igitur, quaesumus, Domine, Fidei, Spei et Charitatis augmentum, et, ut mereamur, assequi, quod promittis, fac nos amare, quod praecipis. Amen.

# TRACTATUS XII.

## DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS.

## SECTIO I.

*De Prudentia, Fortitudine, et Temperantia.*

### CAP. I.

*De natura, et divisione Virtutum Moralium.*

Virtus moralis quid? § 613. Explicatis Virtutibus Theologicis, ad Virtutes Morales reliquas progredimur.. Porro *Virtutes Morales* illae dicuntur, quae pro obiecto immediato non habent ipsum Deum, aut perfectionem Divinam, sed bonitatem quamdam moralem, quae in formandis hominum moribus occupatur. *Virtus Moralis* communiter definitur: Est habitus electivus in mediocritate consistens.

Quotuplex? *Schol.* Virtutes Morales aliae sunt *infusae*, quae a Deo nobis infunduntur; aliae *acquisitae*, quae frequentatis actibus acquiruntur. Rursus Virtutes *subiectivae* dicuntur, quae principaliori virtuti velut species generi subiiciuntur. Virtutes *integrantes* sunt, quae nobiliori velut partes coniunguntur. Virtutes *potentiales* sunt, quae velut modi et instrumenta in exercendis virtutum principaliorum actibus adhibentur.

Virtus moralis in medio consistit. § 614. Omnes Virtutes Morales in medio seu mediocritate consistunt. Nam Virtutes Morales per rationem regulari debent: sed ratio mensuram et medium in obiecto constituit, ne vel per ex-

cessum, vel per defectum a recto aberretur: ergo Virtutes Morales in medio consistunt.

*Schol.* Extrema illa, inter quae Virtus Moralis mediat, non Quómodo? solum inter se pugnant; sed etiam ipsi virtuti opponuntur, quia et ipsae Virtutes Morales magis semper ad unum extremum vergere videntur: sic fortitudo magis ad audaciam quam ignaviam deflectit. Porro mediocritas virtutum a ratione definiri debet. Virtutes vero Theologicae in medio per se non consistunt, quia in iis per excessum nemo peccat, nemo enim Deum nimium diligit, sed tantum per defectum. Per accidens vero medium requirunt, si quis v. g. ita se impenderet, ut sanitatem ad officium suum rite obeundum necessariam temere destrueret.

§ 615. Sine Charitate verae Virtutes Morales acquiri possunt, uti patet *ex cap. de Gratia*, ubi contra Baium (t. 1. § 547.) probatum fuit, posse hominem sine gratia sanctificante et Charitate opera moraliter et naturaliter bona efficere, nec omnia peccatorum opera esse peccata et vitia. Interim tamen sine Charitate Virtutes Morales perfectae acquiri non possunt: tum quia ad perfectam Virtutem Moralem requiritur perfecta prudentia, quae non habetur sine Charitate, quia peccatum prudentiam corrumpit, cum appetitum circa fines Virtutum Moralium, quae ad ultimum finem tendere debent, corrumpat. Sane Virtus Moralis perfecta hominem simpliciter bonum facit, quia Virtutes Morales in esse perfecto ita sunt connexae, ut qui una caret, nullam perfecte habeat, uti ostendunt Philosophi: sed hoc de peccatoribus dici nequit: ergo non habent Virtutes Morales perfectas.

Sine Charitate verae, sed non perfectae virtutes acquiruntur.

§ 616. Inter Virtutes Morales praecipuae sunt *Virtutes Cardinales.* Ex quibus velut fonte aliae secundariae promanant. Et sunt quatuor: scilicet, *Prudentia*, *Iustitia*, *Fortitudo*, *Temperantia*. Prudentia intellectum: Iustitia voluntatem: Fortitudo appetitum irascibilem: Temperantia appetitum concupiscibilem intra terminos honestatis continet.

Virtutes Cardinales quid et quot?

## CAP. II.

### *De Prudentia, eiusque partibus.*

§ 617. *Prudentia* est vera eorum, quae agenda, vel non agenda sunt, cognitio. Ita S. Basilius *hom. 12. ad popul.* Prudentia quid?

*Schol.* Prudentia est quidem virtus intellectualis, sed simul est regina, et dux omnium Virtutum Moralium, sine qua nulla earum consistere potest: nam voluntas per seipsam, quod honestum est, prosequi non potest, nisi ratio ostendat. Est etiam virtus ab aliis distincta, quia habet speciale obiectum formale, scilicet agibile in omni materia virtutum, ut conforme recto appetitui. Tres actus veluti integrantes Prudentiae a S. Thoma numerantur, 2. 2. q. 47. a. 8. scilicet: I. *Bene consultare;* quod fit, quando mens proposito ho-

Eius actus?

nestatis fine accurate secundum omnes circumstantias examinat actiones, quae velut media ad finem magis, vel minus conducunt. 2. *Recte iudicare* de particulari opere honesto agendo, et turpi fugiendo. 3. *Executionem praecipere*, qui est praecipuus actus Prudentiae, exercitium voluntatis dirigens, per quem intellectus practice iudicat, hic et nunc executioni mandandum esse, quod in consilio mentis decretum, et a voluntate acceptum fuit. Prudentia dividitur in *perfectam et simpliciter dictam*, quae proposito vero fine totius vitae humanae deliberat, iudicat, et imperat, quid ad eum finem accomodate agendum sit: et in prudentiam *imperfectam* et *secundum quid*, quae proposito fine speciali, consentanee ad illum deliberat, iudicat et praecipit: quomodo potest aliquis esse v. g. prudens medicus, et tamen perversus homo.

Partes integrales Prudentiae. Memoria. § 618. Partes Prudentiae integrales, sine quibus non est perfectus actus Prudentiae, sunt: 1. *Memoria*, seu recordatio praeteritorum: cum enim Prudentia versetur circa operabilia contingentia, homo debet in illis dirigi ex his, quae in pluribus accidunt, ad quod requiritur experientia plurium; consequenter eorum memoria. 2. *Intellectus*, seu intelligentia, seu cognitio praesentium, et recta aestimatio alicuius finis, aut principii moralis particularis. 3. *Docilitas*, ut quis velit ab aliis erudiri, et praecipue a senibus, ac illis, qui longa experientia sanum intellectum circa fines operabilium sunt adepti. 4. *Solertia*, seu prompta coniecturatio circa inventionem medii congrui, maxime, ubi quid repentine agendum est. 5. *Ratio*, ut quis bene ratiocinari possit. 6. *Providentia*, ut consideret futuros eventus ex opere secuturos. 7. *Circumspectio*, seu attenta consideratio circumstantiarum. 8. *Cautio*, seu cura vitandi mala, et impedimenta, quibus ab extrinseco opus virtutis vitiari, aut impediri posset.

Intellectus. Docilitas. Solertia. Ratio. Providentia. Circumspectio. Cautio.

Partes Prudentiae subiectivae. § 619. Partes Prudentiae subiectivae, seu species eius, sunt: 1. *Prudentia monastica*, qua quisque sibi prospicit, quid in singulis actionibus decens et honestum sit, 2. *Prudentia gubernativa*, quae vel est *oeconomia*, quae totius familiae honestam institutionem tuetur: et *civilis*, seu *Iurisprudentia*, quae bonum commune civitatis seu reipublicae spectat. Haec iterum duplex est: una velut *architectonica*, seu principatum gerens, per quam leges cum auctoritate decernuntur ab iis, qui reipublicae praesunt: altera *ministerialis*, quae in particularibus negotiis, ac litibus, quod rectum et iustum est, ob reipublicae commodum definit; quae propria est eorum, qui rempublicam administrant.

Partes potentiales. Eubulia. Synesis. Gnome. § 620. Partes Prudentiae potentiales, seu virtutes Prudentiae annexae, sunt: 1. *Eubulia*, seu virtus bene consiliativa. 2. *Synesis*, seu virtus bene iudicativa de operabilibus secundum regulas communes. 3. *Gnome*, seu virtus bene iudicativa secundum altiora principia in iis, in quibus aliquando recedendum est a lege communi: licet non a mente legislatoris, cui in voluntate respondet virtus *Epikiae*.

## Art. un. *De vitiis prudentiae oppositis.*

§ 621. Prudentiae per defectum opponitur 1° *Imprudentia*, haec, si sumatur negative, est sola carentia Prudentiae, quo modo potest esse sine peccato, uti in pueris: si vero sumatur privative, est carentia Prudentiae, quam quis potest, et debet habere, qualiter est generale peccatum, quia nullum peccatum fit, nisi sit defectus in aliquo actu rationis dirigentis; vel sumitur contrarie, quando quis directe agit contra Prudentiam, spernendo et repudiando sanum consilium, aut Divina documenta; et sic est speciale peccatum in Confessione exprimendum, et quidem mortale, si sit gravis contemptus Divinarum Regularum. Imprudentia quid, et quale peccatum?

2° Prudentiae opponitur *Praecipitatio*, si quis per impetum voluntatis, aut passionis sine memoria praeteritorum, intelligentia praesentium, solertia in considerandis futuris eventibus, ratiocinio, et docilitate ad agendum fertur. Praecipitatio.

3° *Inconsideratio*, cum quis contemnit, vel negligit attendere ea, ex quibus rectum iudicium procedit. Inconsideratio.

4° *Inconstantia*, quando quis recedit a recto proposito definito. Inconstantia.

5° *Negligentia*, quae est defectus sollicitudinis requisitae in actu interiori intellectus, ad excitandam et dirigendam voluntatem in executionem boni operis consulti, et iudicati. Negligentia.

*Coroll. Pract.* Praecipitatio, Inconsideratio, Inconstantia, et Negligentia licet ex parte intellectus sint diversae, tamen in genere moris prout in Confessione explicari debent, eam solum rationem habent, quod efficacem causam, vel saltem periculum malae electionis, aut actionis praebeant. Unde qui hominem pro fera incaute occidit, non duo peccata, unum negligentiae, et alterum homicidii committit, sed unum tantum homicidii, quia cautio ideo adhibenda est, ut homicidium vitetur. Resolvuntur casus.

§ 622. Vitia Prudentiae per excessum opposita sunt 1° *Prudentia carnis*, qua quis praevidet media, ad perficienda opera carnis idonea: estque peccatum mortale, si opera carnis sint mala. Prudentia carnis.

2° *Astutia*, cum quis ad aliquem finem sive bonum, sive malum consequendum excogitat vias non veras, sed simulatas. Astutia

3° *Dolus* et *Fraus*, quae sunt executio astutiae; dolus per verba principaliter, fraus per facta. Dolus.

4° *Sollicitudo* nimia circa temporalia, quae avocat mentem a bonis coelestibus, et diffidentiam in Dei bonitate producit. Sollicitudo temporalium.

*Coroll. Pract.* 1° Astutia, fraus, et dolus nulla iusta necessitate nixa, ex genere suo sunt peccatum veniale; sed ratione nocumenti directe, vel indirecte voliti, si sit grave, fiunt mortale. 2° Sollicitudo temporalium, si haec tamquam finis praeponantur spiritualibus; vel si superfluum studium ad ea quaerenda, et conservanda adhibeatur; vel si sit timor et anxietas, ne faciendo, quod fieri debet, necessaria nobis deficiant, pro substrata materia, et circumstantiis graviter vel leviter peccaminosa est. Resolvuntur casus.

## CAP. III.

### *De fortitudine, eiusque partibus.*

Fortitudo quid?

§ 623. Altera virtus Cardinalis est *Fortitudo*, quae appetitum irascibilem iuxta leges prudentiae intra terminos honestatis continet; estque virtus moralis, per quam animus erga ea, quae acerba, et terribilia sunt, recte se habet, ut nec prave timendo, nec temere audendo ab officio desciscat.

Finis obiectum.

*Schol.* Fortitudo immediate versatur circa timores, et audacias, illos, et has moderando secundum rectam rationem: mediate vero circa pericula, praesertim mortis, quae tamen talia sunt, ut honeste suscipi possint.

Magnanimitas.

§ 624. Partes fortitudinis, seu virtutes Fortitudini annexae, sunt: 1° *Magnanimitas*, quae magna et excelsa bona spectat: quare cum in hac vita nihil praeclarum sit, praeter virtutem, illius proprium munus est ad eximia virtutum opera magno honore digna contendere.

Magnificentia.

2° *Magnificentia*, quae est promptitudo animi ad faciendos magnos sumptus, ubi recta ratio expedire iudicat. Haec continet contemptum pecuniae. Differt vero a Liberalitate, quod haec circa sumtus mediocres et ordinarios, illa circa maiores occupetur.

Patientia.

3° *Patientia*, quae in rebus adversis animi moerorem temperat, ac mala praesentia aequanimiter tolerat, ne quid contra honestatis decorem agatur.

Perseverantia.

4° *Perseverantia*, et *Constantia*, per quam non obstante temporis diuturnitate, difficultate et molestiis homo in bono opere persistit, quamdiu recta ratio dictat: ita ut Perseverantia difficultatem diuturnitatis temporis; Constantia vero difficultatem impedimentorum externorum vincat.

### Art. 1 *De Martyrio.*

Martyrium quid?

§ 625. Actus fortitudinis est, sustinere et immobiliter stare in periculis; et quidem est hic actus Fortitudinis magis principalis, quam illa aggredi; quia Fortitudo est magis circa timores reprimendos, quam circa audacias. Excellentissimus autem actus Fortitudinis est *Martyrium*, quod est voluntaria mortis tolerantia ex odio verae Fidei, vel alterius virtutis Christianae.

Quotuplex?

*Schol.* Martyrium a graeco *μαρτυρέω testimonium* significat et Martyr *testem*, qui in testimonium Christi mortem subit. Martyres alii sunt *designati*, quibus sententia mortis indicta fuit: alii *consummati*, qui vitam in tormentis profundunt: alii *vindicati*, quorum felix exitus ab Ecclesia discussus, et approbatus est. Olim etiam Martyres appellabantur, qui quacumque ex causa innoxii necabantur, uti Carolus Simplex, teste Mabillonio *praef.* 2. *in saeculum* 3. *Benedictin.* Item olim Templa et Altaria in Martyrum memoriam constructa super Martyrum tumulos, Martyria vocabantur.

§ 626. Ad Martyrium 1° requiritur vel mors ipsa, vel saltem cruciatus illativus mortis. Ita S. Thomas 2. 2. *q.* 124. *a.* 4. et *in* 4. *d.* 49. *q.* 5. *a.* 3. et patet ex praxi Ecclesiae, quae S. Ioannem Evangelistam, S. Theclam etc. velut Martyres veneratur, etsi tormentis miraculose superstites in pace demum quieverint. **Requisita ad Martyrium.**

2° Perpessio ob fidem Christi sive credendorum, sive agendorum: Martyres enim sunt testes Christi (§ 625. Schol.), de quibus Christus ait: *Quicumque confessus me fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo.* Quod idem tenet de fide agendorum; qui enim moritur pro exercitio alicuius virtutis praeceptae, aut consultae, profitetur Fidem in facto, adeoque Martyr est. Ubi docet S. Thomas 2. 2. *q.* 124. *a.* 5. et alii a Benedicto XIV. in opere *de Canoniz.* relati. Sic Ecclesia ut Martyrem colit S. Ioannem Baptistam, qui pro veritate, et S. Thomam Cantuariensem, qui pro iustitia occisus fuit.

3° Requiritur, ut a persecutore in odium Fidei mors inferatur, quia *Matth.* 10. *v.* 18. dicitur: *Ad praesides, et ad reges ducemini propter me.* Et patet ex eo, quia non licet occidere seipsum.

*Schol.* 1. Dices I. Beatissima Virgo Maria plus quam Martyr a S. Bernardo dicitur; et tamen persecutorem non habuit. *Resp.* Dicitur solum Martyr improprie, uti notat Benedictus XIV. *de Can. l.* 3. *c.* 11. II. In Martyrologio Romano ad diem 28. Februar. inter Martyres recensentur, qui Alexandriae peste laborantibus inservientes, attracta lue mortui fuerunt. Ergo non requiritur persecutor. *Resp.* In Martyrologio dicitur eos, *veluti Martyres* honorari, quae particula, *veluti*, similitudinem potius, quam veritatem significat: hinc etiam in libro *de Martyrio per pestem*, a Theophilo Raynaudo conscripto, ex correctione S. Congregationis adduntur haec verba: *Cui charitati..... Martyrii nomen convenit, non tamen in ea acceptione, qua PP. Doctores et Ecclesia vocant illos, qui in pugna et certamine cum Tyranno propter Deum vitam non resistentes ponunt, suntque magis formaliter et explicite testes, et ideo per excellentiam et antonomastice Martyres.* III. Nonnulli ut Martyres coluntur, qui seipsos pro Fide aut pudicitia servanda occiderunt, uti S. Apollonia flammis se iniecit. *Resp.* Illi speciali Dei instinctu ad hoc moti fuerunt. **Solvuntur obiectiones.**

*Schol.* 2. Milites qui in bello pro defensione verae Fidei contra infideles suscepto pugnantes occiduntur, non sunt Martyres, si enim hi milites intentionem suam referunt ad honorem, pecuniam, vel bonum dumtaxat humanum reipublicae, certum est, eos palmam Martyrii non mereri, cum nec propter Fidem Christi, nec ob testimonium alicuius virtutis supernaturalis moriantur. Si autem ex pia intentione defendendi Fidem contra hostes illius in statu gratiae pugnantes occidantur, actum quidem valde meritorium exercent, quia publicum Deo, veraeque Religioni testimonium perhibent, cuius augmentum et propagationem totis viribus cum vitae suae periculo **Milites contra infideles pugnantes an Martyres sint?**

promovere satagunt; non tamen ideo proprie sunt Martyres, quia hi milites actu pugnantes non voluptate, sed potius necessitate mortem sustinent; imo hanc ipsis hostibus inferrent, nisi ab illis vincerentur. Deinde non prae se ferunt mansuetudinem Christi, cuius passio est exemplar veri Martyrii, quique *cum pateretur non comminabatur:* 1. *Petr.* 2. His denique accedit praxis et sensus Ecclesiae, qui huiusmodi milites in actuali pugna decedentes nunquam ut Martyres colere consuevit.

Cura Ecclesiae in discernendis veris Martyribus.

*Schol.* 3. In veris a falsis Martyribus discernendis maximam semper diligentiam adhibuit Ecclesia, uti ostendit Mabillon. *Praef.* 2. *in saec.* 5. *Benedict.* et Ruinart *praef. in acta Martyr.* Huius diligentiae primum argumentum sunt Characteres, ab antiquis Christianis Martyrum tumulis inscripti; v. g. signum Crucis; Nomen Christi monogrammate expressum; palmae; columba cum oliva; vitrea aut figulina vasa cum sanguine; instrumenta Martyrii etc. de quibus vide Aringhum. Accedit cura Notariorum in consignandis Actis Martyrum iam a tempore Clementis I. uti ostendit Schelstrate *t.* 1. *Antiq. Eccl. diss.* 3. Insuper ad servandam Martyrum memoriam eorum Acta olim Romam mittebantur, uti probat Benedictus XIV. *de Can. l.* 1. *c.* 4. *n.* 15. Unde Ecclesia merito de veracitate et multitudine Martyrum suorum gloriatur, quam contra Dodwellum vindicat Ruinart *praef. in Acta Mart.*

Resolvuntur casus.

*Coroll. Pract.* 1° Qui lethale vulnus perpessus, a Deo miraculose sanatus est; vel qui ex odio Fidei, aut alicuius virtutis in exilium, vel carcerem eiectus aerumnis confectus moritur, verus Martyr est. 2° Illi etiam sunt veri martyres, qui tormentis expositi Divina virtute se protegente nullum dolorem sunt experti. 3° Qui lethale vulnus passus, medicorum cura liber evasit, Martyr non est: imo si vulnus non lethale passus potuit facile vocare medicum, et non vocavit Martyr non est, cum videatur mortem plus aequo appetivisse: si vero medicum facile vocare non potuit, et ita mortuus est, Martyr erit. 4° Qui moritur pro veritate Fidei, ut cultum Martyris in Ecclesia obtineat, Martyr non est, quia a praecepto Divino recedit. 5. Qui moritur pro veritate per solum lumen naturae, non vero ex revelatione nota, vel pro veritate particulariter sibi revelata, sine approbatione Ecclesiae; vel pro veritate necdum ab Ecclesia definita, uti pro Immaculata Conceptione Beatissimae Virginis Mariae, saltem coram Ecclesia Martyr non est. Sicuti nec ille, qui moritur pro articulo falso, quem invincibiliter putat esse verum, et ad Fidem pertinere 6° Martyr est Sacerdos, qui contra prohibitionem legis civilis in regno Acatholico legitime vocatus, praedicans occiditur. 7° Persecutor potest esse vel Infidelis, vel Haereticus, vel Catholicus, si in odium alicuius virtutis ad Fidem relatae mortem inferat. Martyres quippe facit non poena, sed causa: S. August. *in Ps.* 34. Vid. Benedictum XIV. *cit. op. l.* 3. *c.* 12. 8° Ad Martyrium etiam requiritur voluntas, et acceptatio saltem virtualis, vel talis, ut quis ali-

quando Martyrium optaverit et postea etiam dormiens a Tyranno in odium Fidei aut virtutis occidatur; non sufficit vero mors, si nunquam acceptatio, vel voluntas eam pro Fide patiendi praecesserit. 9° Ultro se Martyrio offerre sine speciali Spiritus S. impulsu, zelo Fidei, et fraternae Charitatis motivo, non licet. Hinc potest quis fugere in persecutione, nisi fuga, v. g. in Pastore cederet in damnum spirituale gregis: quin et privati, si pro gloria Dei, et Proximi salute expediat, nec periculum foret abnegandae Fidei, in persecutione meritorie non fugiunt. 10° Sine speciali instinctu non licet martyri tyrannum ad mortem sibi inferendam provocare, quia occasio peccandi illi tribueretur. 11° Haereticus, qui etiam pro vero articulo Fidei Catholicae moritur, Martyr non est, quia negans unicum articulum Fide caret (§ 564. Schol 2.). De effectibus Martyrii, et de praeparatione ad illud fructuose suscipiendum, agetur in *c. de Sacr. de Baptismo.*

### Art. 2. *De vitiis fortitudini oppositis.*

§ 627. 1° Vitium Fortitudini per excessum timoris oppositum est *Timiditas*, quando quis inordinate timet, ubi timendum non foret. Vitia Fortitudini opposita Timiditas.

2° Per defectum timoris Fortitudini opponitur *Stupiditas*, quando nulla mala, et pericula timentur, ubi ea formidare oportet. Stupiditas.

3° Per excessum fiduciae Fortitudini opponitur *Audacia*, seu temeritas in aggrediendis periculis, quando, ubi, et quomodo non oportet. Audacia.

4° Per defectum fiduciae Fortitudini opponitur *Ignavia animi*, nihil audentis, quando vel ubi aggredi, vel sustinere oportet. Ignavia.

*Corollar. Pract.* 1° Malitia horum vitiorum non est distincta a malitia mali, vel periculi, quod incurritur; proinde non necessario explicanda in Confessione; v. g. si metu mortis periures, sufficit dicere: peieravi. 2° Si quis vero metuat malum aliunde sub peccato mortali prohibitum, v. g. si metu non adulterandi peieres; hic timor de se malus in Confessione exprimi debet: item si sis paratus quodcumque peccatum potius committere, quam aliquam rem amittere; quia malitia huius dispositionis est specie distincta a malitia peccati, v. g. periurii, quod eius occasione committitur. Resolvuntur casus

§ 628. Magnanimitati per excessum opponitur 1. *Praesumptio*, qua homo aggreditur opus arduum, facultatem suam excedens: v. g. si imperitus artis medicae corpori mederi velit. Magnanimitati opponitur Praesumptio.

2° *Ambitio*, seu inordinatus appetitus honorum, vel appetendo honorem sibi non competentem, vel maiorem, quam conveniat; v. g. officium incompetens: vel appetendo honorem ex re illicita; v. g. rebellione: vel ad consequendum honorem medium illicitum adhibendo. Ambitio.

3° *Inanis gloria*, seu inordinatus appetitus humanae existimationis, sive laudis; quod fit, si quis simulata virtutis, et doctrinae excellentia laudem quaerat; et est *Hypocrisis*: vel si quis maiorem de Inanis gloria. Hypocrisis.

se existimationem quaerat, quam meretur; aut ex rebus malis, aut indifferentibus, uti divitiis, quae claram famam non merentur; et vocatur *Iactantia:* vel si quis famam quaerat apud eos, qui de re iudicare nesciunt, v. g. disserendo apud rudem de rebus altissimis.

Iactantia

4° Per defectum Magnanimitati opponitur *Pusillanimitas*, qua quis sibi ipsi diffidens, bonum aliquod, veluti officium, tamquam superans propriam facultatem, detrectat.

Pusillanimitas

Resolvuntur casus.

*Coroll. Pract.* 1° Praesumptio de se est peccatum veniale; sed ratione damni dati, saepe fit mortale. 2° Ambitio de se est peccatum veniale; sed saepe fit mortale, si quis in honore quaesito ultimum finem ponat; vel ad eum consequendum paratus sit peccare mortaliter; vel si eum quaerat cum gravi alterius damno et iniuria. 3° Inanis gloria de se est peccatum veniale; potest tamen sicuti Ambitio fieri mortale. Caeterum honorem, gloriam et favorem hominum quaerere, et acceptare promeritum ex opere virtutis, non est peccatum, dummodo non propter se, sed honestatis causa tamquam incitamentum virtutis, et utilis ad melius pro gloria Dei, et bono publico sustinendum suum officium acceptetur. 4° Pusillanimitas est de se veniale peccatum, nisi mortale fiat vel ratione damni emergentis, vel materiae specialis, circa cuius neglectum versatur.

Magnificentiae opponitur Banausia. Parvificentia

§ 629. 1° Magnificentiae per excessum opponitur *Pecuniarum profusio*, seu *Banausia*, si maiores expensae fiant, quam ratio dictat.

2° Per defectum illi opponitur *Parvificentia*, cum quis prae animi angustia coepto magno operi, v. g. Ecclesiae aedificandae, decentes sumptus non praebet.

Resolvuntur casus.

*Coroll. Pract.* Banausia, et Parvificentia sunt peccata venialia; per accidens vero fiunt mortalia, vel ratione iniusti damni, vel ratione malae intentionis: v. g. si quis ita pecunias desideret, ut earum causa paratus sit, legem Dei transgredi.

Patientiae opponitur Durities

§ 630. 1° Patientiae per defectum opponitur *Durities*, seu *Insensibilitas*, si quis ob animi stuporem nec propriis, nec alienis miseriis movetur.

Impatientia.

2° Per excessum *Impatientia*, cum quis nimium ob malum tristatur, aut ex tristitia a bono recedit.

Resolvuntur casus.

*Coroll. Pract.* Insensibilitas ex genere suo est peccatum veniale, sicut et Impatientia, quae tamen per accidens fit peccatum mortale, ratione eventus, scandali, aut mali, quod Impatientia victus committit, aut committere proponit.

Perseverantiae opponitur Pertinacia.

§ 631. 1° Perseverantiae et Constantiae per excessum opponitur *Pertinacia*, quae est firmitas animi retinendi proprium sensum, vel agendi propositum, quando, et ubi non oportet, vel plus quam oportet.

Inconstantia.

2° Per defectum illi opponitur *Inconstantia*, qua quis leviter a bono proposito recedit.

Resolvuntur casus

*Coroll. Pract.* 1° Pertinacia plerumque est peccatum veniale; subinde tamen est mortale, si versetur circa fidem, vel aliquid pro-

ximo graviter nocivum. 2° Inconstantia est peccatum mortale, si quis gravi obligatione, v. g. sub voto ad propositum servandum teneatur: veniale vero, si obligatio levis fuerit. Si quis nullo modo obligetur, nullum est peccatum, nisi fiat ex inordinata passione, vel cum periculo proximo peccandi. Interim Layman censet, communiter esse veniale sine causa a proposito bene coepto desistere, cum sit quaedam mentis inordinatio.

## CAP. IV.

### *De Temperantia, eiusque partibus.*

§ 632. Tertia virtus Cardinalis est *Temperantia*, quae concupiscentiam ad leges rationis conformat; est virtus, quae versatur in moderandis voluptatibus corporis, et animi. Temperantia quid?

§ 633. Partes integrales Temperantiae, seu conditiones ad eius actum perfecte exercendum, sunt 1° *Verecundia*, seu timor opprobrii, et consequenter actus turpis, ex quo opprobrium generatur: quae non est virtus proprie dicta, quia deficit a perfectione, cum apprehendat aliquid exprobrabilo, et turpe, quod sibi faciendum sit: quia tamen verecundari secundum rectam rationem est bonum, et laudabile, ideo verecundia est laudabilis passio, et subinde dicitur virtus iste talis. Partes eius integrales, Verecundia.

2° *Honestas*, seu amor honestatis, scilicet illius, quod virtuosum, pulchrum, decorum, et non turpe est. Honestas.

§ 634. Partes subiectivae, seu species Temperantiae sunt; Abstinentia, Sobrietas et Castitas. *Abstinentia* est virtus moderans secundum dictamen rationis concupiscentias et delectationes ciborum, ut non impediant bonum rationis. Partes subiectivae. Abstinentia quid?

*Schol.* Gradus Abstinentiae sunt: 1. Abstinere ab omni cibo ad tempus. 2. Abstinere a certo genere cibi ad tempus, v. g. carne. 3. Semper ab eo abstinere. Gradus Abstinentiae.

## CAP. V.

### *De Ieiunio.*

§ 635. Actus abstinentiae est *Ieiunium*, quo a cibo et potu secundum leges rectae rationis abstinemus. Ieiunium quid?

*Schol.* Ieiunium aliud est *naturale*, quod est abstinentia ab omni cibo, et potu in stomachum transmisso: aliud est *morale*, quod est parsimonia in cibo et potu, secundum regulas parsimoniae, et prudentiae mediocritatem sectantis. Aliud est *liberum*, quod ex motivo virtutis aliquis libere suscipit: aliud est *Ecclesiasticum*, ab Ecclesia praescriptum, et est abstinentia a carnibus, et prandii, ac post coenam cuiuslibet cibi subtractio usque ad diem sequentem. Quotuplex?

§ 636. Ieiunium sive libere susceptum, sive ab Ecclesia praeceptum, est actus virtutis Abstinentiae, illoque aliquid a Deo mere- Ieiunium est actus virtutis.

mur, illi satisfacimus, et aliquid impetramus. Probat hoc Bellarminus *de bon. oper.* ex variis utriusque Testamenti et SS. PP. testimoniis. Quippe Ieiunium carnis concupiscentias reprimit; 2. *ad Cor.* 6. *In ieiuniis et castitate.* Mentem ad Divina contemplanda elevat; hinc Daniel post ieiunium trium hebdomadarum revelationem a Deo accepit. Valet ad satisfaciendum pro peccatis; *Ioël.* 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, et in fletu, et in planctu.* Et Christus ipse, exemplum nobis dans, ieiunavit quadraginta diebus, et noctibus.

Solvuntur obiectiones. *Schol.* Contra Ieiunium clamant Protestantes. I. Quia 1ª *ad Tim.* 4. dicitur: *Corporalis exercitatio ad modicum utilis est;* quod de Ieiunio multi antiqui explicant, inter quos S. Ambrosius dixisse fertur: *Ieiunare, et abstinere a cibis non multum prodest. Resp.* Apostolus per corporalem exercitationem intelligit studium corroborandi corporis more Athletarum. Quando veteres hoc de Ieiunio explicant, loquuntur de Ieiunio sine pietate peracto. Testimonium citatum non est S. Ambrosii, sed cuiusdam haeretici Luciferiani. II. S. Scriptura damnat abstinentiam a carnibus; *Matth.* 15. *Non quod intrat in os, coinquinat hominem.* Et *Luc.* 10. iubet Christus: *Manducate, quae apponuntur vobis.* Et 1. *ad Cor.* 10. *Omne, quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.* Et 1. *ad Tim.* 4. damnantur illi, qui praecipiunt *abstinere a cibis, quos Deus creavit.* Et *ad Col.* 2. *Nemo vos iudicet in cibo aut in potu.* Et 1. *ad Cor.* 8. *Esca vos non commendat Deo. Resp.* Quod intrat in os, non coinquinat hominem, si non prohibeatur; secus si prohibeatur. Christus iubet ea, quae non prohibentur, et apponuntur, manducare. 1. *Ad Cor.* 10. loquitur Apostolus de esu Idolothytorum, de quibus non vult fideles anxie inquirere, cum nullus cibus de se sit immundus. 1. *Ad Tim.* damnat haereticos Ebionitas et Manichaeos futuros, docentes, cibos quosdam ex natura sua malos esse. *Ad Col.* loquitur de cibis legaliter immundis, quibus vult, fideles uti posse: quod idem docet in loco ultimo citato. III. S. Augustinus *l.* 30. *contr. Faust.* nullum Ieiunium nisi libere susceptum agnoscit: et S. Spiridion hospiti suo carnes suillas in Quadragesima apposuit. *Resp.* S. Augustinus loquitur de ieiunio Manichaeorum, carnis naturam malam esse docentium. S. Spiridion nil aliud ad manus habuit, quo hospitis sui vires reficeret. IV. Pisces nonnullis melius sapiunt, quam carnes: ergo etiam hi prohiberi debuissent. *Resp.* Pisces non ita nutriunt, et per accidens nonnullis melius sapiunt.

## Art. 1. *De praecepto Ieiunii.*

Ieiunium iure naturae praeceptum est. § 637. Ieiunium in communi, iure naturae praeceptum est. Nam iure naturae quisque tenetur uti remedio ad salutem utili, et necessario. Sed Ieiunium est tale remedium, ad deletionem poenae pro culpa praeterita, ad cohibendos pravos motus, et elevationem mentis ad Deum (§ 636.). Ergo tenetur adhibere Ieiunium, quatenus ad haec sibi est necessarium.

§ 638. Ecclesia tempora Ieiuniorum convenienter determinavit; quia conveniens est, ut fideles ad celebrationem solemnium Festorum se praeparent per elevationem mentis ad Deum, victoriam passionum, et studium virtutum: sed hoc fit per Ieiunia certis temporibus ab Ecclesia determinata: ergo convenienter ea determinavit. Tempora ieiunii apta determinavit Ecclesia.

*Schol.* 1. Antiquissimum, et apud omnes Patres maxime testatum est *Ieiunium Quadragesimale*, quod teste S. Hieronymo *ep.* 54. *ad Marcell.* Epiphanio *haer.* 75. et S. Leone *Serm. de Quadr.* ab Apostolis institutum est ad exemplum Christi, Moysis, et Eliae, 40 dies ieiunantium. Olim initium Quadragesimae sumptum est a nostra Dominica prima Quadragesimae, teste S. Ambrosio *Serm.* 84. a qua usque ad Pascha computatis etiam Dominicis currunt dies 42. Verum cum in quibusdam Ecclesiis Feria V. maioris Hebdomadae, post Synaxim populi Ieiunium solveretur, 40. dies usque ad Coenam Domini numerabantur, uti testatur Ordo Romanus: Feria autem sexta et Sabbato secundum consuetudinem totius anni, etiam in Hebdomada Sancta Ieiunium resumebatur. Hinc Telesphorus Papa praecepit Clericis, ut pro sex Dominicis, quibus non ieiunabatur, septimam Dominicam adiicerent, et ieiunium a Feria 2ª post Quinquagesimam inciperent: ut numerus 40 dierum usque ad Coenam Domini compleretur. Postea vero in Concilio Laodiceno sublatus est mos solvendi Jeiunium in Coena Domini. Deinde, ut ab omnibus etiam laicis sacer numerus quadragenarius, exclusis Dominicis, in quibus sola abstinentia observabatur, impleretur, S. Gregorius I. vel uti alii malunt, Gregorius II. quatuor dies, Dominicam primam Quadragesimae praecedentes, adiecit. Porro quia etiam Orientales Ecclesiae Sabbato ieiunare non consueverant, ad complendos 40. dies etiam octava hebdomada addita fuit, et Dominica illa dicta est Sexagesima. Postea vero nona hebdomada addita fuit, dicta Septuagesima, tum quia in Ecclesia Romana novem continuis hebdomadibus Catechumeni pro Baptismo Sabbato S. recipiendo instruebantur: tum quia aliquae Ecclesiae Orientales etiam Feria 5ª non ieiunabant. Igitur Quinquagesima dicta est, quia Quadragesimam: Sexagesima, quia Quinquagesimam: Septuagesima, quia Sexagesimam praecedit. Quadragesimalis ieiunii origo.

*Schol.* 2. Feria 6ª per totum annum ieiunium semper commune fuit. Circa Sabbatum vero primis statim saeculis consuetudo variabat: nam Ecclesiae Orientales excepto Sabbato S. ieiunare non solebant, uti patet ex *Constit. Apost. L.* ii. tum ne Iudaei Sabbatum colentes a Fide Christiana avocarentur: tum ad refutandos haereticos qui dicebant, dolendum esse die Sabbati, eo quod Deus malus V. T. eo die ab opere creationis cessavit: tum quia Sabbatum requiem aeternam significat. Plures vero Occidentales Ecclesiae Sabbato in memoriam sepulturae Dominicae ieiunabant, cuius loco Orientales Feria 4ª Ieiunium servabant. Tandem Innocentius I. in *ep. ad Decent.* Sabbati Ieiunium approbavit, *can. Sabbato, de consecr. d.* 3. Ieiunium Feriae sextae et Sabbati

Igitur in primitiva Ecclesia moris fuit, duobus in hebdomada diebus Ieiunium celebrandi perfectum; quod tamen postea in Occidente mutatum fuit in meram abstinentiam a carnibus, et quidem die Veneris in honorem et memoriam Passionis et mortis Dominicae, *c. ult. de observ. ieiun.* die Sabbati vero in memoriam sepulturae Dominicae, *c. Quia dies*, *d. 5. de consecr.*

Ieiunia quatuor Temporum. *Schol.* 3. Ieiunia quatuor Temporum partim ab Apostolis, partim non multo post Apostolorum tempora instituta fuerunt. Et quidem Ieiunium ultimi mensis seu Decembris ab Apostolis institutum fuisse, ex eo colligitur, quia illo tantum mense sacrae Ordinationes a S. Petro usque ad Simplicium Papam fieri solebant, teste Micrologo c. 28. quibus Ieiunium praemissum fuisse, constat ex *Act.* 13. Ieiunii aestivi, quod post Festum Pentecostes celebratur, meminit S. Athanasius in *Apol.* et S. Leo *Serm.* 2. *de Pentec.* ait, illud ex Apostolica traditione subsequi. Ieiunium septimi mensis in septembri Apostolicis institutis electum esse, ait idem S. Leo *Serm.* 8. *de iei. sept. mens.* Ieiunium vero verni mensis Callistus Papa adiecisse dicitur circa annum 217. *c.* 1. *d.* 76. ieiunia quatuor Temporum instituta sunt, tum quia etiam olim Hebraei quater in anno ieiunabant, *c. Ieiunium d.* 76. tum ut omnes totius anni actiones a Deo dependere profiteamur, *c. Huius d.* 76. tum ut ordinandi in sacros ministros uberioribus gratiis pro bono Ecclesiae instruantur.

Ieiunia reliqua. *Schol.* 4. Praeter haec Ieiunia alia ab Ecclesia instituta fuerunt. Sic. *c.* 1 *de observ. Ieiun.* mentio fit Ieiunii et Vigiliae Natalis Domini, Assumptionis Beatissimae Virginis Mariae, et Apostolorum, ac statuitur, quod quando hi dies incidunt in Feriam 2^am^, non in Dominica, sed in Sabbato ieiunetur. De ieiunio in Vigilia Pentecostes, S. Ioannis Baptistae, et S. Laurentii nil habetur in iure Canonico; quae tamen ob generalem Ecclesiae consuetudinem observanda sunt. Adventum Domini etiam olim in Ecclesia Romana cum Ieiunio celebratum, testatur Radulphus. Et patet ex *c.* 2. *de observ. Ieiun.* et quidem teste Radulpho Adventus Domini incipit post Crastinum S. Catharinae: Ambrosianus vero Adventus habet sex Septimanas, et incipit Dominica post Festum S. Martini. Tres dies Rogationum ante Ascensionem Domini S. Mamertus Episcopus Viennensis instituit, eisque Ieiunia coniunxit, quae approbata fuerunt a Concilio Aurelianensi; *c. Rogationes d.* 3. *de Consecr.* et olim etiam in Ecclesia Romana his diebus a carnibus abstinebatur, uti patet ex ordine Romano. A Paschate tamen usque ad Pentecosten Ieiunium cessavit ex more antiquissimo, *c. Scire d.* 76.

Statio Vigilia quid? *Schol.* 5. Statio, Ieiunium et Vigilia re ipsa quidem differunt; sed quia subinde in eosdem dies concurrebant, promiscue a Scriptoribus Ecclesiasticis usurpantur. Nam Missa olim in diebus Ieiuniorum post meridiem celebrari solebat, cui postea Officium vespertinum annectebatur, quo toto tempore populus Christianus orationi

intentus perstabat in Ecclesia, neque prius ad cibum sumendum discedere audebat; c. 1. *Solent. de const.* d. 1. unde Ieiunium, propter coniunctam in Ecclesia diuturnam commorationem, *Statio* dicebatur: postea vero usus obtinuit, ut aliorum solemnium dierum, quibus non ieiunabatur, in Ecclesia commorationes, Stationes dicerentur. Deinde quia populus Christianus pridio solemnium Festorum post solutam Stationem, et sumptum cibum, nocturno tempore ad Ecclesiam revertebatur, ut ibi in orationo vigilaret, dum Clerici nocturnas preces ad modum Vigiliarum instituebant; ideo plerumque *Vigilia* post Ieiunium, et Stationem sequebatur, licet Vigilia sine Ieiunio, et Statio sine Vigilia esse possint.

### Art. 2. *De obligatione ieiunii.*

§ 639. Ieiunia ab Ecclesia certis temporibus praecepta sub peccato mortali obligant. Nam Ieiunium ob suam utilitatem (§ 636), et necessitatem (§ 637), est materia gravis: ergo eius praeceptum graviter obligat (§ 473). Hinc merito ab Alexandro VII damnata est haec propositio 23. *Frangens ieiunium, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subiicere praecepto.* Ieiunia Ecclesiastica obligant sub mortali.

*Schol.* Obiiciunt Protestantes I. Obligatio Ieiuniorum spectat ad iugum Legis Mosaicae: et Ieiunia Catholicorum sunt eadem cum Ieiuniis Montanistarum certis diebus ieiunantium: ergo non obligant. *Resp.* Ieiunia spectant ad praecepta Legis moralia, quae non sunt abrogata. Error Montanistarum fuit, quod duas Quadragesimas ex lege a Montano lata, et fanaticis eius prophetiis innixa observarent. II. *Lucae* 5. Christus ait, discipulos suos tunc ieiunaturos, quando Sponsus ab eis recedet: sed a iustis non recedit: ergo nec ieiunare debent. *Resp.* Christus Sponsum se vocat, et discipulos suos quasi pronubos, quibus non competebat Ieiunium extraordinarium, quamdiu Christus cum eis erat corporaliter, ob dies laetitiae; bene vero, quando corporaliter ab iis recessit. III. Cassianus *collat.* 121. dicit, iustos quadragesimalis Ieiunii lege non teneri, sed tantum mundanos, et vitiis deditos. *Resp.* Cassianus loquitur de lege poenis cogente, non vero dirigente. Addit, iustos solvere sine dispensatione Ieiunium posse; sed tunc solum, quando necessitas urget, quam veram esse de iustis praesumitur. Solvuntur obiectiones.

§ 640 Ad Ieiunium Ecclesiasticum requiritur 1°. Ciborum delectus, seu abstinentia a carnibus: *Const. Apost. l.* 5. Origene *l.* 3. *in Iob.* etc. imo etiam in nonnullis locis a lacte, caseo et ovis. Olim etiam a vino abstinebatur, teste Origene, S. Basilio, etc. Sex diebus Hebdomadae Sanctae cibis tantum aridis, sale, pane et oleribus, et potu aquae fideles reficiebantur, teste S. Epiphanio *haer.* 75. In Parasceve vero, et Sabbato S. omnino ieiuni perseverabant, teste Alcuino *de Div. offic.* Requisita ad Ieiunium Ecclesiastic. Abstinentia a carne.

2° Requiritur Abstinentia a secunda refectione, uti patet ex Tra- Una refectio.

ditione, ex qua constat, unicam solummodo refectionem in diebus Ieiunii in usu fuisse. Quare *Collatio* seu coenula vespertina olim ignota fuit. Huic occasionem praebuit usus quorumdam Monachorum bibendi ante Collationem, seu lectionem spiritualem, quae vespere ante Completorium fieri solebat, cui potui, ne noceret, panis seu alterius cibi frustulum additum fuit: et quia in diebus Ieiuniorum ob hunc potum Collatio in Refectorio legebatur, adytus ad Refectorium dictus est, ire ad Collationem, et serotina illa refectiuncula Collatio dicta fuit. Haec collatiuncula tandem aliqualiter aucta fuit, quando tempus refectionis a vespera ad meridiem translatum fuit, ne ieiunos somnus omnino fugeret, eamque Ecclesia hodie dum permittit.

Collatio vespertina unde?

Tempus refectionis.

3° Requiritur certum tempus refectionis, ut non prandium, sed coena sit. Sic olim hora diei nona, seu tertia nostra pomeridiana ieiunium solvebatur, teste S. Athanasio *l. de Virg.* In Quadragesima vero usque ad vesperam ieiunabatur: S. Basilius *or. 1. de ieiun. etc.* Cum vero posterioribus temporibus homines propter animi et corporis infirmitatem in Ieiunio tamdiu non perseverarent, anticipatum est communi Ecclesiarum consuetudine tempus tum Officii Divini, tum coenandi, quod hodie etiam in Quadragesima est circa meridiem, vel hora, vel sesquihora ante meridiem.

Resolvuntur casus

*Coroll. Pract.* 1° Prohibitus est in diebus Ieiunii et abstinentiae usus lardi, adipis et pinguedinis anserinae; nam consuetudo, quae etiam post damnatam propositionem 32. ab Alexandro VII. adhuc licitum faciat in nonnullis regionibus usum ovorum et lacticiniorum, non ideo permittit usum lardi: et periculum foret, ne haec licentia etiam se extenderet ad intestina animalium, farcimina, et insculum ex carnibus, quae certo sunt prohibita. Probabilitas tamen sententiae contrariae ad hoc servire potest prudenti Confessario, ut pauperibus ob necessitatem usum adipis, et pinguedinis concedere possit. 2° Usus cuiuscumque potus quacumque hora die Ieiunii, servata temperantia, licitus est, si potius ad digestionem ciborum, vel ad sedandam sitim, quam ad nutritionem sumatur: hinc etiam ne potus noceat, licet etiam extra coenulam pauxillum panis ad haustum sumere, nisi tamen saepius repetatur, quia alias multa modica in effectu nutritionis coalescerent in quantitatem ad mortale sufficientem, uti patet ex prop. 26. ab Alexandro VII. damnata. 3° Potus *Thee* et *Caffee* non violant Ieiunium, quia sunt tantum potus et parum nutriunt, nisi illis notabilior lactis quantitas admisceatur. Idem de *Cioccolatu* dicendum, dummodo non instar densae pultis in magna quantitate sumatur: hinc etiam electuaria in parva quantitate ad digestionem ciborum sumpta non violant Ieiunium, iuxta S. Thomam 2. 2. *q.* 147. *a.* 6. *ad* 3. 4° In una refectione die Ieiunii permissa aliquantum plus cibi more solito, servata tamen temperantia, sine peccato sumi potest. 5° Refectio unica debet esse moraliter continuata, ne fiat repetita. Si tamen ab illa discedere cogaris, confecto

negotio reverti potes, eamque complere, quia una est moraliter. Qui tamen ab ea sufficienter refectus surgit, animo non revertendi, nequit iterum accumbere, et comedere. Lessius tamen putat, posse talem mutata intentione reverti ad convivas, a quibus recesserat, quia prandium adhuc durat. Similiter excusantur lectores, et ministri mensae in Monasteriis, si aliquid prius accipiant, tum quia faciunt, ut officium suum melius expleant, tum quia est refectio inchoata, quae ex iusta causa interrumpitur. 6° Qui in die ieiunii saepius modicum quid comedit, violat Ieiunium, si ad quantitatem collationis v. g. perveniat, iuxta propositionem 23. ab Alexandro VII. damnatam. 7° Qui in die Ieiunii semel buccellam carnis modicam comedit, vel coquus parum carnis adinstar nucis avellanae, vel unius unciae praegustans, graviter non peccat. 8° Qui eadem die Ieiunii saepius notabilem partem carnis comedit, toties peccat, quoties sumit, quia hoc praeceptum semper obligat. Si quis vero per binam refectionem iam violavit Ieiunium, non peccat sumendo tertiam sine carnibus, quia substantia Ieiunii iam violata est. Licet vero talis per tertiam refectionem non peccet, attamen iuxta communiorem sententiam novae hae refectiones peccatum aggravant, uti docet S. Antoninus 2. *part. tit.* 6. 9° Pro collatione vespertina ratione ciborum spectandus est mos regionis, pro quo apud nos etiam cibos coctos sumere licet. Ratione quantitatis attendenda est regionum et personarum diversitas: cavendum semper, ne coenula in coenam abeat. Quartam partem integrae coenae Reginaldus assignat. Excessus autem in collatione ad mortale sufficiens est talis, qui ad alteram collationem sufficeret. 10° Licitum est, collationem circa meridiem capere, plena refectione ad vesperam dilata, si iusta causa itineris, vel studii occurrat; sine hac erit veniale. 11° Horam refectionis anticipare, si sine iusta causa fiat, hodie nonnisi veniale est.

### Art. 4. *De Causis excusantibus a Ieiunio.*

§ 641. Causae excusantes a Ieiunio Ecclesiastico sunt: 1. Dispensatio Superioris. 2. Impotentia physica, et moralis. 3. Labor, vel officium. 4. Pietas, vel maius bonum. **Causae a Ieiunio excusantes.**

*Coroll. Pract.* 1° Episcopus in lege Ieiunii dispensare potest, et quando hic adiri non potest, etiam Parochus, cum aliquo suo Parochiano. Item Superiores Ordinum Religiosorum cum suis Religiosis subditis. Confessarii vero, Medici et Abbatissae ex defectu iurisdictionis in foro externo dispensare non possunt, sed tantum pro sua peritia declarare, quod adsit legitima causa non ieiunandi. 2° Qui habet dispensationem circa usum carnium, non potest hoc ipso duplicem refectionem sumere, quia sunt materiae divisibiles. Unde communiter in dispensatione secunda refectio non conceditur: et hoc etiam praecipit Benedictus XIV. in *Constit. Non ambigimus. In suprema. Si fraternitas. Libentissime quidem:* ubi monet et instruit Episcopos, quomodo in dispensatione Quadragesimae gerere se debeant. 3° Ra- **Resolvuntur casus.**

tione impotentiae excusantur a Ieiunio aegroti, convalescentes, praegnantes, lactentes, pauperes ostiatim mendicantes, et omnes qui tantum habere non possunt, quod eis ad unicam refectionem sufficiat: laborantibus etiam apud haereticos esus carnium permitti potest, si fiat sine scandalo. Consuetudo etiam toleratur, ut finitis Bacchanaliis reliquiae carnium dentur pauperibus absumendae. Si impotentia sit certa, licet ex culpa contracta, per se excusat: si dubia, petenda est dispensatio. 4 Ratione aetatis duplicem plenam refectionem sumere possunt iuvenes ante annum 21. aetatis, qui abundantiori alimento egent: senes, qui sexaginta annos compleverunt, adeoque iuxta P. Layman habent pro se praesumptionem de defectu virium, ob defectum caloris; ubi tamen apud bonos Christianos, si necdum incommoda senii sentiant, praesumptio defectus virium cedere debet veritati. 5° Excusat ab unica refectione labor cum Ieiunio non coniungibili, uti agricultura, et illorum opificum, quorum labor sine notabili defatigatione corporis exerceri non potest, uti Fabrorum, Pistorum, Fullonum, Coementariorum, Coriariorum, Textorum: non vero litteras ponentium, pictorum, sartorum, sutorum, corium tantum scindentium, scribae, barbitonsores. Quod autem non omnes corporaliter laborantes a Ieiunio excusentur, patet ex propositione 30. ab Alexandro VII. damnata. Opifices tamen ob laborem a Ieiunio etiam illis diebus excusantur, in quibus vacant, ad vires reparandas et conservandas. Si tamen pluribus diebus a gravioribus laboribus abstinerent, a Ieiunio non excusarentur. 6° Non excusantur, qui iter unius diei equitando faciunt, sive necessarium sit, sive non, uti patet ex propositione 31. ab Alexandro VII. damnata: secus est, si iter sit arduum et necessarium, in quo omnes communiter defatigantur, uti iter pedestre maioris partis unius diei, vel equestre plurium dierum. 7° Qui ultro se defatigat ludo pilae, venatione, etc. in die Ieiunii, tenetur ieiunare, quia lex iubet etiam removere impedimenta a Ieiunio impedientia; unde cessat ius, quod ad has actiones habet. Ex capite tamen laboris subinde etiam Concionatores et Professores quotidie fere concionantes, et docentes, Confessarii, Cantores, Advocati, Iudices, Medici, et alii extraordinaria ingenii occupatione assiduo intenti, ita ut cum ieiunio officium suum nullo modo obire queant, excusantur. Ita P. Ricci in P. Reiffenstuel. 8° Ratione pietatis et maioris boni excusantur, qui opera charitatis, et misericordiae corporalia et spiritualia exercent etiam ob mercedem, quando cum Ieiunio illa non possunt peragere, uti Infirmarii, Ludimagistri, uxor, quae iram mariti effugere nequit, nisi cum eo coenet, si tamen hoc in contemptum Religionis non exigat. Ob opus vero coniugale nec maritus, nec uxor, iuxta Ill. D. Goudeau, a Ieiunio excusatur, quia primis Ecclesiae temporibus a carnali commercio coniuges omnino abstinebant. Multo minus puellae aut mulieres eximi debent, metuentes, ne Ieiunio eorum venustas minuatur.

## CAP. VI.

### *De Peccato Gulae.*

§ 642. Abstinentiae opponitur *Gula*, quae est inordinatus appetitus cibi et potus, spectati ut delectabilis. Gula quid?

§ 643. Gula 1° est peccatum, quia in cibo et potu non servat modum a recta ratione praescriptum, quae dictat, ita sumendum esse alimentum, ut utile sit vitae, et sanitati (§ 642.): ergo est peccatum. Gula est peccatum

2° Gula subinde est peccatum mortale, subinde veniale. Nam inordinatus cibi appetitus vel tollit ordinem rationis circa finem, dum homo ita delectationi gulae adhaeret, ut paratus sit ad satisfaciendum suo appetitui transgrodi praecepta sub mortali obligantia; et sic erit peccatum mortale: vel tollit ordinem rationis tantum circa media, quando gulae ita inordinate adhaeret, ut tamen nolit violare praecepta gravia; et sic erit veniale. Vel mortale vel veniale.

3° Peccatum gulae quinque modis committitur. Praepropere, laute, nimis, ardenter, studiose comedendo: *laute*, quaerendo alimenta pretiosiora; *studiose*, quaerendo cibos nimis accurate praeparatos: *nimis*, excedendo in quantitate: *praepropere:* praeveniendo tempus: *ardenter*, voraciter comedendo. Quinque modis fit

4° Gula est peccatum capitale, quae suas habet malas filias, seu vitia, quae ex ea oriuntur: et quidem ex parte animae 1. *Hebetudo mentis*, seu rationis ob ciborum fumos caput perturbantes. 2. *Inepta laetitia*, dum appetitus excitatur ad tripudia, et ludos illiberales, et lingua in multiloquia se effundit. 3. *Scurrilitas*, quando fit excessus in iocis. 4. *Immunditia* ex parte corporis secundum inordinatam emissionem quarumdam superfluitatum, et maximo seminis. Est peccatum capitale

*Coroll. Pract.* 1° Quando quis praecise propter delectationem ut finem, non vero tamquam medium comedit, peccat, uti patet ex propos. ab Innocentio XI. damnata. Sumere vero tantum cibi, ut vomitus sequatur, per se solum veniale est. Mortale vero est, si quis ob solam voluptatem usque ad vomitum scienter se ingurgitet, vel post sumptum cibum vomitum provocet, ut iterum ex sola voluptate comedat, quod bestiale est. 2° Vesci carne humana mortale peccatum est, tum quia est contra ordinem naturae exigentem, ut quis cibo seipso inferiori vescatur, tum quia sic allicerentur homines ad alios occidendos, ut illis pro cibo uterentur: licet tamen vesci carne humana in extrema necessitate, quia sic non dehonoratur humana natura, sed a morte vindicatur. Item licet uti medicamentis ex humana carne, sanguine, vel lacte confectis ad morbum depellendum. 3. Gula est peccatum mortale, si per eam sanitati graviter noceatur. Resolvuntur casus

### Art. un. *De Sobrietate et Ebrietate.*

§ 644. Altera species Temperantiae est *Sobrietas*, quae est virtus moderans affectum et usum potus inebriantis. Sobrietas quid?

Ebrietas quid? § 645. Sobrietati opponitur *Ebrietas*, quae est voluntarius excessus in potu inebriante, usque ad defectum usus rationis.

Ebrietas est mortale § 646. Ebrietas plene voluntaria per se est peccatum mortale: nam *ad Gal.* 5. ebrietas recensetur inter peccata, quae a regno Dei excludunt. Ratio est, quia graviter repugnat rectae rationi, quod homo sciens, et volens privet se usu rationis, et potentia propinqua ad illam, utpote quae est bonum hominis praestantissimum, et exponat se periculo gravia mala perpetrandi, quod facit Ebrietas.

Solvuntur obiectiones *Schol.* 1. Dices I. *Gen.* 43. fratres Iosephi dicuntur fuisse inebriati, nec tamen legitur, eos peccasse. *Resp. Inebriati* sumitur pro *satiati* sine privatione usus rationis. II. S. Augustinus *Serm.* 41. ait, ebrietatem esse mortale, si assidua sit. Et S. Thomas *q.* 2. *de malo a.* 8. *ad* 3. ait, semel inebriari esse veniale; assidue vero, mortale. *Resp.* Ideo hi Doctores dicunt, assiduam ebrietatem esse mortale, quia taliter se inebrians vim vini expertus scienter se inebriat, cum e contra semel ebrius factus ob ignorantiam virtutis vini, a mortali forte excusari possit. III. Potest quis ex usu lupuli, vel tabaci privari usu rationis, nec tamen peccat: item non est peccatum, volentem spoliare bonis suis: ergo nec se spoliare usu rationis. *Resp.* Ex odore lupuli, et tabaci ordinarie non absorbetur ratio totaliter; quod si fiat, usus eorum peccatum mortale erit. Deinde homo non est dominus rationis suae: ergo ea se spoliare nequit.

An Noe et Loth inebriando se peccaverint? *Schol.* 2. Quaeritur, an Noe inebriando se peccaverit. *Resp.* Ebriatas Noe non fuit proprie, et absolute talis, uti communiter docent Interpretes. Unde non peccavit, se inebriando, quia inexpertus vim vini illud bibit, sicuti antea aquam biberat: imo ebrietas Noe mysterium fuit, quod explicat S. Hieronymus *contra Lucifer. Natus in carne Christus Ecclesiam plantavit, et passus est. Nudatum patrem irrisit maior filius, et minor texit: et Deum crucifixum irriserunt Iudaei, et honoraverunt gentes.* Loth vero vix ex toto a peccato ebrietatis excusari potest, utpote cui illa fuit voluntaria, cum dives vim vini optime noverit: quia tamen fatigatus ex itinere et siticulosus forte praeter expectationem inebriatus fuit, aliquo modo a peccato excusari potest.

An liceat se inebriare pro vita et sanitate servanda? *Schol.* 3. Caietanus putat, licere se inebriare vitandae mortis causa, aut ad recuperandam sanitatem. Verum negativa sententia est probabilior: tum quia S. Augustinus *Serm.* 295. ait: *Etiamsi ad hoc veniretur, ut diceretur: aut bibas, aut morieris: melius erit, ut tibi caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur:* tum quia privatio usus rationis per immodicum potum est intrinsece mala. Non obstat I. quod potus in hoc casu non sit immoderatus, sed necessarius ad vitam, seu sanitatem: nec privatio usus rationis, sed tantum sanitas intendatur. *Resp.* Potus in hoc casu non est quidem immoderatus respectu sanitatis; bene vero respective ad bonum rationis conservandum: et privatio usus rationis indirecte ac efficaciter in causa sua intenditur. II. Privans se usu rationis per somnum non

peccat: ergo nec per potum, si recta ratio dictet. *Resp.* Disparitas est, quia somnus tantum actnali usu rationis privat, non vero potentia proxima ad illnm, sicut dormiens excitatns statim ad illnm redire possit: ebrietas vero tollit proximam potentiam ad usum rectae rationis, qna aliqnis pro libitn uti nequit, et si forte hoc aliqno pharmaco procnrare possit, hoc medium est extraordinarinm. Deinde privatio nsus rationis per somnnm inducitnr natnraliter ad reparandas naturae vires: per ebrietatem vero inducitur violenter ex causa illicita, sensibus vigilantibns. III. Licet sibi ampntare membrum ad vitam salvandam: ergo etiam se ad tempus nsu rationis privare. *Resp.* Disparitas est, quia recta ratio dictat, pro conservatione totins partem esse negligendam; non vero bonum inferioris ordinis, scilicet vitam, esse servandum cum damno boni snperioris, scilicet rationis. Deinde mutilatio non est intrinsece mala, sed tantum, si fiat sine iusta causa: ebrietas vero absolute intrinsece mala est.

*Coroll. Pract.* 1° Ut ebrietas sit peccatum mortale, debet fieri usque ad privationem usus rationis, intendi, et dum inter potandum observatur, potus continuari. Hinc non est mortale, si quis nsum rationis non amiserit, sciat, quid ebrins egerit, ebrietatem nec praeviderit, nec intenderit, uti iis contingere solet, qui ob debilitatem stomachi, ad bibendum snnt indispositi, vel vini generositatem ignorant, vel post liberaliorem potum aeri se exponnnt. Peccant tamen illi, qui diu noctuque potantes periculo ebrietatis se exponnnt, non cnrantes, an ebrietas secntura sit, necne. 2. Peccat graviter, qni alios iussu, consilio, aliove modo invitat, et directe inducit ad plenam ebrietatem: sicuti et illi peccant, qni voluptatis cansa ad aequales calices provocant, si ebrietas intendatur, vel eius pericnlum certo praevideatnr. Nec mos patriae, aut bonus affectus a gravi peccato illnm excusat, qni convivam snnm nrget nsque ad pericnlum plenae ebrietatis; tnnc vero excusat, qnando in ea qnantitate potns propinatur, ut non sit periculum ebrietatis. 3° Non est peccatum, vinum alteri apponere, relicta illi libertate bibendi, licet timeas eum usque ad ebrietatem bibiturum, quia cooperatio est tantum materialis. Unde etiam canpones excusat probabilis spes et opinio, qnod hospites se plene usque ad peccatum mortale non sint inebriaturi; maxime si accedat timor pericnli discordiarnm, nisi vinnm liberalius proponatur. Modicum tamen lucrnm non excusat: unde graviter peccant, qui vinum corrumpunt ad bibnlos alliciendos, ut inebriet et ita citius vendatur, vel si citra incommodum vinum negando ebrietatem impedire possint, et non impediant. 4° Qui per experientiam novit, se in his, vel illis consortiis commnniter plene inebriari, sub gravi peccato ob periculnm proximum ea vitare debet. Qni vero inter bibendnm dubitat, vel advertit probabile pericnlum privationis rationis secnturae, et tamen pergit bibere, graviter peccat, nisi dubinm prudenter deponat. 5° Usus lingnae impeditus, titubatio pednm, vomitus, obiecta dupliciter apparentia, non sunt semper signa certa

Resolvuntur casus.

plenae ebrietatis; certiora sunt, si quis altera die ignoret, quid priori dixerit, fecerit, quomodo domum venerit, etc. 6° Remedia contra ebrietatem suggeret prudentia Confessarii: pro poenitentia utiliter iunget salutarem mortificationem, et abstinentiam a popinis.

## CAPUT VII.

### *De Castitate.*

Castitas quid? § 647. Tertia species Temperantiae est *Castitas*, quae est virtus moderativa delectationum in venereis iuxta dictamen rectae rationis.

Quotuplex? *Schol.* Castitas est triplex: *Coniugalis*, quae abstinet a voluptatibus carnis illicitis, et utitur moderate licitis in matrimonio: *Vidualis*, quae post solutum matrimonium abstinet in posterum ab illicitis et licitis in matrimonio: *Virginalis*, quae etiam est perfecta, has voluptates nunquam experta ab omnibus omnino tam licitis, quam illicitis in perpetuum abstinet. Hinc *Virginitas* definitur: Est firma voluntas, perpetuo abstinendi ab omnibus delectationibus venereis. Differt Virginitas a castitate, quod castitas etiam in coniugatis, corruptis, et poenitentibus locum habere possit, non vero Virginitas, et ideo propositum servandae integritatis usque ad tempus nuptiarum, non est virtus Virginitatis, sed castitatis. Duplex autem est Virginitatis integritas: una carnis, ac veluti materialis, consistens in integritate carnis, ac membri genitalis in utroque sexu, qualem a natura habemus, altera animi ac propositi. Castitas etiam subinde Pudicitia vocatur, quatenus cohibet impudicos aspectus, oscula, et tactus.

#### Art. 1. *De Virginitate, eiusque excellentia.*

Virginitas est licita. § 648. Virginitas, seu voluntas abstinendi perpetuo ab omni delectatione venerea, est licita. Quippe S. Scriptura consulit Virginitatem, 1. *ad Cor.* 7. *De Virginibus praeceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Et *Matth.* 19. Christus laudat eos, qui *seipsos castraverunt propter regnum coelorum.* Imo Christus ipse, et Beatissima Virgo Maria, Virgines permanserunt. Ratio est, quia recta ratio dictat, ut propter bonum animae reiiciantur delectationes corporis: sed hoc facit Virginitas, quae a licitis etiam in matrimonio voluptatibus abstinet, ut homo liberius Deo, et animae invigilare possit: *Virgo enim cogitat, quae Domini sunt*: 1. *ad Cor.* 7. ergo Virginitas est licita.

Solvuntur obiectiones *Schol.* Lutherus obiicit I. Virginitas est contra praeceptum naturale, et Divinum: *Gen.* 1. *Crescite, et multiplicamini. Resp.* Hoc praeceptum est affirmativum, adeoque non pro semper obligat, sed tantum in casu necessitatis, et quidem totam multitudinem, non vero quemlibet in particulari, nisi necessitas urgeat. II. Si omnes vellent manere Virgines, totus mundus periret: imo Virginitas omnes delectationes fugiendo non tenet virtutis medium. *Resp.* Si mundus pe-

riret, ob necessitatem nubendum foret. Deinde Virginitas tantum a delectationibus venereis secundum rectam rationem abstinet, adeoque medium tenet. III. Olim puniebantur vitam coelibem ducentes, teste S. Augustino *l. 4. de ver. Rel.* et idem S. D. docet, apud Iudaeos legem nubendi sub obedientia obligasse. *Resp.* Leges coelibes punientes, vel non universales, vel iniustae fuerunt. Apud Iudaeos non erat lex, ut nuberent, sed consuetudo ob spem generandi Messiam: unde Iosue, Elias, etc. Virgines permanserunt.

§ 649. Virginitas est excellentior, et melior Matrimonio. Patet 1° ex 1. *ad Cor.* 7. *Qui matrimonio iungit Virginem suam, bene facit, et qui non iungit, melius facit..... Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium: puto autem, quod et ego Spiritum Dei habeam.* Et Trident. *Sess.* 24. *can.* 10. *Si quis dixerit, statum coniugalem anteponendum esse statui Virginitatis, vel coelibatus, et non esse melius ac beatius, manere in Virginitate, aut coelibatu, quam iungi matrimonio; anathema sit.* 2° Matrimonium secundum se convenit homini secundum partem inferiorem, qua similis est brutis; Virginitas vero secundum partem superiorem, qua similis est Angelis. Ergo est melior. **Est melior Matrimonio.**

*Schol.* Iovinianus licet ob molestias matrimonii non nupsisset, docebat tamen, Virginitatem non esse excellentiorem matrimonio, cui hodie Protestantes nostri subscribunt. I. Quia S. Augustinus *de bon. coniug. c.* 21. ait: *Non est impar meritum continentiae in Ioanne, qui nullas expertus est nuptias, et in Abraham, qui filios generavit*: ergo si meritum est aequale, aequalis est virtus. *Resp.* Meritum castitatis virginalis, et coniugalis est aequale, si maiori erga Deum affectu coniugalis exerceatur. II. Coniugium ordinatur ad bonum commune, Virginitas ad privatum: ergo illud est melius. *Resp.* Coniugium ordinatur ad bonum commune, sed ordinis inferioris, scilicet corporale; Virginitas vero ad bonum privatum ordinis superioris, seu spirituale. III. Matrimonium est Sacramentum, non vero Virginitas: ergo illud est melius. *Resp.* Gratia Sacramenti matrimonii compensatur per uberiorem gratiam, quam Virgines consequuntur. **Solvuntur obiectiones.**

### Art. 2. *De Luxuria eiusque gravitate.*

**§ 650. Castitati opponitur *Luxuria*, quae est inordinatus appetitus vel usus venereorum.** **Luxuria quid?**

***Schol.* Septem sunt species Luxuriae, scilicet: Fornicatio simplex, Stuprum, Raptus, Adulterium, Incestus, Sacrilegium, et Peccatum contra naturam: quod iterum quadruplex est: Pollutio, Sodomia perfecta, Sodomia imperfecta, Bestialitas. Et hi vocantur *actus Luxuriae perfecti, et consummati*. Actus *imperfecti* sunt: Oscula, Tactus, Amplexus, Aspectus, Delectationes morosae, et Turpiloquia propter delectationem carnalem, de quibus in sequentibus.** **Quotuplex?**

**§ 651. Luxuria est ex genere suo peccatum mortale: tum quia *ad Gal.* 5. inter opera a regno Dei excludentia recensetur: tum quia** **Luxuria est mortale**

Luxuria modum et ordinem naturae, et rationis circa venerea excedit, quorum tamen rectus usus est valde necessarius ad bonum commune, seu conservationem generis humani.

In luxuria non datur parvitas materiae. 2° In Luxuria directe in se volita non datur parvitas materiae excusans a peccato mortali. Nam Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Est probabilis opinio, quae dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, et sensibilem, quae ex osculo oritur, secluso periculo ulterioris consensus, et pollutionis.* Sed si in hac materia daretur levitas, esset tale osculum, quod tamen levis materia non est. Ergo non datur. Deinde periculum ulterioris turpioris consensus est inseparabiliter coniunctum cum consensu directo in levem delectationem ob naturae fragilitatem; unde id, quod de se foret veniale, ratione periculi proximi incidendi in mortale, fit mortale. Ergo non datur levitas materiae.

Est peccatum capitale. Eius filiae. 3° Luxuria est peccatum capitale, ex qua multa vitia ob finem eius multum appetibilem generantur: eiusque filiae interiores sunt: 1. *Caecitas mentis*, dum appetitus inferior suo obiecto vehementer intentus, non sinit, rationem apprehendere finem bonum, 2. *Praecipitatio*, dum ratio non bene consulat de mediis ad finem necessariis. 3. *Inconsideratio*, dum ratio deficit in eligendis mediis aptioribus. 4. *Inconstantia*, dum ratio decreta sua non exequitur. 5. *Amor sui*, dum voluntas in carne sua ultimum finem constituit. 6. *Odium Dei*, dum Deum pro ultimo fine aversatur 7. *Amor praesentis*, *et horror futuri saeculi*, dum eligit potius in hoc, quam in altero saeculo vivere. Filiae vero externae sunt: turpiloquia, scurrilia, ludicra, et stultiloquia; quia ex abundantia cordis luxuriosi os loquitur.

*Schol.* Caramuel putavit, in re venerea dari parvitatem materiae. I. Quia iuxta S. Augustinum *l.* 2. *contr. Iul. c.* 10. saepe concupiscentia non lethaliter, sed venialiter vincimur. *Resp.* S. D. loquitur de concupiscentia, cui non plene consentimus. II. Inter coniuges datur materia levis in re venerea: ergo etiam in aliis. *Resp.* Disparitas est, quod inter coniuges consensus in levem motum non habeat annexum periculum consensus in ulteriorem actum mortalem, siquidem ille coniugibus est licitus. III. Obiectum supponitur esse leve: ergo etiam peccatum est leve, sicuti in aliis peccatis directe volitis datur levitas materiae. *Resp.* In obiecto illo levi adest periculum proximum peccati mortalis, quod in aliis peccatis non adest.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Virgo integra animo et proposito, violata autem per stuprum, retinet quidem Virginitatis praemium; a velo tamen consecrationis humilitatis, et decoris gratia in Monasterio abstinere debet: *c. Si quis non*, *c.* 15. *q.* 1. nec ad Praelaturam sine dispensatione ascendere valet: ita Layman. 2° Virgo integra carne, animo vero violata, Virginitatis quidem meritum apud Deum perdit; acta tamen poenitentia Virginitatem suam integre recuperat, et in Ecclesia pro Virgine etiam habetur ac inter Virgines consecrari et velari potest. 3° Per voluntariam pollutionem Virginitas simpliciter amit-

titur, ita ut per poenitentiam reparari non possit, quia perit materiale Virginitatis, seu immunitas ab omni experimento delectationis venereae per effusionem seminis. Interim probabile est, quod mulier voluntarie polluta inter Virgines consecrari et velari possit, quia claustrum Virginitatis illaesum servat, et qui talem violaret, Virginis stuprator coram Ecclesia diceretur. 4° Mulier occulte etiam per vim violata, peccat, si velum consecrationis inter Virgines ab Episcopo petat, vel accipiat, corruptione sua dissimulata; quia sic in hac caeremonia Sacramentali falsitas interveniret. In casu tamen necessitatis, si fama periclitaretur, Episcopus dispensare posset, et in precibus praescriptis sub nomine Virginitatis castitas intelligeretur. Pro praxi docet P. Layman, quod Confessarius Virgini clam corruptae quaerenti possit quidem suadere, ut Monasterium Virginum, ad quod aspirat, ingredi possit; ita tamen, ut a velo Virginitatis abstineat, contenta velo continentiae, et observantiae. Si vero talis mulier Confessarium de hac re nec interroget, nec de ea dubitet, prudens Confessarius subinde dissimulare potest, tum quia de velo consecrationis Confessarius Monasterii iudicare debet: tum quia non est improbabile, quod mulier occulte corrupta, accepto velo Professionis, velum consecrationis non quidem petere, oblatum tamen acceptare possit, ne se infamet. Quare interrogata de carnis integritate, respondere posset, se esse Virginem, scilicet coram Ecclesia.

### Art. 3. *De Fornicatione.*

**§ 652.** Prima species Luxuriae est *Fornicatio*, quae est concubitus soluti cum soluta. Est autem haec fornicatio simplex intrinsece peccatum mortale. Ita patet 1° ex S. Scriptura, *Deut.* 23. *Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel, quia abominatio est utrumque apud Dominum Deum tuum.* Et 1. *ad Cor.* 6. *Fornicarii... regnum Dei non possidebunt.* Similia habentur *ad Gal.* 5. *ad Eph.* 5. *ad Hebr.* 13. *Apoc.* 21. Et Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.* 2° Confirmant hoc Patres: S. Chrysostomus *hom.* 22. *in* 2. *ad Cor.* ait: *Quoties scortatus es, toties condemnasti teipsum.* Et S. Fulgentius *ep.* 1. *c.* 1. *Fornicatio nunquam potest esse sine gravi crimine.* 3° Ratio est: Fornicatio simplex vergit in grave damnum non solum prolis, sed etiam boni communis, et societatis humanae: nam nec supponit, nec importat diuturnam societatem maris, et foeminae, ad bonam prolis educationem necessariam, et facit prolem incertam, eiusque honorem laedit: ergo est intrinsece mala. Fornicatio quid? Est mortale.

*Schol.* Nicolaitae, Gnostici, et quidam Graeci docuerunt fornicationem nullo iure esse illicitam, quod adhuc tenent Anabaptistae, promiscuum concubitum permittentes. Durandus voluit, fornicationem iure naturae esse tantum peccatum veniale; quod autem sit mor- Solvuntur obiectiones.

tale, habere a lege positiva. Caramuel denique putavit, fornicationem non esse intrinsece malam, sed solum, quia lege positiva est prohibita. I. Quia fornicatores possunt inter se pacisci de cohabitatione, quousque ad prolis educationem necessaria erit, vel alio modo illi providere: imo, qui cum sterili fornicatur, nulli proli nocet. *Resp.* Pactum illud fit per accidens, et ex natura fornicationis non fluit; unde facit quidem, ut actu proli non noceat, non vero ut non nocere possit, et communiter noceat. Deinde sterilitas illa est per accidens; semper enim coitus per se ad generationem prolis ordinatur. II. Proli ex fornicatione natae melius est esse, quam simpliciter non esse: ergo fornicatio non est mortale, nec intrinsece mala. *Resp.* Licet proli sit melius esse, quam non esse, non tamen excusantur parentes, qui dum generationi vacant, non solum debent proli velle esse, sed bene esse per bonam educationem.

Resolvuntur casus — *Coroll. Pract.* 1° Fornicatio cum Infideli probabiliter non includit novam speciem: quia secluso scandalo, periculo subversionis et contemptu Religionis Catholicae, non probatur nova malitia. 2° Fornicatio cum vidua non distinguitur specie a simplici fornicatione, quia est concubitus soluti cum soluta. 3° Concubitus cum sponsa alterius non est quidem adulterium, quia solum matrimonium ratum dat ius in corpus sponsae, sed est simplex fornicatio: debet tamen haec circumstantia in Confessione exprimi, quia mutat speciem, et praeter fornicationem committitur iniustitia contra fidem sponsalium, et reducitur ad speciem adulterii, et est contra ius ad rem; quod idem dic de sponso. 4° Qui cum tribus distinctis solutis peccavit, sufficienter se accusat, dicendo: ter fornicatus sum, quia est eadem specie malitia: deberet tamen numerus personarum exprimi, si fornicatio cum inductione, scandalo, vel occasione proxima coniuncta foret. 5° Qui incepta copula fornicaria se retrahit, peccat graviter, tum per inceptam fornicationem, tum per pollutionem consummatam, tum per positivam impeditionem prolis, si eam intendat. 6° Eunuchus vel frigidus habens copulam tenetur suum statum Confessario explicare, quia cum non habeat verum semen, inutiliter provocat semen foeminae, adeoque peccato fornicationis, et peccato contra naturam peccat. 7° Quando quis in copula non servat debitum modum, sed vel sedendo, vel viro succumbente, non committit fornicationem specie diversam, modo servetur vas naturale, et non sit periculum effusionis seminis extra illud. Ita Sanchez, cui tamen alii contradicunt.

## Art. 4. *De Stupro, Raptu, et Adulterio.*

Stuprum quid? — § 633. Altera species Luxuriae est *Stuprum*, seu concubitus soluti cum soluta adhuc Virgine, ipsa invita. Si vero Virgo invita per vim opprimitur, dicitur *Stuprum violentum*. Quare si absit dolus, violentia, aut metus iniuste incussus, Stuprum non continet speciem peccati a simplici fornicatione distinctam, nec circum-

stantia Virginitatis violatae in Confessione necessario explicanda est, quia adhuc est concubitus soluti cum soluta, et Virgini in sui deflorationem consentienti non infertur iniuria, nec eius parentibus, quia puella habet libertatem in corpus suum. Si vero Stuprum violenter Virgini invitae illatum fuerit, sive si etiam invitam sine eius consensu quis opprimat, specie distinctum peccatum a simplici fornicatione committit, quia gravissimam illi iniuriam infert, et consequenter etiam contra iustitiam peccat.

*Coroll. Pract.* 1° Stuprum proprio est defloratio Virginis, ipsa invita. Hoc committit, qui Virginem fatuam, ebriam, aut dormientem sine praevio eius consensu opprimit. 2° Stuprum est in Confessione specialiter explicandum, si Virgo fraude per magnam dotis aut matrimonii promissionem, aut gravi metu, etiam reverentiali, inducta sit, quia sic consensus per gravem iniuriam extortus fuit. Resolvuntur casus.

§ 654. Tertia species Luxuriae est *Raptus*, quo persona aliqua cum violentia abducitur ad turpem actum exercendum. Est peccatum mortale, et nova species iniustitiae peccato Luxuriae superaddita. Raptus quid?

*Schol.* Quaeri hic potest, an factum Beniamitarum Israelitarum filias rapientium *Iud.* 21. verus Raptus, et peccatum fuerit. Respondetur negative; quia hoc factum Beniamitarum non fuit iniusta violentia, cum hoc egerint auctoritate publica de mandato Primorum populi, et propter bonum commune, ne tota tribus periret: nec enim Beniamitae poterant ducere alienigenas ob prohibitionem legis, et omnes alii Israelitae iuraverant, se illis non daturos filias suas. An Beniamitae peccaverint filias Israelitarum rapiendo?

*Coroll. Pract.* 1° Ad Raptum requiritur violenta abductio personae, sive per violentam manuum iniectionem, sive per metum gravem, sive per mandatum alteri datum ad vim inferendam. Unde 2° non est Raptus, si puella sponte consentiat, licet eius parentes, vel tutores non consenserint. 3° Requiritur ad Raptum, ut sit vera abductio de loco in locum moraliter diversum, qualis non est, si quis de cubiculo in cubiculum, de domo in domum vicinam, mulierem inducat. Denique fieri debet ad actum turpem cum ea exercendum. Resolvuntur casus

§ 655. Quarta species Luxuriae est *Adulterium*, seu violatio tori alieni, quod fit vel dum solutus accedit ad coniugatam, vel dum coniugatus ad solutam, vel coniugatus ad coniugatam, quod est duplex Adulterium. Adulterium est species Luxuriae ab aliis distincta, et peccatum mortale. Nam adulter peccat contra fidem datam in contractu Sacramentali Matrimonii, in quo usum sui corporis soli coniugi tradidit. Ergo non solum contra castitatem; sed etiam contra iustitiam peccat, et quidem contra sextum praeceptum Decalogi, *Non moecaberis;* ac merito 1. *ad Cor.* 6. *Adulteri regnum Dei non possidebunt.* Adulterium quid, et quale peccatum?

*Coroll. Pract.* 1° In Confessione exprimi debet Adulterium soluti cum coniugata, coniugati cum soluta, coniugatae cum soluto, so- Resolvuntur casus

lutae cum coniugato, et coniugati cum coniugata, et vicissim, quia duplex adest malitia contra castitatem et iustitiam. 2° Ratio Adulterii non cessat, licet unus coniux in copulam cum alieno consentiat: uti patet ex propositione ab Innocentio XI. damnata: quia coniux nequit renuntiare statui matrimoniali. 3° Adulterium mentale committitur, quando coniux concupiscit alienum, vel si morose delectetur de copula imaginaria cum alieno.

### Art. 5. *De Incestu et Sacrilegio.*

Incestus quid, et quale peccatum? § 656. Quinta species Luxuriae est *Incestus*, qui est peccatum Luxuriae commissum sive per copulam, sive per tactus, et oscula etc. impudica, inter personas cognatione coniunctas. Est autem Incestus determinata species Luxuriae. Siquidem in usu venereorum circa consanguineos, et affines in gradibus prohibitis reperitur specialis et multiplex repugnantia usui recto venereorum: tum quia in actibus venereis est quaedam turpitudo reverentiae consanguineis, et affinibus debitae contraria: tum quia continua conversatio cum consanguineis aperiret viam omnibus impudicitiis, si non esset prohibita: tum quia amor carnalis nimium excresceret.

An omnes incestus sint eiusdem speciei? *Schol.* 1. Omnes Incestus in quocumque gradu videntur esse eiusdem speciei, quia gradus consanguinitatis, et affinitatis solo iure positivo prohibiti, et Matrimonium dirimentes ex eodem motivo prohibentur, quo illi, qui iure naturae sunt prohibiti, scilicet, ut servetur honor propinquis debitus, removeatur occasio libidinis, et multiplicentur amici: ergo sunt eiusdem speciei. Deinde varii Incestus solum differunt secundum maius, et minus, scilicet maiorem vel minorem indecentiam: ergo sunt eiusdem speciei.

An Loth incestum commiserit? *Schol.* 2. Loth cum filiabus suis concumbens a peccato Incestus excusatur, quia ille fuit Lotho omnino involuntarius, utpote non praevisus: ergo non fuit peccatum (§ 421.). Filiae vero eius a peccato excusari vix possunt; nam horrore facinoris deterritae ab ebrio nesciente extorserunt, quod a vigilante et sano nunquam obtinuissent.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Incestus etiam committitur per oscula, tactus etc. cum consanguinea vel affine usque ad quartum gradum inclusive. 2° Licet omnes incestus sint eiusdem speciei, alii tamen sunt aliis graviores. Sic gravior est incestus cum consanguinea, quam cum affine: gravior in 1° quam in 2° gradu, etc. gravissimus in primo gradu lineae rectae cum matre: unde tamquam circumstantiae notabiliter aggravantes exprimi debent in Confessione. Incestus in 1° et 2° gradu lineae rectae, et collateralis: caeteri non videntur notabiliter aggravare. 3° Qui peccat carnaliter cum cognata legali ratione adoptionis, committit incestum ab aliis specie distinctum in 1° et 2° gradu in Confessione exprimendum. 4° Qui peccat cum cognata spirituali, committit incestum ab aliis specie distinctum in Confessione exprimendum; non tamen requiritur, ut explicetur, an cogna-

tio spiritualis sit ex Baptismo, vel Confirmatione: nec an sit paternitas, vel compaternitas, quia non est deformitas notabiliter gravior.

§ 657. Sexta species Luxuriae est *Sacrilegium*, quod est violatio rei sacrae per actum venereum, quod sive ratione personae sacrae, sive loci sacri, sive rei Deo consecratae committitur. Est speciale peccatum mortale Luxuriae, quia est etiam contra Religionem, cum sit indigna rei sacrae tractatio. Sacrilegium carnale quid, et quale peccatum?

*Coroll. Pract.* 1° Quando persona sacra Deo per votum castitatis consecrata Luxuria contaminatur, sive per actus turpes, sive per delectationes morosas, tam in se, quam in alia persona non sacra: item quando persona non sacra concupiscit sacram, vel impudice cum ea agit: item quando utraque persona est sacra; semper committitur Sacrilegium in Confessione explicandum, et quidem in ultimo casu duplex. 2° Sufficit poenitenti dicere, se peccasse contra votum castitatis, vel cum persona voto castitatis obstricta hoc, vel illo modo, si tantum voto simplici sit adstrictus, vel sacris initiatus: si vero sit persona Religiosa, videtur adesse circumstantia notabiliter aggravans in Confessione explicanda: non tamen requiritur, ut poenitens explicet, se esse Sacerdotem, aut Episcopum, vel alias voto simplici se teneri, aut saepius iterasse, nisi novum peccatum scandali accessisset. 3° Sacrilegium carnale etiam committitur per copulam carnalem, vel voluntariam seminis humani effusionem in loco sacro cultui Divino deputato, qualis est Ecclesia a tecto interiori usque ad pavimentum, et coemeteria benedicta: unde excluduntur loca non benedicta, uti Sacristia, turres, tectum exterius, etc. non autem requiritur, ut semen effundatur in pavimentum, sed alius quicumque locus sufficit. 4° Colloquia, aspectus, et tactus impudici in loco sacro non sunt proprie Sacrilegia, nisi sint admodum enormes, et coram aliis. 5° Copula coniugalis ob periculum incontinentiae in loco sacro, si coniuges exire non possint, v. g. tempore obsidionis, non est Sacrilegium, sed licita. 6° Committitur Sacrilegium carnale, quando circa res sacras, vasa sacra, vel eorum interventu impudica aguntur: non tamen est Sacrilegium exercere copulam fornicariam cum rebus sacris ad collum appensis, si quis eis ceu instrumentis ad turpia non utatur, excepta SS. Eucharistia ad collum appensa. Resolvuntur casus.

## Art. 6. *De Pollutione.*

§ 658. Septima species Luxuriae est *Peccatum contra naturam*, quod quadruplex est: Primum est *Pollutio*, sive mollities seu effusio seminis humani extra concubitum voluntarie procurata: quae est intrinsece mala, et peccatum mortale. 1° Quia *ad Gal.* 5. et *ad Eph.* 5. immunditia, seu pollutio dicitur a regno Dei excludere. 2° Pollutio est contra primarium finem, ad quem semen a natura est destinatum, qui est conceptio prolis, et generis humani propagatio: ergo est intrinsece mala. 3° Si in aliquo casu liceret procu- Peccata contra naturam. Pollutio quid et quale peccatum?

rare pollutionem, homines ob maximam voluptatem ad infinitos pene casus hanc licentiam contra ordinem naturae, cum maximo damno speciei humanae, extenderent. Proinde Innocentius XI. merito damnavit hanc propositionem: *Mollities iure naturae prohibita non est: unde si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona, et aliquando obligatoria sub mortali.*

Resolvuntur casus.

*Coroll. Pract.* 1° In nullo casu ne quidem ad servandam vitam licet quaerere, intendere, vel procurare pollutionem. 2° Pollutio involuntaria in somno culpa vacat: peccatum vero est, si per causam studiose, et directe ante somnum procurata, et causa non retractata sit: item si quis consequenter de ea delectetur carnaliter: item si ab expergefacto promoveatur. Pollutionem tamen in somno, vel alias contra voluntatem exortam teneris in quantum potes cohibere, internam displicentiam elicere, et alio phantasiam avertere: nec debes eam unquam manibus reprimere; quod ratione consensus maxime periculosum est. 3° Si actio, ex qua praevidetur pollutio, vel motus ex natura sua notabiliter influit in pollutionem, uti actus venerei, tactus, oscula, aspectus, etc. sequens pollutio, etsi non intenta, sed tantum praevisa, est mortale; quia sic censetur quis velle pollutionem. 4° Si actio sit tantum venialiter mala, uti aspectus curiosus, turpe iocosum verbum, pollutio secuta contra voluntatem, et sine consensu, erit tantum veniale: mortale vero erit, si periculum consensus praevisum fuerit. 5° Quando actio, ex qua praevidetur pollutio, sed non intenditur, non est peccatum Luxuriae, sed alterius generis, v. g. ebrietas; pollutio secuta contra voluntatem, nisi sit praevisum periculum consensus, non est peccatum grave, sed veniale, quia per accidens sequitur. 6° Quando actio de se est honesta, et licita, et adest rationabilis causa necessitatis, vel utilitatis ponendi illam, licet timeatur pollutio, dummodo non intendatur, et absit periculum consensus, pollutio non erit peccatum: hinc licet vacare studio casuum, excipere Confessiones, recreationis causa equitare, cibos, et potus calidos temperate sumere, licet contra voluntatem sequatur pollutio, quae subinde etiam ex subito terrore oritur: resistere tamen quis debet consensui, et spiritualia remedia ad hoc adhibere; quae si nihil proficiant, ita ut quis soleat in pollutionem consentire, tunc quis ab his actionibus abstinere teneretur. 7° Si pollutio mere naturalis habita in somnis placeat, ut naturae exoneratio, et alleviatio, peccatum non est, eamque affectu simplici, et inefficaci desiderare propter bonum finem, non videtur esse peccatum, iuxta P. Billuart. Alii tamen cum P. Soto etc. docent, esse peccatum. In praxi praestat, ab hac complacentia et desiderio omnino abstinere propter periculum. 8° Fricare verenda ad procurandam pollutionem est mortale; ad depellendum vero molestum pruritum, quin pollutio intendatur, si statim cessetur, quando turpis motus advertitur, non est peccatum; secus, si quis fricare pergat. 9° *Distillatio* est fluxus humoris cuiusdam medii inter urinam et verum semen: si fiat

praeter intentionem, sine sensu carnis vel levissimo, non est peccatum: secus est, si cum tali sensu fiat. 10° Etiam foeminae habent pollutiones tum interius, tum exterius; unde de his Confessarius caute quaerere potest.

ART. 7. *De Sodomia, et Bestialitate.*

§ 659. Alterum peccatum contra naturam est *Sodomia perfecta*, quae est congressus duorum eiusdem speciei, maris cum mare, vel foeminae cum foemina, cum seminatione inter partem praeposteram. Sodomia perfecta quid?

§ 660. Tertium peccatum contra naturam est concubitus cum debito quidem sexu, scilicet maris cum foemina, sed extra vas naturale in parte praepostera, et vocatur *Sodomia imperfecta*. Utraque est distincta species Luxuriae, et peccatum mortale. Nam *ad Rom.* 1. Apostolus ait, *Gentilium sapientes propter suam idololatriam esse traditos in reprobum sensum, et in hanc passionem ignominiosam, ut foeminae mutarent naturalem usum, et masculi in masculos exarserint.* Hinc Deus misit ignem super Sodomam, et Gomorrham hoc vitio se inquinantes. Certe patet enormitas huius peccati ex ipsa eius notione, quod ita est contra naturam, ut etiam bestiae illud perhorrescant. Sodomia imperfecta quid?

*Coroll. Pract.* 1° Mollities, Sodomia, et Bestialitas non sunt peccata eiusdem speciei infimae, uti patet ex propositione 24ª ab Alexandro VII. damnata; adeoque non sufficit in Confessione dicere, se procurasse pollutionem. 2° Sodomia potest habere adiunctas alias malitias, Incestus, Sacrilegii, Adulterii, etc. 3° Sodomita in Confessione debet explicare, an fuerit agens, vel patiens, quia agens committit pollutionem. 4° Dum quis ad se polluendum utitur instrumento inanimato, non committit quidem Sodomiam; haec circumstantia tamen ob singularem turpitudinem in Confessione explicanda est. Resolvuntur casus.

§ 661. Quartum peccatum contra naturam est *Bestialitas*, quae est coitus hominis cum bestia. Estque distincta species Luxuriae, et peccatum mortale, uti patet ex ipsa eius notione, et poena in illud lata, *Lev.* 20. ubi iubetur, ut bestia, et bestialista simul interficiantur. Apud Christianos vero modo flammis addicuntur. Bestialitas quid, et quale peccatum?

*Coroll. Pract.* 1° Non opus est in Confessione explicare, qualis fuerit bestia, an equa, an capra, etc. quia non differunt in genere moris. 2° Si concubitus fiat cum daemone, praeter malitiam bestialitatis, adest etiam malitia superstitionis ob societatem cum daemone; et sub diversa specie, sub qua apparet, potest etiam adesse species Incestus, Adulterii, et Sodomiae: non tamen debet explicari, an daemon fuerit incubus, vel succubus, nisi adsit Sodomia, quia non mutatur species. 3° Coitus cum foemina mortua, praeter pollutionem, contrahit malitiam illam specialem, v. g. adulterii, quam quis affectat. Resolvuntur casus.

**Art. 8. *De Actibus Luxuriae imperfectis, osculis, tactibus, etc.***

Actus luxuriae imperfecti tactus, etc. sunt peccatum mortale

**§ 662. Recensiti hucusque actus Luxuriae sunt consummati. Actus** imperfecti sunt, oscula, tactus, amplexus, aspectus, et turpiloquia, quae si fiant propter delectationem veneream, maxime inter solutos, sunt peccata mortalia. 1° Enim *ad Eph.* 5. immundi excluduntur a regno Dei: sed nomine immunditiae ab Interpretibus communiter etiam oscula, etc. intelliguntur: ergo excludunt a regno Dei. 2° Complacentia in osculis etc. est de obiecto mortaliter malo, quia consistit in delectatione venerea, seu commotione humorum generationi servientium, quae ex natura sua ordinatur ad pollutionem, et fornicationem; imo est inchoata pollutio: ergo sicut pollutio (§ 658.), sic etiam haec mortaliter mala sunt, quia sunt in genere Luxuriae, ubi non datur parvitas materiae (§ 651. n. 2.).

Resolvuntur casus

*Coroll. Pract.* 1° Oscula et amplexus, si non fiant causa delectationis venereae, sed ut signa amicitiae secundum consuetudinem patriae, non sunt peccata. 2° Delectatio tantum sensibilis sine libidine, ex sola proportione obiecti cum organo tactus, et visus naturaliter orta, per se loquendo culpa vacat; raro tamen deest omne peccatum, quia moraliter vix possibile est, ut non exurgat carnalis delectatio, aut periculum illius. Hinc practice non est probabile, tactus, etc. inter solutos causa delectationis sensibilis studio procuratos, culpa carere mortali; secus, si fiant ex ioco, aut levitate, non attendendo ad ullam delectationem, nisi tales tactus, et aspectus forent valde impudici, v. g. verendorum inter personas diversi sexus, qui etiam ex curiositate facti ob grave periculum a mortali excusari non possunt. Mitius quidem sentit P. Layman de aspectu turpi inter personas eiusdem sexus, et proprii corporis; si tamen fiat sine iusta causa, et advertatur periculum pravae delectationis, non potest excusari a mortali. Si vero hi aspectus fiant a Medico, Chirurgo, etc. ut medicina applicetur, sine periculo consensus, licent. Item si ancillae vestiendo tangant impudice pusiones, secluso tamen affectu venereo, hoc non est peccatum 3° Qui partes turpes brutorum ex curiositate tangunt, et fricant, etiam usque ad pollutionem, non excusantur a mortali, quia haec libidinem valde excitant. 4° Oscula, tactus, et aspectus, etc. etiam inter sponsos, sunt mortalia. Inter coniuges vero, si fiant ut incitamenta ad copulam coniugalem, culpa vacant: si solius voluptatis gratia, cessante periculo pollutionis, sunt venialiter mala: notat tamen P. Antoine, in praxi hos actus in multis maxime iuvenibus coniugibus esse mortales ob periculum proximum pollutionis; unde Confessarii eos tolerare non debent. Coniux vero seipsum ob solam voluptatem, non vero copulae causa tangens, etiam cessante periculo pollutionis, graviter peccat, quia non habet ius in proprium corpus ad usum venereum. 5° Tactus impudici, etc. inter personas eiusdem sexus graviora sunt peccata mortalia quam inter personas solutas diversi sexus; quia tendunt ad pollutionem, quae gravior est

fornicatione simplici. Item si fiant a persona coniugata, vel cum coniugata, spectant ad speciem adulterii; quae omnia, una cum pravis desideriis, in Confessione explicanda sunt. 6° Turpia loqui, audire, scribere, pingere, legere, canere, ex affectu venereo, aut ad eum excitandum, est mortale: si fiat ex necessitate, vel utilitate, nullum est peccatum: si ex curiositate, levitate, ioco, seclusos candalo, et periculo consensus in rem veneream, est veniale. Audientes obscoena, si rideant et gaudere videantur, modo non de re turpi, sed solum de artificioso, et lepido modo proponendi rideant, vel ne ab aliis convitiis lacessantur, absente scandalo, tantum venialiter peccant. Item verba scurrilia, et inurbana, sine intentione libidinis, plerumque sine gravi scandalo, sunt venialia.

### Art. 9. *De Delectationibus morosis.*

§ 663. Ad actus imperfectos Luxuriae spectant etiam *Delectationes morosae*, quando quis de obiecto venereo voluntarie delectatur, sine voluntate illud opere explendi: et *Desideria lasciva*, quando quis obiectum turpe cogitatum exequi desiderat, quae si cum plena advertentia, et voluntarie admissa sint, peccatur mortaliter, tum ob periculum consensus, ob vehementiam naturae in actum perfectum: tum quia non solum actus, sed etiam affectus ad peccatum mortale malus est, uti patet ex dictis de vitiis et peccatis. Delectationes morosae sunt peccatum mortale.

*Coroll. Pract.* 1° Delectatio voluntaria de cogitatione rei venereae, non est de se peccatum: delectatio vero morosa seu consensus plene deliberatus in delectationem rei venereae, semper est peccatum mortale. Signa vero, quod aliquis non consenserit, sunt: si sit timoratae conscientiae, et raro in hac materia externe peccet; secus est, si sit liberioris conscientiae, et frequenter peccet. Item si instantanea tantum, et fugitiva adhaesio fuerit. Plura alibi de vitiis et peccatis. 2° Motus impudici voluntarie procurati, vel non procurati cum consensu, et complacentia, sunt peccata mortalia. 3° Remedia contra Luxuriam sunt: 1. Frequens oratio. 2. Invocatio Beatissimae Virginis Mariae Immaculate Conceptae. 3. Frequens Confessio, et Communio. 4. Mortificatio. 5. Meditatio Novissimorum. 6. Fuga occasionum, otii, ebrietatis, et familiaritatis cum altero sexu. 7. Exercitium praesentiae Dei.

## CAP. VIII.

### *De Virtutibus Temperantiae annexis et vitiis illi oppositis.*

§ 664. Expositis huensque partibus subiectivis Temperantiae, et vitiis illis oppositis, explicandae restant partes eius potentiales, seu virtutes illi annexae, quae sunt: Mansuetudo, Clementia, Humilitas, Studiositas, Modestia, Eutrapelia: et vitia illis opposita, scilicet: Ira, Crudelitas, Lenitas, Superbia, Abiectio animi, Curiositas, Negligentia, Petulantia, Insolentia. Partes potentiales Temperantiae.

Mansuetudo quid? Ira quid, et quale peccatum? § 665. *Mansuetudo* est virtus moderatrix irae. *Ira* igitur per excessum illi opponitur, quae est inordinatus appetitus vindictae, cumque charitati etiam contrarietur, est de se peccatum mortale; licet ex imperfectione actus, vel levitate materiae veniale esse possit. Per defectum illi opponitur *irae vacuitas*, cum scelera vindicare oportet.

Filiae Irae. *Schol.* Ira est peccatum capitale, cuius filiae sunt, 1. Indignatio. 2. Tumor mentis. 3. Clamor. 4. Contumelia. 5. Blasphemia. 6. Rixa.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Peccaminosa Irae inordinatio contingit tum ex parte modi irascendi, quando quis nimium interius excandescit, vel exterius per signa Iram prodit, aut vindictam iustam, maiori cum vehementia repetit, quam recta ratio postulat: haec Ira per se est peccatum veniale; per accidens vero fit mortale ob grave damnum sibi in sanitate, vel alteri illatum: tum ex parte obiecti, appetendo vindictam iniustam, vel iusta maiorem: v. g. imprecando mortem non promeritam, vel repetendo etiam vindictam ex odio, vel erumpendo in gravia maledicta, blasphemias, et contumelias: quae inordinatio est graviter peccaminosa. 2° *Indignatio* est quaedam accensio cordis inordinata, propter illa, quae contra voluntatem nostram fiunt. *Ira* est motus vehementior, et libido se vindicandi. *Iracundia* est consuetudo irascendi. 3° Iniusta vindicta censetur, si appetatur alicui poena, qui malum non egit: si maior poena delicto: si sine debito ordine iuris: si sine debito fine ad bonum tuendum, et malum puniendum: si sine debito ordine, in quibus Ira vel grave vel leve peccatum ob gravitatem vel levitatem vindictae appetitae, vel indeliberationem erit. 4° Remedia contra Iram sunt: consideratio malorum corporis et animae ex Ira provenientium, poenae illi statutae, exemplum Christi, voluntaria poenitentia sibi ipsi iniuncta, quando quis irascitur, etc.

Clementia quid? Crudelitas. § 666. *Clementia* est virtus moderans poenas ex animi lenitate, in quantum ratio iustitiae patitur. Opponitur illi per excessum *Crudelitas*, per quam homo ex animi austeritate propensus est ad exigendam Saevities. poenam ultra meritum culpae. A crudelitate differt *Feritas* seu *Saevities* in eo, quod crudelitas attendat culpam, seu excedat modum in poena: saevities vero non attendit culpam, sed tantum hominum cruLenitas. ciatu delectatur. Per defectum Clementiae opponitur *Lenitas*, qua quis contra dictamen rationis mitigat, aut remittit poenas, quas reus ex praescripto legum subire deberet. Crudelitas, vel lenitas pro substrata materia sunt vel mortale, vel veniale peccatum.

Humilitas quid? § 667. *Humilitas* est virtus, qua quis considerans suos defectus tenet se in infimis, secundum modum suum, vel quae temperat appetitum tendendi ad excelsa. Opponitur illi per excessum *Superbia*, seu inordinatus appetitus propriae excellentiae. Per defectum nimia *sui Abiectio* cum contemptu, et neglectu proprii muneris, et damno eorum, quibus quis praeest. Superbia de se est peccatum mortale, quia opponitur subiectioni hominis erga Deum; subinde tamen est veniale.

Superbia quid? Filiae et *Schol.* Superbia est vitium capitale, cuius filiae sunt: 1. *Praesumptio*, et manifestatio excellentiae suae per aggressionem operis supra

vires. 2. *Vana gloria*, qua quis inordinate appetit laudem humanam. 3. *Iactantia*, qua quis verbis: 4. *Ostentatio*, qua quis factis opera sua depraedicat. 5. *Hypocrisis*, qua quis fictis signis gloriam quaerit. 6. *Ambitio*, qua quis inordinate dignitates affectat. Quatuor sunt species Superbiae: 1. Cum quis aestimat, bona, quae habet, habere a seipso, 2. Cum aestimat, ca se habere a Deo, sed ex propriis meritis. 3. Cum arrogat sibi bona, quae non habet. 4. Quando in bonis, quae habet, caeteris despectis, vult illis praeferri plus quam decet. Superbia alia est *perfecta*, per quam homo adeo se extollit, ut Deo eiusque voluntati subiectus esse nolit: alia *imperfecta*, quae sistit in nimia sui aestimatione. Species Superbiae.

*Coroll. Pract.* 1° Velle excellere, secundum se est indifferens, imo honestum, si fiat ex honesto fine, ad promovendam gloriam Dei, et salutem proximi: si vero appetitus quiescat in propriae excellentiae complacentia, est vitium Superbiae. 2° Superbia perfecta (Schol. praec.) est grave peccatum, quia continet directam aversionem mentis a Deo. 3° Superbia imperfecta, sistens in nimia sui aestimatione, est de se peccatum veniale, nisi accedat gravis iniuria proximi, per gravem contemptum, infamationem, oppressionem illius: vel si Superbia sit causa violandi grave praeceptum. 4° *Praesumptio* est ex genere suo peccatum veniale; fit autem per accidens mortale, si gravis iniuria Deo, aut damnum proximo inferatur, v. g. praesumendo officium Medici, Confessarii etc. sine debita scientia, vel exponendo se periculo peccati. *Vana gloria* per se est veniale; fit autem mortale ratione materiae, gloriando de re mala, vel prorumpendo in contumelias graves erga proximum; quod idem de *Iactantia* et *Ostentatione* dicendum est. *Ambitio* per se veniale est; fit autem mortale vel ratione materiae, ex qua honor inordinate petitur; vel ratione mediorum illicitorum, quibus dignitas quaeritur, vel ratione damni, quod proximo infertur; vel ratione periculi aeternae salutis, quod dignitatem ambitam comitatur, et ab ambiente vix effugietur. 5° Si in vestitu quaeratur cupiditas aliis placendi, sine malo fine, sicut et fucus faciei illitus, non exceditur veniale: si vero grave scandalum subsit, ad alios seducendos, vel si ornatu nimis pretioso impediatur solutio debitorum; a mortali quis non excusabitur, quia graviter nocet proximo. 6° *Hypocrisis* est graviter mala, si finis sit graviter malus: v. g. si quis simulet castitatem, ut alium ad grave peccatum seducat; secus vero, si finis sit leviter malus: v. g. ut quis ab hominibus laudetur. 7° Remedia contra Superbiam sunt: timor poenarum a Deo superbis intentarum: odium aliorum, quod superbus in se provocat: exemplum Christi humiliantis se: consideratio vanitatis, quae humanae laudi inest, quae cito transit, saepe errat, et facile variatur. Resolvuntur casus

§ 668. *Studiositas* est virtus moderans appetitum, et studium veritatis cognoscendae secundum regulas rectae rationis. Per excessum illi opponitur *Curiositas*, quae est superflua cognoscendi, et discendi cura: qui excessus vel est ex parte obiecti, si quis velit cognoscere Studiositas quid? Curiositas.

ad se non pertinentia; vel ex parte modi, si quis rerum ad se pertinentium cognitionem assequi conetur mediis illicitis, aut intempestivis animae, et corpori noxiis laboribus. Per defectum opponitur illi Negligen- *Negligentia*, quae est voluntaria omissio eorum discendorum, quorum tia. cognitio ad cuiusque statum pertinet. Haec vitia pro substrata materia possunt esse vel peccata mortalia, vel venialia.

*Coroll. Pract.* 1° Curiositate quatuor modis peccatur: 1° ratione *Obiecti*, quando quis scire cupit nec Dei gloriae, nec suo muneri, nec proximi utilitati necessaria, v. g. Sacerdos, vel Religiosus scientias profanas, quarum intemperans studium si eom a suis obligationibus avocet, graviter peccat. 2° Ratione *Subiecti*, si scientias officio suo non convenientes inquirat, v. g. Advocatus reiectis libris iuridicis, Astronomiae soli intentus, qui ratione damni clienti suo inde emergentis graviter peccat. 3° Ratione *Finis*, si scientia ad aucupandam vanam gloriam dirigatur. 4° Ratione *Circumstantiarum* peccat, qui alterius secreta revelari sibi cogit, illicitis mediis scientiam occultorum quaerit, novas opiniones Religioni praeiudiciosas procudit etc. Vid. Ill. Godeau *Theol. mor. parte.* 1.

Modestia quid? § 669. *Modestia* est virtus, quae motus et corporis gestus externos secundum rationis praescriptum moderatur. Per excessum illi Petulantia Rusticitas. opponitur *Petulantia*: per defectum *morum Rusticitas*. Est et alia Modestia in cultu externo, quae in corporis ornatu, et externarum rerum apparatu mediocritatem servat: cui per excessum opponitur Insolentia. *Insolentia*, seu modus insuetus in apparatu vestium, conviviorum, et supellectilis. Quae iterum pro ratione materiae sunt levia, vel gravia peccata.

Eutrapelia quid? § 670. *Eutrapelia* est virtus, quae in dictis, et factis ludicris ad recreationem animi, et corporis institutis, decorem servat. Per excessum illi opponitur, si illiberale, immodestum, petulans, contumeliosum, flagitiosum, obscoenum iocandi genus usurpetur: vel genus ludendi, et iocandi honestum loco, et tempore indebito, vel contra dignitatem ludentis, aut illius, coram quo luditur, exerceatur. Per defectum peccatur, cum quis ob animi austeritatem, vel morositatem tum sibi ipsi omnem honestam recreationem interdicit, tum in aliis impedire conatur. In his pro ratione materiae, graviter, vel leviter peccari potest.

## SECTIO II.

### De quarta Virtute Cardinali, seu Iustitia.

## CAP. I.

### De Iustitiae notione, partibus, et obiecto.

Iustitia quid? § 671. Quarta virtus Cardinalis est *Iustitia*, quae est constans et perpetua voluntas, ius suum cuique tribuendi. Sive est virtus moralis firmans voluntatem ad perpetuo alteri reddendum ius suum ad aequalitatem.

*Schol.* Ius in hac definitione sumitur pro debito rigoroso, seu re alteri debita; per aequalitatem vero intelligitur commensuratio rei reddendae cum debito alterius.

§ 672. Partes subiectivae seu species Iustitiae sunt: 1. *Iustitia commutativa,* quae dirigit commutationes, commercia, et contractus, ut in illis servetur perfecta aequalitas inter mercem, et pretium, adeoque servat proportionem arithmeticam, seu aequalitatem rei ad rem, et dati ad acceptum. 2. *Iustitia distributiva*, quae est virtus inclinans communitatem, seu eius Principem ad servandam proportionem debitam, sive geometricam inter ea, quae distribuuntur, et conditionem personarum, quibus distribuuntur, ita ut secundum merita, dignitates; secundum bona, onera distribuantur: hae duae species vocantur *Iustitiae particulares*, quia bonum particulare primario respiciunt. 3. *Iustitia legalis*, seu generalis, quae est virtus firmans voluntatem privati, ad tribuendum communitati, quod ei debitum est ratione iuris alti, quod habet communitas in personas privatas, ut nimirum eius bonis pro commodo publico uti possit. *Iustitia vindicativa* potest revocari partim ad distributivam, quatenus male meritis pro qualitate criminis poenam imponit: partim ad commutativam, quia servat aequalitatem rei ad rem, poenae ad culpam: hinc definitur: Virtus reddens malefactori poenam culpae eius debitam, et adaequatam. Partes eius subiectivae. Commutativa Distributiva Legalis. Vindicativa.

*Schol.* Tres conditiones ad Iustitiam veram essentialiter requiruntur: 1. Debitum rigorosum, quia debitum morale simplicis honestatis est commune etiam aliis virtutibus. 2. Æqualitas, vel arithmetica, vel geometrica; quia per hanc Iustitia ab aliis virtutibus differt. 3. Alteritas non tantum personarum, quia Iustitia rectificat operationes ad alterum; nemo enim sibi ipsi proprie debet; sed etiam iurium, quia ius est radix debiti legalis, et mensura constituendae aequalitatis inter debitorem, et creditorem. Hae conditiones conveniunt speciebus Iustitiae mox recensitis, ubi ordo partis ad partem fundat Iustitiam commutativam; totius ad partes, distributivam; partis ad totum, legalem. Haec legalis Iustitia etiam est in Principe, quatenus est custos, et rector boni publici, quia sic tenetur ad conservationem boni publici; et tunc vocatur *Nomothetica*: specialiter autem est in eo, si consideretur ut pars reipublicae, quia sic ob nexum politicum tenetur ad procurandum bonum commune instar civis. Requisita ad Iustitiam.

§ 673. Partes potentiales Iustitiae sunt: Religio, Pietas, Observantia, Veracitas, Gratitudo, Vindicatio, Liberalitas, Amicitia, de quibus inferius. Partes potentiales Iustitiae

§ 674. Obiectum materiale Iustitiae remotum, et mediatum sunt res debitae, quae commutantur, vel distribuuntur: proximum vero et immediatum sunt actiones, per quas ponitur aequalitas, sive, quibus hae res commutantur, vel distribuuntur; uti venditio, mutuum etc. obiectum vero cui, est persona, quae habet ius activum, seu cui aequalitas debetur: nam aequalitas immediate introducitur in actiones, et quidem plerumque externas, et his mediantibus in res. Obiectum eius materiale

Obiectum formale. § 675. Obiectum formale quod Institiae, est ius specifice sumptum pro aequalitate inter ius activum unius, et ius passivum, seu obligationem alterius, quia Iustitia per suos actus hanc aequalitatem primo intendit (§. 671.). Obiectum vero formale quo, est honestas huius aequalitatis, utpote per quam Iustitia ab omni alia virtute distinguitur, cuius est, reddere alteri, quod iustum est.

*Schol.* Iustitia est vera virtus, quia facit bonum habentem (§. 544.); et quidem specialis, quia speciale obiectum habet. Subiectum eius proximum est voluntas, ad cuius actus rectificandos ordinatur. Item Iustitia principaliter versatur circa operationes voluntatis, quae sunt ad alterum, et secundario solum potest versari circa passiones, imperando actus virtutum circa passiones versantium, v. g. mansuetudinis, ne ex inordinata passione irae proximus damnificetur. Iustitia etiam in suis operationibus primario attendit medium rei, seu medium re ipsa inter excessum et defectum, uti sunt decem floreni ad debitum decem florenorum; non vero medium rationis, seu medium inter excessum et defectum per intellectum, quod spectat ad alias virtutes morales, v. g. talem mensuram cibi esse servandam; ubi si haec mensura etiam nimis parva fuisset, cognito tamen errore non tenetur quis eam recompensare; cum e contra, quando quis solvit 10. florenos, putans se non plus debere, cum tamen re ipsa 20. debeat, servat quidem medium rationis, non vero rei, adeoque cognito errore tenetur 10. superaddere. Denique quia ius est obiectum Iustitiae, obiectum vero seu specificatum est prius, et praesupponitur ad habitum; ideo Theologi inscribunt hunc tractatum: *de Iure, et Iustitia*, et non *de Iustitia, et Iure*, uti Civilistae fundati in *l. 1. ff. de Iust. et Iure.* Nota vero: Ius hic accipitur prout idem est ac iustum, non quidem generaliter, sed specifice, sive pro eo tantum iusto, quod est debitum rigorosum, ut adaequatum cum iure alterius: adeoque ius aliud est *passivum*, quod est ipsum debitum; aliud *activum*, quod definitur.

## CAP. II.

### *De Iure, eiusque divisione.*

Ius activum quid? § 676. *Ius activum* est legitima potestas ad aliquam rem obtinendam vel retinendam, aut ad aliquid faciendum, ita ut ab illius obtentione, retentione, vel ab illa actione facienda licite quis impediri non possit.

Quotuplex? *Schol.* 1. Ius activum ex parte principii dividitur in *naturale*, et *positivum*, idque vel *Divinum*, vel *humanum*, quod ultimum iterum dividitur in *Ius gentium*, *civile*, et *Canonicum*, de quibus egimus *cap.* 9. Ex parte termini ius activum dividitur in *ius ad rem*, quod quis habet, ut res sua fiat, adeoque dat actionem in personam, quae alieni devincta est, seu personalem: ad hoc refertur ius, quod quis habet per electionem, postulationem, et praesentationem ad Benefi-

cium. Et in *Ius in re*, quod quis habet in re iam sua, et obtenta: et dat actionem in rem, seu realem, quae quocumque transit, ab habente hoc ius repeti, et vindicari potest. Species iuris in re sunt: dominium rei, usus, ususfructus, habitatio, emphyteusis, feudum, libellus, superficies, servitus, pignus et hypotheca et possessio, de quibus nunc pluribus.

*Schol.* 2. Inter ius in re, et ius ad rem notabile discrimen est; cui enim competit ius in re, habet facultatem, rem in quocumque loco et in cuiuscumque manibus sit, et ubicumque illam repererit, repetendi; et quicumque eam receperit, ex iustitia, illam restituere tenetur. Sic equum suum Petrus furto sibi ablatum, ubicumque eum invenerit, repetere potest, licet forte equum alius bona fide emerit, quia Petrus habet ius in re, et omnis res cum suo onere transit ad alium. Ius vero ad rem non tribuit huiusmodi facultatem in rem ipsam sed tantum iustum titulum, et ius aliquod inchoatum ad acquirendum illius rei dominium; ex quo fit, ut si quis impediatur a consecutione talis rei, ad quam ius habet, non possit rem ipsam vindicare, atque in iudicio repetere; sed dumtaxat actionem personalem instituere adversus eum, qui eum impedit vel impedivit ab eius consecutione. Differentia inter ius in re, et ad rem.

*Schol.* 3. Est autem *Actio* in genere ius persequendi in iudicio, quod sibi debetur: § 1. *Inst. de Action.* dicitur autem *in iudicio*, quia nemo sibi ipsi ius dicere potest. Porro Actio alia est *realis* seu *in rem*, quae etiam *Vindicatio* dicitur, et est illa, quae rei adhaeret, adeo ut a quocumque repeti et vindicari possit, et siquis probet, rem esse suam, possessor etiam in iudicio eam restituere debet; de quo vide meas *Inst. I. E. tom.* 3. § 960. *Schol.* Alia est Actio *personalis* seu *in personam*, quae proxime tendit in personam nobis obligatam ex contractu aliquo vel delicto: dicitur autem *personalis*, quia ita personae cohaeret, ut contra alium, qui rem illam forte detinet, institui non possit. Sic si mutuo dedisti Caio 100. florenos, quos ille Titio donavit, actio tibi solum contra Caium, non vero contra Titium competit. Actio quid, et quotuplex?

## CAP. III.

### *De Dominio.*

§ 677. Primaria species iuris in re est *Dominium*, quod est ius reale disponendi de re aliqua tamquam sua. Dominium quid?

*Schol.* 1. Dominium dividitur in *dominium iurisdictionis*, quod est ius gubernandi suos subditos in ipsorum commodum; scilicet, praecipiendi, prohibendi, iudicandi, puniendi, praemiandi; hi enim actus ad gubernandum spectant: et in *dominium proprietatis*, quod est ius disponendi de re aliqua tamquam sua in suum commodum, nisi quis lege prohibeatur. Dominium proprietatis subdividitur in *perfectum*, et *plenum*, quod continet proprietatem et emolumenta rei: ac in *semiplenum*, et *imperfectum*; quod vel est *directum*, quando Quotuplex?

continet nudam rei proprietatem, sine emolumentis, cuius dominus vocatur Proprietarius; vel *utile*, quod continet fructus, et emolumenta rei, sine proprietate, quale habet Usufructuarius, Emphyteuta, Feudatarius, seu Vasallus.

An detur dominium duorum in solidum?

*Schol.* 2. Quaeritur hic, an simul dari possit dominium plenum duorum in solidum, sive an penes duos, vel plures non partialiter, sed totaliter spectatos possit simul esse dominium plenum et perfectum, totale et eiusdem rationis in eamdem rem eodem modo sumptam. Respondetur negative; quia alias esset dominium totale, et non esset, quia secum compateretur aliud dominium totale, a quo posset impediri, quoad usum et exercitium sine iniuria, quod est contra essentiam dominii pleni (Schol. praec.).

### Art. 1. *De Usufructu, et Usu.*

Usufructus quid?

§ 678. Dominium semiplenum seu imperfectum est ius imperfecte de re disponendi; quod vel est directum, vel utile (§ 677. Schol. 1.). Prima species dominii utilis est *Ususfructus*, qui est ius utendi, ac fruendi re aliena, salva eius substantia, *l. 1. ff. de usufructu.*

Resolvuntur casus.

*Coroll. Pract.* 1° Usufructuarius omnes fructus ex re fructifera percipere potest, etiam pensiones, et redditus ex aedibus, et areis; venationes, piscationes, lapidicinas, metalli fodinas, ubi tamen decima pars metallorum ad dominum proprietatis spectat. 2° Ususfructus non potest proprie constitui in rebus usu consumptibilibus, v. g. pecunia, frumento etc. sed tantum quasi ususfructus, et aestimatio earum. 3° Usufructuarius non potest alienare rem, in qua usumfructum habet, sine domini proprietarii consensu, licet alter nomine usufructuarii fructus percipere possit. 4° Usufructuarius debet rem sibi concessam diligenter colere, et non deteriorare: debet etiam impensas ad annuam fructuum perceptionem, collectas, et tributa praestare: *l. usufructu. ff. de usufructu.* 5° Ususfructus cessat, si usufructuarius cum domino proprietatis cedat: § *Finitur. Inst. de usufructu.* Si tota res pereat: *l. Repeti. ff. Quibus modis ususfructus.* Si tempus conventum sit finitum: *l. Ambiguitatem, c. de usufr.* Si usufructuarius moriatur: *l. 2. ff. de usufr.* Vid. *Inst. I. E. tom. III. pag.* 131.

Usus quid?

§ 679. Altera species dominii semipleni est *Usus*, seu ius utendi tantum re aliena, salva eius substantia: *l. 1. ff. de usu et habit.*

An usus in rebus uno actu consumptibilibus a dominio separari possit?

*Schol.* Usus alius est *iuris*, seu utendi tantum re aliena, salva eius substantia: alius est usus *facti*, qui est legitima quidem, sed nuda rei alienae usurpatio ab alieno nutu dependens, et citra iniuriam quocumque momento revocabilis. Iam certum est, usum iuris non posse separari ab omni dominio, quia hic usuarium facit dominum rei, saltem quoad utilitatem. Item certum est, usum facti, si sit irrevocabilis, involvere aliquod dominium, nempe ius ad hanc ipsam irrevocabilitatem. Item certum est, ipsum usum facti revocabilem, esse separabilem a dominio in rebus unico actu non

consumptibilibus, uti patet in Religiosis, qui utuntur rebus Monasterii, quin aliquod dominium, aut ius irrevocabile in eas habeant, cum ob Votum Paupertatis sint incapaces dominii. Iam vero de usu facti licito, et revocabili circa res unico actu primario consumptibiles quaeritur, an a dominio separari possit. Occasionem huic quaestioni dederunt Fratres Minores S. Francisci de Observantia, quibus in S. Regula sua prohibetur, habere sive in communi sive in particulari ullius rei dominium; dubium enim emersit, an etiam rerum unico actu consumptibilium, v. g. cibi, et potus, non haberent dominium, et an usus in illis a dominio separari possit. Ita censuit Clemens V. in *Clement. Exivi*, Nicolaus III. *c. Exiit*, *de verb. sign. in* 6. et Gregorius IX. qui declararunt, Fratres Minores simplicem usum habere suorum mobilium unico actu consumptibilium; dominium vero manere penes Papam, qui ideo Fratribus Minoribus Syndicos constituit, qui nomine Papae eleemosynas Fratribus datas acciperent, et ipsis pro necessitate distribuerent. Hoc tamen negavit Ioannes XXII. ab Okam et aliis offensus in *Extravag. Ad Conditorem*: qui hoc dominium a se abdicavit, et Syndicos constitui prohibuit, qui nomine Ecclesiae haec bona administrarent. Sed subsequentes Pontifices denuo receperunt, et ad hunc usque diem retinuerunt. Adeoque communis est Theologorum sententia, quod usus in rebus unico actu consumptibilibus a dominio separari possit: tum 1. quia usus revocabilis est separabilis a dominio; qui enim concedit alteri potestatem utendi re sua, retinendo facultatem eam pro libitu revocandi, concedit usum et retinet dominium, quia potestatem utendi revocare valet sine novo contractu interveniente: ergo usus a dominio separari potest; et quidem si quilibet Religiosus habeat merum usum rerum sibi concessarum sine omni dominio reali, cur non etiam tota communitas Fratrum Minorum poterit habere talem usum sine dominio etiam imperfecto? tum 2. quia conviva habet usum ciborum sibi appositorum, nec tamen eorum est dominus, quia semper ab invitante prohiberi potest, qui cibos appositos removere et pauperibus largiri potest: tum 3. quia dominium rerum uno actu consumptibilium non habet, nisi qui illud acceptare voluerit; sed Fratres Minores possunt nolle acceptare dominium harum rerum, sed solum usum pro dantis, aut alterius nutu revocabilem, uti approbarunt citati antea Pontifices: ergo habent usum sine dominio. Non obstat I. quod Ioannes XXII. in *Extrav. ad Conditorem*, vocet hanc sententiam iuri, et rationi contrariam. *Resp.* Haec controversia non spectat ad fidem; unde Ioannes contrariam sententiam tenuit, et suis successoribus rem determinandam reliquit. II. Qui re per usum consumptibili uti potest, habet potestatem illam destruendi: ergo habet dominium. *Resp.* Qui rem independenter a revocatione alterius destruere potest, habet eius dominium; secus, si solum dependenter ab alio. III. Non potest quis uti rebus consumptibilibus, salva eo-

rum substantia: ergo dominium ab usu earum non distinguitur. *Resp.* Usus rerum non consumptibilium, qualiter in iure sumitur, supponit salvam eorum substantiam: non vero usus consumptibilium.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Cui concessus est nudus usus, v. g. horti, non omnes ex eo fructus percipere, vel alienare, sed tantum potest in eo ambulare, poma, olera, et reliqua ibi nata, ad suum, familiae et hospitum victum adhibere. Item qui nudum usum habet gregis ovium, vel vaccarum, non potest percipere pecorum fructus, foetus, lanam, lac, nisi modicum ad victum quotidianum; potest tamen uti pecoribus ad agros stercorandos, *l. plenum; ff. de usu et habit.* Denique usuarius ius suum alteri vendere, locare, aut concedere non potest: § 1. *Inst. de usu et habit.*

Habitatio quid? § 680. Tertia species dominii semipleni est *Habitatio*, seu ius habitandi in alienis aedibus, salva earum substantia; § *item* 15. *Inst. de usu et habit.*

§ 681. Quarta species est *Emphyteusis*. Quinta, *Feudum*. Sexta, *Libellus*. Septima, *Superficies*. Octava, *Pignus et Hypotheca*; de quibus infra de Contractibus.

### Art. 2. *De Servitute et Possessione.*

Servitus quid? § 682. Ad dominium semiplenum reducuntur Servitus et Possessio. *Servitus*, est ius in re aliena alteri constitutum, quo dominus rei in commodum alterius aliquid pati, aut non facere tenetur.

Quotuplex? *Schol.* Servitus alia est *activa*, quae est ius, quod quis habet in re alterius, ut sibi, vel rei suae serviat: alia est *passiva*, seu ipsa rei subiectio in commodum alterius. Rursus alia est servitus *realis*, qua res rei servit, v. g. domus domui, cuius aquas excipit: alia est *personalis*, qua res personae obligatur, v. g. transeundi agrum alienum: vel persona rei, v. g. Titius, agrum meum colendi. Servitus realis alia est *urbana*, quae praedio urbano, seu habitaculo patrisfamilias, sive in urbe, sive in vicis debetur; estque vel *affirmativa*, quae obligat ad ferendum quid positivum, cuius species sunt: servitus oneris ferendi, stillicidium, tigni immittendi; vel est *negativa*, quae obligat ad aliquid non faciendum, uti altius non tollendi, luminibus non officiendi. Alia servitus est *rustica*, quae praedio rustico distincto ab urbano habitaculo debetur: uti iter, seu per alienum fundum etiam equo transeundi, actus seu ius agendi iumentum, vel vehiculum: via, aquaeductus, adaquandi, pascendi, calcis fodiendae. Utraque haec servitus dividitur in *continuam*, cuius usus continuo durat: *quasi continuam*, cuius actus, quia a causis naturalibus pendet, non semper existit, est tamen semper in potentia, uti stillicidii: et *discontinuam*, cuius a libera hominis actione dependens non semper datur, uti iter actus, etc.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Servitutes comparantur vel pacto, vel ultima voluntate, vel usucapione 10. annis inter praesentes, 20. inter absentes. 2° Ad possessionem servitutum comparandam requiritur,

ut actus ex debito fiat, non vero ex gratia, et ut alter sciens patiatur actum exerceri, si sint affirmativae; si vero sint negativae, possidentur per unicum actum prohibitionis cum scientia, et patientia illius, qui prohibetur: *Gloss. in c. Abbates, de verb. sing.* Vid. *Inst. I. E. tom.* 3. § 961. *et seq.*

§ 683. *Possessio* est detentio rei, corporis, et animi, iurisque adminiculo: vel si sumatur pro iure possidendi, est ius insistendi alicui rei tamquam suae non prohibitae possideri. Possessio quid?

*Schol.* Possessio alia est *Naturalis* seu *facti tantum*, quae fit animi, et corporis adminiculo, qualiter rem possidet invasor: alia est *Civilis* seu *iuris tantum*, quae fit animi tantum, et iuris adminiculo, qualiter rem ab invasore raptam verus dominus possidet: alia est *Mixta*, seu iuris et facti simul, quae est naturalis, et civilis simul; uti rem possidet dominus. Quotuplex?

*Coroll. Pract.* 1° Privilegia possessionis sunt, quod possit praescribere: melior est conditio possidentis: in iudicio petitorio habet praesumptionem pro se; potest quis possessionem suam tueri: ante omnia restituitur in integrum. Possessio immemorialis supplet omnes praesumptos defectus, nec patitur inquisitionem de titulo. 2° Possessio acquiritur tum apprehensione vera, quae in rebus corporeis fit manibus, aut pedibus: tum apprehensione ficta, per traditionem clavium etc. tum apprehensione civili, per solam legis dispositionem. 3° Amittitur possessio, voluntate cedendi, per oppignorationem, commutationem etc. per fugam, diuturnam absentiam etc. de quibus Iurisperiti. Vid. meas *Inst. I. E. tom.* 3. § 978 *et seq.* Resolvuntur casus.

### Art. 3. *De obiecto dominii.*

§ 684. Obiectum dominii sunt omnes res sublunares, quae sub dominio hominis cadere possunt. Nam omnes hae natura sua sunt homine inferiores, et ad illius commodum ordinatae. Ergo de illis libere disponere, adeoque dominium habere potest (§ 677). Obiectum dominii.

*Coroll. Pract.* 1° Homo igitur est dominus famae suae, utpote quam proprio labore acquirere, ablatam in iudicio repetere, et satisfactionem postulare potest. 2° Unus homo cadere potest sub dominium alterius hominis; servitus enim nec iure naturali prohibetur, quia homo habet dominium utile sui corporis: nec iure Divino, uti patet tum ex Veteri Testamento, *Exod.* 21. tum ex Novo 1. *ad Cor.* 7. nec iure humano, uti patet ex variis locis Iuris etiam Canonici. Servitus autem introducta fuit iure gentium; sed nunc ex iure novo nulla servitus inter Christianos admittitur, exceptis regionibus Americanis, ubi Americani servos habent, et iure retorsionis etiam barbaros Christiani servos faciunt. 3° Servitus acquiritur vel titulo nativitatis, dum quis nascitur ex matre serva, licet patre libero vel iure belli: vel iusta condemnatione, vel emptione. 4° Servis, seu mancipiis ex emptione, vel matre serva, vel ex iusta sententia, non licet fugere, quia illi sunt de rebus domini; hi Resolvuntur casus

vero tenentur parere iustae sententiae. Servis vero, qui ad peccatum sollicitantur, vel quibus dominus mortem intentat, aut necessaria vitae denegat, aut in bello iusto captis, licet fugere, non tamen dominis detinentibus, aut persequentibus vim inferre; quia tum servitus, tum fuga ad suos iure gentium introducta fuit. 5° Ius dominii in servos extendit se ad omnes eorum operas, et fructus, ita ut, quidquid servus acquirit, domino suo acquirat, nisi aliter conventum fuerit: potestatem tamen vitae et necis in servos dominus non habet: *Inst. de his qui, etc.* 6° Homo est dominus bonorum spiritualium tam externorum, uti sunt iurisdictio spiritualis, Episcopatus, iura Beneficiorum, scientiae, etc. quam internorum, uti gratiae, virtutum, etc. quia haec acquirit sua industria, vel dispositive, vel meritorie. 7° Homo e contra non est dominus vitae suae, et membrorum, sed tantum custos, et usuarius; et solus Deus est Dominus, *Sap.* 16. quia vita ceu fundamentum dominii est prior omni dominio, nec illam propria industria acquirere vel relinquere possumus. 8° Nec Princeps, nec respublica habet dominium directum in vitam, et membra civium, sed indirectum tantum, in quantum quorumdam vita est bono publico nociva. 9° Quando fama alicuius est necessaria proximo, non potest libere de ea disponere, vel eam negligere, uti Praelatus ad gubernandos subditos, etc. sed neglectus famae est contra iustitiam. Secus vero diffamare se, vel famam negligere sine rationabili causa, est tantum peccatum prodigalitatis.

### Art. 4. *De subiecto dominii.*

Subiectum dominii. § 685. 1. Subiectum dominii capax est omnis, et sola natura intellectualis, quia omni, et soli naturae intellectuali competit fundamentum dominii, scilicet intellectus, et voluntas, per quae habet potestatem disponendi de suis actibus, et per actus de rebus externis (§ 677.).

2. Etiam peccatores, et Infideles sunt capaces dominii. Sic Concilium Constantienses damnavit hanc propositionem Wicleffi: *Nullus est Dominus civilis, nullus est Praelatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.* Et 1. *Petr.* 2. dicitur: *Subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis, et modestis, sed etiam dyscolis.* Item S. Scriptura pro veris dominis agnoscit Principes Infideles, uti Pharaonem, etc. et Reges peccatores, uti Salomonem, et Achabum. Deinde nec Infidelitas, nec peccatum privat hominem libero arbitrio, quod est fundamentum dominii (§ 677.). Ergo peccatores, et Infideles sunt illius capaces.

3. Item parvuli, et amentes sunt capaces dominii. Nam *ad Gal.* 4. *v.* 1. dicitur: *Quanto tempore haeres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium.* Deinde licet ad actualem usum dominii requiratur usus rationis, non tamen requiritur ad dominium habituale, quod immediate fundatur in potentiis; alias dormiens,

vel ebrius dominium amitteret. Denique parvulis, et amentibus iniuriam facit, qui eorum bona rapit, quae nec ad Principem, nec ad rempublicam, nec ad curatores spectant. Ergo sunt eorum domini.

*Schol.* Igitur praeter Deum, et Angelos solus homo est capax dominii. Verum specialis difficultas occurrit circa nonnulla subiecta particularia, scilicet Clericos, Religiosos, filiosfamilias, maritos, et uxores, an et quale dominium habeant: quia tamen hic nodus plura adhuc dicenda praesupponit, eum suo loco aptius dissolvemus; et nunc ad modos acquirendi dominium progredimur.

### Art. 5. *De Divisione rerum temporalium.*

§ 686. Modus acquirendi dominium sibi soli proprium, divisionem, rerum praesupponit. Hanc divisionem rerum et dominiorum contra Wicleffum docentem, omnia bona temporalia adhuc esse communia, dicimus 1. esse iustam, quia iam in Veteri Testamento Patriarchae multa dicuntur possedisse divisim, nec tamen amici Dei esse desierunt: et ideo merito damnati sunt haeretici, *Apostolici* dicti, qui negabant, salvari quemquam posse, nisi omnibus divitiis, et dominiis renuntiaret. Divisio rerum est iusta et conveniens.

2, Haec divisio est conveniens; nam per eam in statu naturae lapsae paci, et concordiae consultum fuit: si enim Abraham, et Loth viri iusti nequibant habitare communiter, eo quod substantia eorum multa foret, et quasi indivisa, quid de aliis minus piis futurum? Quot bella, et lites? dum unusquisque rem communem in usu suam facere vellet. Deinde per divisionem res melius tractantur, et conservantur, cum quivis de proprio magis, quam de communi sit sollicitus.

3. Haec divisio facta est iure gentium: non enim facta est iure naturae, quod eam nec praecipit, nec ad eam ut simpliciter necessariam, sed tantum ut convenientem inclinat. Nec est facta iure Divino positivo, quod nec ex S. Scriptura, nec ex Traditione colligitur. Ergo iure gentium, quatenus homines attenta naturae corruptione cognoscentes gravia incommoda ex communitate bonorum orta, divisionem tamquam vitae sociali magis convenientem communi consensu saltem tacito introduxerunt. Cum vero haec incommoda in statu Religioso non sint timenda, et iis per curam Superiorum, et obedientiam subditorum satis sit provisum, commune bonorum dominium merito in eo retinetur.

4. Divisio rerum iam ante Diluvium facta fuit. Nam *Gen.* 4. Abel obtulit *de primogenitis gregis* NB. *sui.* Maior divisio facta fuit post Diluvium, ubi *Gen.* 10. dicitur filius Heber vocatus esse Phaleg, quia in diebus eius *divisa est terra*, ibique describuntur termini habitationis filiorum Noe cum posteris eorum. Unde S. Epiphanius *haeresi* 66. tradit, Noe divisisse terram filiis suis, ita ut Sem Asiam, Cham Africam, Iaphet Europam obtinuerit. Quoad minores portiones, nepotes eorum occuparunt loca sibi magis commoda, quae tunc

nullius erant. Denique vel auctoritate Principum, vel inventione, vel contractibus portiones magis particulares factae fuerunt.

Solvuntur obiectiones. *Schol.* 1. Dices I. Divisio rerum est contra ius naturae, quo omnia sunt communia. *Resp.* Iure naturae tantum permittente, non vero praecipiente omnia sunt communia. II. SS. PP. dicunt per iniquitatem factam esse divisionem rerum, et divites non debere dicere: hoc est meum. *Resp.* Volunt occasione iniquitatis, ut evitetur, factam esse divisionem, et divites ad eleemosynas hortantur. III. Ante divisionem quilibet habebat ius utendi omnibus rebus, quo iure per divisionem privatus est: ergo est iniqua. *Resp.* Privatus est exigente bono communi, quae iactura compensatur per appropriationem, et usum partis concessae.

Res quotuplices? *Schol.* 2. In divisione rerum quaedam res *communes* manserunt, uti aer, imber etc. quaedam res integris communitatibus datae fuerunt, dictae res *publicae*, uti theatra: quaedam res *nullius* manserunt, uti ferae, quaedam factae sunt *singulares*. Porro facta hac rerum divisione, videndum modo est, quomodo earum dominium acquiratur.

## CAP. IV.

### *De modis acquirendi dominium.*

Ad acquirendum dominium in genere requiritur titulus et traditio. § 687. Igitur ad acquisitionem dominii sive pleni sive semipleni ordinarie requiritur titulus, simul et traditio: *l.* 31. *ff. de acq. rer. dom.*

Titulus quid? *Schol.* *Titulus* est ratio fundandi dominium. Alius est titulus *verus* seu vera causa acquirendi dominium: alius est *praesumptus*, qui pro se bonam fidem habet. Porro dictum est, ordinarie requiri titulum et traditionem: nam subinde solus titulus sine traditione sufficit, uti in donatione, venditione, etc. uti infra patebit. Vid. *Inst. I. E. tom.* 3. § 953.

### Art. 1. *De Occupatione.*

Modi acquirendi dominium. § 688. Modi acquirendi rerum dominia speciales, varii sunt, qui *tit.* 1. *Inst. de rer. div.* recensentur. Praesertim vero acquiritur dominium rerum, 1. Occupatione. 2. Accessione. 3. Per Praescriptionem. 4. Per contractum dominii translativum. Occupatio quid? *Occupatio* est rei vacantis, seu nullius, corporalis apprehensio, cum animo eam habendi ut suam.

Quotuplex? *Schol.* *Res vacantes* proprie sunt illae, quae necdum ab ullo sunt occupatae: unde etiam *res nullius* vocantur: si vero habuerunt aliquando dominum, modo tamen cum amiserunt, vocantur *res derelictae*. Venatio. Res vacantes et derelictae occupantur, vel per *Venationem*, quae est occupatio ferorum animalium terrestrium in naturali libertate existentium: Piscatio. vel per *Piscationem*, vel per *Aucupium*: Aucupium. quorum illa animalia aquatilia, hoc volatilia occupat: vel per *Inventionem*: Inventio. res autem inventae, sunt triplicis generis: aliae nunquam dominum

habuerunt; uti insula in mari nata, gemmae et lapilli in maris litore: aliae dominium habuerunt, nunc autem eo carent, quia pro *derelictis* habentur; uti merces in mare proiectae sine animo et spe recuperandi: *l. Si iactum, ff. de furtis.* Item *Thesaurus*, qui § *Thesauros Inst. de rer. div.* definitur: Vetus depositio pecuniae, vel similis rei, ut de eius depositione, vel dominio nulla cognitio, aut memoria extet: aliae res inventae sunt, quorum dominus, etsi non procul abesse credatur, tamen inculpabiliter ignoratur, quae dicuntur *bona incerta*; uti loculus argento plenus in via repertus. Thesaurus. Bona incerta.

§ 689. Res vacantes, et derelictae fiunt primo occupantis. De rebus animatis vacantibus, constat ex *l.* 1. *ff. de acq. rer. dom.* De rebus vacantibus inanimatis, patet ex *l.* 3. *ff. de rer. div.* Res vacantes fiunt primo occupantis.

*Coroll. Pract. I.* 1° Animalia ex natura sua mansueta, uti canes, etc. licet longius a conspectu domini sui fugerint: item emortuorum animalium pelles, non sunt res nullius, adeoque ad proprios dominos pertinent: *l. Pomponius famil. herciscundae.* 2° Animalia ex natura sua fera, cicurata, uti cervi, columbae, etc. ad proprium dominum spectant, si consuetudinem ad eum revertendi retineant, vel custodia eius detineantur; imo arte vel fraude huiusmodi animalia ad se allicere, species furti est, et ad restitutionem obligat. Si vero reverti desierint, ad naturalem feritatem rediisse censentur, et fiunt primo occupantis. Quod idem dic de examine apum. 3° Ferae quae cicurari non possunt, uti apri, pisces, et varia avium genera, acquiruntur per occupationem, earumque dominium tamdiu quis retinet, quamdiu in eius custodia detinentur; uti apri in vivariis, pisces in lacubus, aves in caveis: postquam vero in naturalem libertatem se receperunt, ita ut difficilis sit earum consecutio, primo occupanti cedunt, nisi loci consuetudo aliter ferat: *Gloss. in* § *Singulorum. Inst. de rer. div.* Quod si vero ferae in custodia magnae vastitatis, magis natura loci, quam hominum industria constituta, conclusae contineantur, uti cervi in saltibus, pisces in rivis, ita ut earum captura sit valde difficilis, et dubia, manent in naturali libertate, et ad nullius dominium spectant: *l.* 3. § *item ff. de sequi. poss.* Hinc qui has feras per iniuriam extrahit, proprie furtum non committit, sed iniustum damnum, ad cuius compensationem tenetur. 4° Si fera ab uno tale vulnus accepisset, ut certo constaret, percussoris manum effugere non posse, illi tradenda est: si dubium sit, pro rata dubii inter vulnerantem et capientem dividi debet. 5° Venatio ferarum ex duplici capite illicita fit. 1. Si Princeps iusto titulo tale ius acquisivit. 2. Si Princeps a tempore immemoriali ius venandi in locis publicis sibi vindicavit; tunc enim alii iniuriam illi inferunt, et puniri possunt, qui contra eius decretum venari praesumunt: prima tamen vice mitiori poena affici debent: si saepius repetant, graviori. Iniquus tamen venator in foro conscientiae non tenetur captas feras ante sententiam Iudicis restituere, quia earum tamquam nullius per occupationem dominium acquisivit: peccat tamen graviter, vel leviter, pro Resolvuntur casus de feris, venatione, etc.

ratione periculi, cui se exponit, et damni iuri Principis illati, ad cuius reparationem tenetur, nisi sit leve in ordine ad ius venandi, ubi ordinarie Princeps poena transgressori indicta contentus est. Idem dicendum de captura piscium in fluminibus. 6° Si Princeps lege lata prohibeat, ne quis in locis publicis, vel sibi propriis venetur, nullo interveniente pacto subditorum, tenetur ad cavenda damna a feris illata, et ad eorum compensationem tenetur. Si vero per liberum populi consensum, aut renuntiationem ius venandi accepit, sive si illud ante distributionem terrae in subditos sibi reservarit, ex iustitia ad praecavenda damna, et illata per feras compensanda non tenetur, nisi forent immodica, vel constet, populum hoc ius cessisse ea lege, ut damna praecaveat, et resarciat.

Resolvuntur casus de thesauro. *Coroll. Pract. II.* 1° Thesaurus in proprio fundo repertus ad inventorem spectat: si vero in alieno fundo, v. g. a mercenario, reperiatur, partim ad inventorem, partim ad dominum fundi spectat: si vero in alieno fundo de industria non sine iniuria domini reperiatur, totus ad dominum fundi spectat; quia tamen haec lex est poenalis, quoad dimidiam partem ante sententiam iudicis non obligat. Si sciens in alieno agro thesaurum latere, eum communi pretio emat, nullam facit domino iniuriam, et dominus thesauri inventi efficitur, quia non censetur fructus fundi, nisi eruatur. Thesaurus repertus in loco publico, ad nullius speciale dominium spectante, licet spectet ad dominium iurisdictionis alicuius Principis, vel administrationem Ecclesiae, totus est inventoris: § *Thesaurus*, *Inst. de rer. div.* putant tamen nonnulli, partim ad inventorem, partim ad Principem vel

De rebus derelictis. Ecclesiam spectare. 2° Si rem pro derelicta a domino habitam quis occupaverit, statim eius dominus efficitur. Pro derelicto autem habetur, quod dominus ea mente abiecit, ut in numero rerum suarum esse nolit: unde bona naufragantium vi tempestatis in mare proiecta, vel levandae navis causa: item quae per eluvionem abripiuntur, non sunt bona derelicta, sed domino restituenda; quae si quis ex mari expiscetur, non quidem retinere, pretium tamen laboris, et periculi repetere, vel nisi solvatur, de re recuperata retinere potest. 3° Res inventae, quarum dominus inculpabiliter ignoratur, si earum dominus post diligentem inquisitionem non compareat, iuxta multos, ob praesumptam voluntatem domini, pauperibus erogandae, vel ad pium usum applicandae sunt; quod etiam praescribit Catechismus Romanus *par.* 3. S. Thomas 2. 2. *q.* 62. *a.* 5. *ad.* 3. Alii vero valde probabiliter dicunt, esse inventoris; quia pro derelictis habentur. Prudentis vero viri arbitrio determinandum est, quanto tempore inventor expectare debeat, donec rem inventam in suos usus convertere possit, v. g. promulgatione in vicinis Ecclesiis facta, in rebus maioris momenti post unum, et alterum annum; in rebus levibus post unum, et alterum mensem. Quod si vero post alienationem, et absumptionem bona fide factam dominus compareat, nihil ipsi restituendum est, nisi in quantum quis locupletior factus fuit, nec pauperes

quid restituere deberent, nisi res in specie extet, vel locupletiores facti sint. 4° Bona vacantia, quorum dominus sine testamento decessit, nullo vel incognito haerede, qui ab intestato succedat, ad fiscum devolvuntur: *l. 1. c. de bon. vac.* Si vero peregrinus, vel hospes, cuius haeredes ignorantur, alicubi intestatus decedat, eius bona ab Episcopo loci in pias causas erogari debent: *Authent. Omnes, c. Communia, de Succession.*

### Art. 2. *De Accessione.*

§ 690. Alter modus acquirendi dominium est *Accessio*, quae est ius, quo res aliqua fit nostra, quia rei nostrae tamquam praesupposítae, et principaliori accedit. Accessio quid?

*Schol.* Accessio naturalis fit 1. per *Nativitatem:* sic dominus pecorum fit dominus foetuum, dominus fundi fit dominus arborum, quae in illo crescunt; nam accessorium sequitur principale, per *reg.* 42. *in* 6. § *Item ea, Inst. de rer. divis.* 2° Fit per *Alluvionem*, quae est incrementum ex eo, quod uni praedio alluente flumine demitur, et alteri adiicitur: si hoc fiat, quasi insensibiliter, dicitur *alluvio latens*, et spectat ad eum, cuius fundo adiicitur: si vero avulsio fiat per manifestum fluminis impetum, dicitur *incrementum patens;* hinc si partem notabilem vis fluvii de tuo fundo subtraxerit, manet tua: si vero fundo alieno adhaeserit, et arbores, quas secum traxit, in eo radices egerint, ex eo tempore censetur alieno fundo acquisita. Insula vero in medio fluminis orta communis est praedia in ripa possidentibus, pro modo latitudinis fundi eorum; si non sit in medio, praedio propinquiori accedit: si flumen alveum suum derelinquit, fit eorum, quorum praedia adiacent, pro modo latitudinis eorum: § *Praeterea, Inst. eod.* 3° Accessio industrialis fit per *Plantationem, et Implantationem:* ubi planta sequitur solum, si fixerit in eo radices, et si bona fide in alieno fundo plantata sit, peti potest eius aestimatio: si arbor in tuo fundo agat radices in alieno, utrique fit communis: § *Si Tit. Inst. eod.* ubi tamen hodie potissimum ad ramos propendentes ratione divisionis fructuum etc. attenditur. Sata etiam in solo alieno, domino soli cedunt, ita tamen, ut in bona fide aestimatio rei reddenda sit: aedificium etiam in fundo alieno domino fundi cedit, praestito tamen in bona fide pretio materiae, et impensarum: § *Cum in suo, Inst. eod.* 4° Per *Scripturam*, et *Pictionem*, et *Intexturam:* ubi gemma cedit annulo, tela picturae, si sit pretiosa, et charta Scripturae; refuso tamen eorum pretio, et gemma exclusa: § *Si tamen, Inst. eod.* 5° Per *Specificationem*, quando ex aliena materia nova quasi species fit, v. g. ex auro alieno scyphus; quae si in priorem rudem materiam reduci possit, dominus materiae fit dominus novae speciei; si reduci non possit, cedit specificanti: refundi tamen utrobique debet damnum pro rata, si bona fide factum fuerit; in mala enim fide omnia perduntur Si materia communis utrique fuerit, cedit specificanti, damno alteri refuso: § *Cum ex aliena, Inst. eod.* 6° Quotuplex?

Per *Confusionem:* si duae materiae fluidae, ex voluntate dominorum, vel easu confundantur, totum corpus ipsis commune efficitur: si vero uno volente, et altero nolente, aut ignorante materia utriusque confundantur, totum est illius, cuius est principale, cum obligatione reddendi aestimationem rei alienae. 7° Per *Commixtionem:* si duo solida v. g. frumenta ex voluntato dominorum commisceantur, massa fit communis: si secus, invito suum pro rata refundi debet: § *Quod si frumentum, Inst. eod.* Nummi soluti commixti propriis, ita ut discerni non possint, transeunt in dominium accipientis, sive bona sive mala fide dati fuerint; sic tamen ut domino competat actio furti contra furem: *l. Si alieni, ff. de Solut.*

Art. 3. *De Praescriptione.*

Praescriptio quid? § 691. Tertius modus acquirendi dominium est per *Praescriptionem*, quae est acquisitio dominii per possessionem, bona fide cum debito titulo et tempore legitimo continuatam. Differt ab Usucapione, sicut effectus a causa: *Usucapio* enim iuxta *l. 3. ff. de usurp. et usucap.* est abiectio dominii per continuationem possessionis temporis lege definiti. Hinc fere pro eodem accipiuntur.

Requisita ad Praescriptionem. *Schol.* Conditiones ad legitimam Praescriptionem requisitae sunt: 1° *Res apta praescribi*, quae a iure non prohibetur. 2° *Bona fides*, quae est credulitas, qua quis sibi rationabiliter persuadet, rem, quam possidere incipit, esse suam, aut saltem nescit esse alienam (*Reg. 2. iur. in 6.*). 3° *Titulus* (*l. 24. c. de rei vind.*), qui vel est *verus*, et nullo substantiali vitio laborat: vel *coloratus*, et *apparens*, qui occulta nullitate laborat, v. g. si a Titio emas rem, putans esse Titii, cum sit Caii: vel *existimatus*, qui prudenter creditur intervenisse, et tamen non intervenit, v. g. si quis ex haereditate rem possideat, quae a patre empta dicitur, cum tamen empta non sit: vel *praesumptus*, quando ne quidem allegari potest certus titulus, sed tantum praesumitur intervenisse ob longitudinem temporis. 4° *Possessio* (*Reg. 3. Iur. in 6.*), quae vel est possessio *facti*, qua insistitur rei, praescindendo an iuste, vel iniuste: vel *iuris*, qua iuste rei insistitur. Possessio facti alia est *naturalis*, qua quis corpore et animo insistit rei: alia *civilis*, qua solo animo res tenetur, licet alter insistat re, et facto. 5° *Tempus* a lege definitum: hoc vel est *breve*, quod est infra 10. annos: vel *longum*, quod inter praesentes habitantes in eodem territorio est saltem 10 annorum, inter absentes 20. annorum: vel *longissimum*, quod est saltem 30. annorum: vel *immemoriale*, cuius nescitur initium.

Art. 4. *De Praescriptionis effectibus.*

Praescriptio dominium transfert. § 692. Praescriptio transfert dominium, non solum in foro externo, ita ut completa praescriptione repetenti rem suam negetur actio, id est, non audiatur in iudicio; sed etiam in foro conscientiae, ita ut ille, qui legitime praescripsit, et postea advertit, rem fuisse alienam,

non teneatur illam priori domino restituere. Nam 1° dominium, quod praescriptione acquiritur, approbat Ius civile, *l. 1. ff. de Usuc.* et Ius Canonicum, *c. Ad aures de Praescript.* 2° Dominium, quod quis praescriptione acquirit, transfertur in eum auctoritate reipublicae, et Principum, per leges ab illis latas, et quidem iuste: nam respublica privatis sua bona auferre potest, si bonum commune, et pax civium hoc exigit, et viri doctrina et pietate insignes hoc necessarium esse iudicant, tum ut puniatur hominum res suas non custodientium socordia; tum ut tollatur incertitudo dominiorum alias futura, si res suas ab aliis diu bona fide possessas repetere liceret; tum ut litibus saepe iniustis, et frivolis ob instrumenta noviter reperta finis ponatur. Ergo praescriptio est iusta in foro conscientiae.

*Schol.* Dices I. Sine culpa nemo re sua privari, nec unus cum alterius damno locupletari debet, quod fit in praescriptione. *Resp.* Sine culpa nemo re sua privari debet, nisi causa publica subsit: nec debet quis locupletari cum damno alterius, si damnum ex iniuria privata auctoritate inferatur; secus, si quis iustae legis beneficio utatur. II. S. Augustinus, *cau.* 33. q. 5. c. 4. ait: *Si nunquam tenuisses eius assensum, numerus te nullus defendisset annorum.* Et S. Raymundus ait: *Consulerem ei (qui aliquid bona fide praescripsit,) ut restitueret, saltem propter ambiguum duplicitatis; si nollet, non auderem sibi dare securitatem, quod sit in statu salvandorum.* *Resp.* S. Augustinus loquitur de mutua coniugum in corpora potestate, quae semper perseverat, nisi uterque in separationem a toro consenserit. S. Raymundus ipse fatetur, S. Thomam, et omnes post eum Theologos sibi esse contrarios, quos et nos tuto sequimur. III. Si Iudex secundum allegata, et probata alicui quid adiudicat, quod certo scit, ad se non spectare, debet tamen restituere, quod certo novit ad alium spectare, maxime quia tunc bona fides cessat. *Resp.* Disparitas est, quod Iudex per sententiam non transferat dominium, sed tantum declaret, ad quem secundum allegata, et probata pertineat; secus fit in praescriptione: deinde illa sententia nititur falsa praesumptione, quae cedere debet veritati; secus vero praescriptio: deinde in dato casu non cessat bona fides, quia potest quis iudicare, rem esse suam beneficio legis. Solvuntur obiectiones.

*Coroll. Pract.* 1° Praescribi non possunt res sacrae, Monasteria, Ecclesiae, Calices, iura spiritualia, v. g. ius cognoscendi causas Ecclesiasticas a laico: nec res communes, sive publicae, ut forum, viae, pontes etc. de quibus Iuristae. 2° Possessor malae fidei nullo unquam tempore praescribit, *c. 2. de praescript.* Bona fides debet durare toto tempore currentis praescriptionis, quae interrumpitur, dum bona fides cessat, in quo ius civile a iure Canonico correctum fuit, *loc. cit.* et c. *Vigilanti de praescript.* Si dubitans possessionem incipiat, bona fides nulla est; stante enim dubio, nequit prudenter iudicare, rem esse suam: imo qui de re iam bona fide possessa dubitare incipit, tenetur inquirere: si dubium vincere non possit, licite Resolvuntur casus

se resolvit ad eam detinendam, quia melior est conditio possidentis. Fides autem requisita debet esse theologice, et iuridice bona, id est, non solum debet esse sine peccato, sed etiam sine ignorantia iuris; ignorantia tamen facti bonae fidei non nocet, *l. 4. ff. de facti et iuris ignorantia*. 3° Ad praescriptionem requiritur titulus saltem rationabiliter praesumptus. Et quidem ad praescriptionem brevis, vel longi temporis 3, 10. vel 20. annorum, debet posse allegari, et probari titulus coloratus, vel existimatus: in praescriptione vero longissimi temporis 30. vel 40. annorum, regulariter ob diuturnitatem temporis titulus praesumitur, nisi ius commune praescribenti resistat: v. g. in Decimis contra Ecclesiam Parochialem, ubi praeter possessionem 40. annorum, etiam titulus, vel tempus immemoriale probari debet. 4° Ad praescriptionem inchoandam requiritur possessio naturalis, et civilis: ad continuandam vero sufficit civilis, *l. 1. et 6. ff. de acquir. possess.* Item possessio debet esse propria, seu fieri nomine proprio, non alieno; unde qui detinent rem nomine alterius, uti depositarius, commodatarius, tutor etc. nunquam praescribunt. 5° Res mobiles privatorum, vel pertinentes ad Ecclesiam cum titulo, praescribuntur spatio trium annorum, tam inter praesentes, quam inter absentes: § 1. *Inst. de Usuc.* sine titulo vero, requiruntur 30 anni *l. Sicut, c. de praescript 30. ann.* Item ad res furtivas, quas aliquis bona fide a fure emit, et ad res immobiles vi occupatas, a bonae fidei possessore praescribendas, 30. anni requiruntur: § *Furtivae, Inst. de Usucap.* Item res mobiles minorennium, nonnisi 30. annis praescribuntur. Res immobiles privatorum cum titulo, inter praesentes spatio 10. annorum, inter absentes spatio 20. annorum; sine titulo spatio 30. annorum praescribuntur: excipiuntur res immobiles a possessore malae fidei ad aliquem per contractum translatae, quae domino ignorante ante 30. annos non praescribuntur. Bona mobilia et immobilia fisco iam incorporata, 30. vel 40. annis praescribuntur: adversus Ecclesiam Romanam, scilicet Lateranensem, et Summum Pontificem, 100. annis praescriptio absolvitur: *c. Illud, de praescript.* adversus Ecclesias inferiores, Hospitalia, causas pias, et civitates, spatio 40. annorum. Res pupillorum tantum, tempore immemoriali praescribuntur, *l. 3. c. de praescr. 30. an.* 6° Praescriptio dormit, quando inchoata ita cessat, ut finita causa, propter quam dormiebat, reviviscat, et posteriores anni computentur cum prioribus, non computatis iis, quibus dormiebat: dormit autem praescriptio tempore belli, et pestis, ubi ius non dicitur, et homines alio fugiunt: quando is, contra quem praescribitur, agere nequit: et quando Ecclesia caret rectore, vel habet impotentem. Praescriptio interrumpitur, quando ita cessat, ut, si reviviscat, posteriores anni non continuentur cum prioribus; quod fit, quando cessat bona fides, vel possessio aufertur: item per interpellationem iuridicam, protestationem, et litis contestationem. 7° Contra Praescriptionem datur beneficium *restitutionis in integrum* ad rem suam recuperandam, quod competit per quadrien-

nium a die, quo quis agere potest: et competit minoribus usque ad annum aetatis 29^um : Ecclesiis, *l. ult. c. de in integr. rest. c.* 1. *de rest. in int. in* 6. absentibus reipublicae causa, et in hostium potestate detentis, *l.* 1. *ff. ex quibus caus.* et currentem contra se praescriptionem invincibiliter ignorantibus: Layman *l.* 3. *t.* 1 *c.* 8. *n.* 20. Vide meas *Inst. I. E. tom.* 3. § 1047. *et seq.* ubi haec materia fuse explicatur.

## SECTIO III.

### *De Contractibus in genere, et in specie.*

### CAP. I.

#### *De Contractus natura, eiusque speciebus.*

§ 693. Quartus modus acquirendi dominium est per Contractum. Porro *Contractus* in genere est duorum, vel plurium in idem consensus, liber et legitimus, signo sensibili manifestatus, quo se invicem, vel saltem unus se alteri obligat ad aliqnid dandum, vel agendum. Contractus quid?

*Schol.* Contractus late sumitur pro quolibet pacto, aut conventione, sive inde oriatur obligatio, sive non; et definitur: duorum, pluriumve in idem placitum consensus. Quod si pariat obligationem, dicitur *Pactum stricte tale*, quod ex se obligat in conscientia, sicut contractus; differt tamen in eo quod contractus pariat actionem civilem; pacto vero tantum conceditur actio praetoria, vel exceptio, quod aliquis non debeat illi solvere 100. florenos debitos, qui sibi centum se daturum promisit. Contractus generatim dividitur, 1. in *expressum*, et *explicitum*, qui fit expressa partium conventione; et *implicitum*, et *tacitum*, qui fit implicite per iuris dispositionem, qualis est tutela, et aliud quodvis officium. 2. Contractus expressus alius est *nudus*, qui fit absque confirmatione iuris civilis, adeoque actionem in iudicio non tribuit: alius est *vestitus*, qui iure confirmatus actionem tribuit. 3. Contractus vestitus alius est *bonae fidei*, in quo iudex potest multa decernere ex aequo et bono, licet verbis expressa non fuerint, uti emptio, locatio: alius est *stricti iuris*, in quo iudex alligatur ad verba contrahentium, uti liberalis promissio etc. 4. Contractus alius est *nominatus*, qui proprium nomen in iure habet, uti emptio, locatio etc. alius est *innominatus*, qui caret nomine determinato, quales sunt hi quatuor: *do, ut des: do, ut facias: facio, ut des: facio, ut facias.* 5. Contractus nominatus vel in utilitatem unius solum contrahentis accipientis, vel dantis cedit in quo nihil ab altero rependitur loco eius, quod datur, et qui in uno tantum obligationem parit, et vocatur *gratuitus;* uti Promissio, Donatio, Commodatum, Precarium, Depositum, quo etiam Testamentum velut Donatio referri potest: vel Contractus nominatus in utilitatem utriusque contrahentis cedit, in quo loco eius, quod datur, reddi et praestari aliquid debet, adeoque ultro citroque obligatio oritur, et Quotuplex?

dicitur contractus *onerosus*; uti Emptio, Venditio, Locatio, Conductio, Census, Cambium, Contractus Societatis, Emphyteusis, Feudum, Libellus, Assecuratio, Mutuum, Hypotheca, Transactio, Ludus, Sponsio. Nos primo de Contractibus gratuitis, deinde de lucrativis agemus, priusquam tamen requisita ad validum Contractum in genere explicaverimus.

### Art. un. *De requisitis ad contractum.*

Ad contractum requiritur consensus internus liber, manifestatus.

§ 694. Igitur ad validum in foro conscientiae Contractum requiritur primo: Consensus internus, et liber ab inadvertentia, et ignorantia, externe manifestatus. 1° Consensum internum requiri, patet ex *l.* 3. *ff. de oblig. Non satis est dantis esse nummos, et fieri accipientis, ut obligatio nascatur; sed etiam hoc animo dari et accipi, ut obligatio constituatur.* Ratio est, quia ad contractum requiritur duarum vel plurium voluntatum conventio (§ 693.). Sed ubi deest consensus internus, nulla est voluntatum conventio. Ergo requiritur consensus internus. 2° Quando deest substantialis in rem consensus, contractus non est validus. Sed hic deest, quando non est liber ab inadvertentia, et ignorantia. Ergo ab his liber esse debet. 3° Contractus est actus commercii humani. Sed ad hoc requiritur, ut signo externo manifestetur. Ergo debet esse manifestatus.

Resolvuntur casus.

*Coroll. Pract.* 1° Non sufficit ad valorem contractus consensus in sola verba, sed requiritur consensus in ipsum contractum, ita ut contractus verbo tenus sine intentione se obligandi in foro conscientiae nullus sit, licet in foro externo validus praesumatur. 2° Contractus in ebrietate, et amentia initus non valet, ex defectu usus rationis, nisi fiat in lucidis intervallis. 3° Error, vel dolus circa substantiam rei irritat contractum, ob defectum consensus: v. g. si quis aurichalcum emat pro auro. Valet vero contractus, si quis erraverit circa qualitates impulsivas, etsi error sit antecedens, vel proveniat ab altero contrahente, vel ab aliquo tertio: v. g. si quis emerit equum decennem, quem putavit esse quinquennem, nisi qualitas teneat se ex parte motivi vel materiae primario intentae. 4° Nullus metus intrinsecus ortus a causa naturali, v. g. morbo, tempestate etc. nec metus extrinsecus a causa libera iuste incussus invalidat contractum, nec facit eum rescindibilem, quia manet voluntarium simpliciter (§ 425.), nec ulla adest iniustitia. Metus vero gravis vehementer conturbans, nec facile superabilis iniuste ab extrinseco incussus, ordinarie quidem contractum non invalidat, facit tamen ob iniuriam illatam rescindibilem: excepto contractu Matrimoniali, Professione Religiosa, promissione et traditione de rebus Ecclesiae, Absolutione a censuris, quae ex metu iniuste incusso facta, a iure sunt irritata. Vid. *Inst. I. E. tom.* 2. § 614. *et seq.*

Persona habilis ad contrahendum.

§ 695. Secundo ad Contractum validum requiritur, ut fiat a persona habente rerum suarum administrationem. Illi enim soli contrahere possunt, qui dominium bonorum suorum in alios transferre pos-

sunt; sed qui non habent rerum suarum administrationem, uti filiifamilias, minores, pupilli, uxores, hoc non possunt: ergo nec valide contrahere possunt.

*Coroll. Pract.* 1° Filiusfamilias pubes, aut pubertati proximus, obligatur tum naturaliter, tum civiliter ex omni contractu, qui non cedit in praeiudicium patris, *l.* 58. *ff. de action.* Hinc potest contrahere de bonis suis castrensibus, quae ex officio suo accipit: non vero de bonis profectitiis, quae ex rebus patris, negotiatione, opera, vel industria sua lucratur: nec de bonis adventitiis, quae filio aliunde per donationem, legatum, vel fortunam obveniunt, quia priorum dominium, posteriorum administratio et ususfructus ad patrem spectat. 2° Pupillus, aut minor 25 annis contrahens, etiam cum auctoritate tutoris, aut curatoris, nec civiliter, nec naturaliter obligatur, circa alienationem suorum bonorum immobilium, aut mobilium pretiosorum, quae servando servari possunt, nisi decretum iudicis accedat, *l. Si praedia, ff. de rebus eorum:* si vero de aliis rebus contrahat, tunc obligatur, *l. Impuberes, ff. de. cons. et auctor. tutor.* Item pupillus pubes et minorennis sine consensu tutoris et curatoris in suum commodum, non vero in damnum contrahere potest: *Inst. Quibus alienare licet.* Unde celebrato emptionis contractu, pupillus sine auctoritate tutoris emens, non potest actione civili compelli invitus ad solvendum pretium, licet si contractui stare velit, actione civili venditorem ad tradendam sibi mercem pro constituto pretio, cogere possit. Eodem modo, quod pupillus vel minor habens curatorem ludendo vel alio contractu amisit, solvere non tenetur, sed exceptione legis se defendere potest, nisi se soluturum iurasset; id tamen quod solvit, creditor tuta conscientia retinere potest, donec per beneficium legis ab eo repetatur, quia manet obligatio naturalis, licet ob exceptionem legis aliquo modo inefficax maneat, qua fit, ut pupillus vel minor nec in foro conscientiae solvere teneatur, nisi quatenus ditior factus est. 3° Denique etiam uxor de bonis communibus contrahere nequit. Vid. *Inst. I. E. tom.* 2. § 604. *et seq.* Resolvuntur casus.

§ 696. Tertio ad validum Contractum requiritur, ut sit legitimus, nec a lege probibitus, et circa materiam honestam, et possibilem. Nam privati possunt apponere conditiones contractibus, sine quibus non valeant. Ergo etiam Lex hoc potest. Deinde de re inhonesta, et impossibili nequit adesse voluntas eam adimplendi. Ergo nec validus contractus iniri potest. Debet contractus esse legitimus, circa materiam honestam et possibilem.

*Coroll. Pract.* 1. Contractus de re intrinsece inhonesta, et lege Divina, aut humana prohibita, sunt invalidi, nec etiam per iuramentum confirmantur, quod nequit esse vinculum iniquitatis: nec illi iuramento firmantur, quos ius humanum non tantum irritat, sed etiam iuramentum eis adiectum sine viribus esse statuit. An vero iuramentum firmet illos contractus, qui a iure humano praesertim civili propter bonum privatum irritantur, non conveniunt Theologi. Confessarius potest in favorem poenitentis resolvere, si sequentibus actibus Resolvuntur casus.

iuramentum adiectum sit: alienationi rerum dotalium, et donationum propter nuptias: pacto, quo filia renuntiat haereditati paternae: contractui minoris sine anctoritate tutoris: donationi omnium bonorum praesentium, et futurorum: donationi 500. solidos excedenti sine licentia iudicis: promissioni non revocandi testamentum, vel certum haeredem instituendi: mutatio filiifamilias renuntianti S. C. Macedoniano. In his et similibus iuramentis prudens Confessarius potest suadere relaxationem iuramenti petendam; quod licet non firmet contractum, servandum tamen est, quoties servari potest, non quidem ex iustitia, sed ex religione. Unde qui metu mortis aliqnid iurato promisit latroni, petere debet vel relaxationem, vel solvere, vel a latrone, vel si ille dare nolit, ab Episcopo, c. 6. 18. 26. *de iureiur.* 2° Contractus initus sub conditione de praesenti, vel praeterito non suspenditur, sed statim valet: de futuro necessario cognito ut tali; non suspenditur; secus, si sit de futuro contingente, quo eveniente, contractus sine novo consensu fit absolutus: sub conditione impossibili est nullus: sub turpi non obligat, ne sit vinculum iniquitatis: conditione tamen turpi impleta, cum ob laborem, periculum, vel delectationem fit pretio aestimabilis, contrahens obligatur ad implendum promissum: sic contractus cum meretrice, turpi opere expleto, obligat promissorem in conscientia ad dandam pactam mercedem, quam meretrix retinere potest, quia solutio mercedis de se mala non est. Vid. *Inst. I. E. tom.* 2. § 606. *et seqq.* ubi etiam de restitutione in integrum agitur, § 617.

## CAP. II.

### *De Contractibus gratuitis, ac primum de promissione.*

Promissio quid? § 697. Explicata natura Contractus in genere, ad singulos Contractus accedimus, et quidem primo ad gratuitos. Inter hos primus est *Promissio*, quae est liberalis, deliberata, et spontanea fidei obligatio facta homini de re licita, et possibili.

Promissio nuda sub veniali obligat. § 698. Promissio *nuda* ordinarie, et per se obligat tantum ex sola fidelitate sub veniali. Quippe nuda promissio manet sub solo debito fidelitatis, iuxta S. Thomam 2. 2. *q.* 88. *a.* 3. *ad.* 1. Sed fidelitas de se tantum obligat sub veniali ad conformanda facta promissis, sicuti veracitas ad conformanda dicta menti. Ergo de se obligat solum sub veniale.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Promissio *iurata*, chirographo firmata, et testibus munita, in materia gravi obligat sub mortali; quae tamen materia ut gravis sit, quadruplo maior esse debet, quam in furto, quia homines magis sunt inviti in re sua furto ablata, quam de non impleta promissione. 2° Si promissor intendat, se in re notabili ex iustitia graviter obligare, gravis est obligatio. 3° Promissor dubitans, an se graviter, vel levitor obligaverit, probabilius solum sub veniali obligatur, quia promittentes ordinarie non censentur

aliter se obligare velle; quam sicut exigit natura promissionis liberalis, quae obligatio est levis; hinc plurimae promissiones a gravi obligatione excusantur. 4° Promissio facta sine sufficienti deliberatione, non spontanea, metu iniusto, vel fraude extorta (nisi iuramento firmata sit), signis externis non manifestata, vel externa sine animo se obligandi, et non acceptata, non obligat. 5° Promissio cessat, si res fiat illicita, et promissario inutilis: item si mutuo consensu dissolvatur: si promissarius non stet suis promissis factis: si notabilis fiat promittentis, vel rei promissae mutatio, ubi etiam iurata cessat. Vid. *Inst. I. E. tom.* 2. § 622. *et seqq.*

Art. 1. *De Donatione.*

§ 699. Alter Contractus gratuitus est *Donatio*, quae est rei propriae collatio, nullo iure cogente, sed mere liberaliter alteri facta. Donatio quid?

*Schol.* Donatio 1. alia est mere *gratuita*, modo definita: alia *antidoralis*, quae fit ob praestitum sibi beneficium. 2. Alia est *completa* et *realis*, quam comitatur rei donatae traditio: alia *incompleta* et *verbalis*, quam traditio non comitatur; prior ius in re, posterior ius ad rem tribuit. 3. Donatio alia est *inter vivos*, qua vult aliquis se vivo rem esse absolute alterius: alia est *mortis causa*, qua quis sic donat, ut rem velit esse alterius, nonnisi post mortem suam.

§ 700. Donatio acceptata ab altero obligat in conscientia. Nam per donationem transfertur dominium rei donatae in donatarium, eique post acceptationem ius et actio contra donantem acquiritur (§ 699.). Ergo obligat in conscientia. Donatio obligat.

*Coroll. Pract.* 1° Ante acceptationem donatio non parit obligationem, ideoque revocari potest; licet donans absolute se obligare voluerit. Donatio tamen praesenti et tacenti facta, censetur ab eo acceptata. 2° Nemo potest donare, nisi qui habet rerum suarum perfectum dominium, de quibus libere disponere potest. 3° Donatio inter vivos regulariter revocari non potest, nisi ob ingratitudinem donatarii coram iudice probatam: *l. fin. c. de revoc. donat.* Donationes vero ob ingratitudinem irrevocabiles sunt: donatio Ecclesiae vel pio loco facta, quia principaliter Deo fit: donatio remuneratoria: donatio facta filiae in dotem: et si donator ingratitudinem sciens eam non revocet, censetur eam remittere, nec ius revocandi ad haeredem transit, nisi lis a defuncto intenta iam fuerit. Item donatio revocari potest, si donanti postea proles nascatur: *l. Si unquam, c. de revoc. donat.* nisi sit antidoralis, vel Ecclesiae facta, quae tantum revocatur usque ad legitimam liberis debitam, licet praestet totum reddere. Item revocatur, si sit inofficiosa laedendo liberorum legitimam. Iuxta ius Romanum ultra 500. aureos non valet donatio: *l. pen. ff. de donat.* 4° Donatio mortis causa revocari potest expresse, vel implicite, si res alteri donetur, si facta sit metu periculi mortis futurae, et quis periculum evaserit, ubi tacite Resolvuntur casus.

revocata censetur: si donatarius ante donantem moriatur. 5° In dubio, an donatio sit inter vivos, an mortis causa, censetur esse inter vivos, quia est principalior: et si donator mortis causa promittat, se donationem non esse revocaturum, transit in donationem inter vivos. Vid. *Inst. I. E. tom. 2.* § 629. *et seqq.*

Art. 2. *De Commodato et Deposito.*

Commodatum quid? § 701. Tertius Contractus gratuitus est *Commodatum*, quod est contractus gratuitus, quo res aliqua mobilis, vel immobilis conceditur ad solum usum pro certo tempore: si concedatur pro tempore indeterminato, donec revocetur, vocatur *Precarium*.

Eius obligatio. § 702. Commodatarius tenetur in conscientia, 1. Rem numero, et qualitate eamdem restituere. 2. Eam ad solum usum sibi concessum impendere. Et 3. damnum ex morosa restitutione natum reparare.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Commodatum non potest fieri in rebus usu consumptibilibus, v. g. pecunia, vino etc. nisi forte darentur ad solam ostentationem. 2° Si commodatarius adhibeat rem ad usum sibi non concessum, et ipsa pereat, tenetur restituere in aequivalenti; item etiam tenetur ad praestandam culpam iuridicam levissimam, id est, debet damnum resarcire, si in conservanda re commodata eam diligentiam non adhibuerit, quam homines diligentissimi adhibere solent; et quidem iuxta probabiliorem etiam in conscientia ante sententiam iudicis, licet alii non improbabiliter putent, modo post sententiam eum teneri. 3° Commodatarius tenetur ad expensas ordinarias v. g. pabulum, et soleas equi reparandas; non vero ad expensas extraordinarias, v. g. curationem equi infirmi. Nec tenetur ad casum fortuitum, nisi sua mora causa sit, quod res commodata pereat, eo tempore apud dominum non peritura. 4° Si quis alicui commodaret equum contagiosum, a quo equi commodatarii inficerentur, si vitium non aperuit, de illo damno commodatario dato reparando tenetur. 5° Commodatarius in casu incendii proprias suas res commodatis pretiosiores salvare potest, relictis commodatis, secus, si hae pretiosiores sint. Vid. *Inst. I. E. tom. 2.* § 640.

Depositum quid? § 703. Quartus Contractus gratuitus est *Depositum*, seu contractus, quo rei alienae custodia gratis suscipitur.

Eius obligatio. § 704. Depositarius in conscientia tenetur, 1. Reddere depositum deponenti, si repetat. 2. Tenetur eamdem numero rem restituere. 3. Eam diligenter custodire.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Si res deposita sit furtiva, domino, non vero furi restitui debet, si de domino certo constet; nam dominus rem suam ubique vindicare potest. 2° Depositarius non potest re deposita uti, nisi bona fide, et prudenter putet, fore, ut deponenti non displiceat, maxime si sine deterioratione, vel destructione rei fieri possit, nisi tamen res arcae inclusa fuerit. 3° Depositarius tenetur de culpa levissima, si ita conventum fuerit, si ultro deposito

se obtulit; ubi singularem curam spondere censetur, nisi forte dicat, se nolle damnum praestare. Item Caupones, Nautae, Stabularii, Molitores, circa res apud se depositas tenentur etiam ex culpa levissima iuridica, nisi prius dixerint: ut deponentes rerum suarum curam agant, et hi consenserint: *l. Nauta, ff. de depos.* Opifices vero, v. g. Sartores, qui rem apud se depositam elaborare debent, cum potius sit locatio, tenentur tantum de culpa levi, seu illam diligentiam in ea custodienda adhibere, quam homines diligentes adhibere solent. 4° Deponens tenetur aperire vitium rei, ex quo depositario damnum emergere potest. 5° *Sequestrum* est res deposita controversa apud tertium, eo fine, ut post sententiam iudicis vincenti tradatur. Vid. *Inst. I. E.* § 653. *et seqq.*

### Art. 3. *De Testamentis.*

§ 705. Ad Contractus gratuitos ultimo refertur *Testamentum*; quod est voluntatis nostrae iusta sententia, de eo, quod quis vult post mortem suam fieri, cum haeredis institutione. Testamentum quid?

*Schol.* 1. Quinque sunt species ultimae voluntatis; scilicet Testamentum, Codicillus, Legatum, Fideicommissum, et Donatio mortis causa: de hac iam egimus (§ 699. 700. cum Schol. et Cor.): de reliquis in sequentibus agemus. Eius species.

*Schol.* 2. Testamentum aliud est *solemne*, quod habet omnes solemnitates a iure ad suum valorem requisitas: aliud est *privilegiatum*, cuius valor ab his solemnitatibus est independens. 2. Testamentum solemne, aliud est *scriptum* seu *clausum*, quod testator sua vel alterius manu scriptum, et clausum testibus offert. Aliud est *nuncupativum*, quo testator coram testibus voce articulata suam voluntatem declarat. 3. Testamentum privilegiatum vel est *militis*, quod miles facit, dum versatur in expeditione militari, non vero si tantum sit praesidiarius: vel testamentum *inter liberos*, quod a patre, matre, vel alio ascendente in favorem liberorum conditur: vel Testamentum *coram Principe*, sive *ad acta* repositum, quod fit oblato Principi, vel iudici libello, in quo ultima voluntas continetur: vel Testamentum *rusticorum*, quod fit ruri ab hominibus rusticanis: vel Testamentum *tempore pestis*: vel Testamentum *ad pias causas*, quod fit ad Dei, aut Sanctorum honorem, vel spiritualem animae salutem. Quotuplex?

*Schol.* 3. Haereditas est successio iuridica in iura defuncti ratione propinquitatis, vel legitimae institutionis. Unde 1. alius est *haeres ab intestato*, qui ratione propinquitatis succedit in bonis illius, qui nihil, vel invalide disposuit: alius est *ex Testamento*, qui ultima voluntate morientis instituitur ad succedendum in suis bonis. 2. Haeres ex Testamento alius est *universalis*, seu *ex asse*, qui in omnibus bonis: alius *particularis*, qui tantum in parte aliquota, tertia, vel quarta succedit. 3. Haeres, alius est *necessarius*, quem testator tenetur instituere in parte legitima, nisi iustam exhaeredandi causam habeat: alius est *non necessarius*, quem testator non tenetur instituere etiam in por- Haeres quis et quotuplex?

tione legitima. *Executor testamenti* est is, quem testator nominavit, ut Testamentum exequatur. Iura Testamentorum ex particularibus locorum consuetudinibus ut plurimum discenda sunt, ad quarum peritos Confessarius poenitentes remittere debet. Generalia igitur hic solum traduntur. Plura satis fuse tractata videri possunt in *Inst. I. E. tom. 2. § 781. et seqq.*

ART. 4. *De Requisitis ad Testamentum solemne.*

Requisita ad Testamentum solemne § 706. 1. Ad Testamentum solemne scriptum, seu clausum de iure civili requiruntur sequentia: 1. Directa institutio haeredis. 2. Septem testes, 3. et quidem legitimi, hoc est, qui a iure non prohibentur esse testes, uti foeminae, pupilli, infames, etc. 4. Rogati, ut excludatur omnis suspicio, et subornatio. 5. Horum testium subscriptio, et subsignatio, sicut etiam ipsius testatoris, vel si hoc non possit, octavus testis adhiberi, et se subscribere debet. 6. Unitas contextus, ut nimirum haec omnia uno eodemque tempore continuato fiant. 7. Ut omnes testes simul praesentes sint, ipsumque testatorem videant et audiant.

2. Ad Testamentum nuncupativum eaedem ferme conditiones requiruntur, excepta scriptura Testamenti, subscriptione, et subsignatione: loco quorum requiritur, ut testator coram septem testibus simul praesentibus nuncupet, seu oretenus exprimat nomen haeredis, et quod post mortem velit fieri de bonis suis. Expedit tamen securitatis gratia, ut tale Testamentum a Notario in scriptum redigatur.

3. Porro testamentum his iuris solemnitatibus destitutum valet tamdiu in conscientia, quamdiu non irritatur, et rescinditur per sententiam iudicis, si lis super eo mota fuerit, et ad iudicium saeculare deferatur: quippe leges civiles irritantes Testamenta non solemnia resistunt illis tantum civiliter, tollendo actionem, et obligationem civilem, relicta tamen obligatione naturali, licet aliquantulum inefficaci, utpote quae per exceptionem civilis constitutionis elidi potest, uti dictum fuit (§ 305. Schol. 2.).

Resolvuntur casus *Coroll. Pract.* 1° Si Testamentum debitis solemnitatibus destitutum ad forum civile deferatur, iudex debet illud pro nullo declarare, et haereditatem adiudicare haeredi ab intestato, eumque liberum pronuntiare a legatis solvendis ex Testamento imperfecto, licet constet de contraria mente testatoris; quia iudex secundum Leges iudicare debet, secundum quas Testamentum nullum est. 2° Neque in foro conscientiae haeres ab intestato tenetur relinquere haereditatem, nec solvere legata, exceptis iis, quae sunt ad pias causas, ex Testamento minus solemni; quia iudicis sententia iusta est, quae eum a solutione etiam in foro conscientiae liberat. 3° Si haeres in Testamento sine debitis solemnitatibus facto institutus, vel legatarius rem sibi relictam sine vi, et fraude nactus sit, eam retinere potest, donec civili condictione indebiti ab eo repetatur; quia manet obligatio naturalis, quae per se sufficiens est ad dominium transferendum. 4° Idem

homo modo unius Testamenti debitis solemnitatibus destituti cassationem petere potest, ut ipse ab intestato succedat; et deinde alterius Testamenti his solemnitatibus carentis haereditatem, vel legatum sibi relictum capere et retinere potest, si nihil contra eum excipiatur; quia obligatio naturalis manet, licet minus efficax, quae per exceptionem elidi potest. 5° Haeres in Testamento sine solemnitatibus, et legatarius institutus, vel fideicommissarius in eo denominatus, non possunt occulta compensatione uti, si haereditas in foro externo haeredi ab intestato sit adiudicata; quia tenentur obedire iustae iudicis sententiae.

ART. 5. *De Requisitis ad testamentum privilegiatum.*

§ 707. Testamentum privilegiatum *militis* scriptum vel nuncupativum duos tantum testes: *rusticorum*, quinque testes, si plures haberi nequeant, requirit: *l. fin. de Test.* Testamentum *inter liberos* valet, si illud totum pater propria manu scripserit, etsi nulla alia solemnitas adhibeatur: *Nov.* 107. *Tempore pestis* testes septem non congregati, sed separatim adhiberi possunt: *l.* 8. *c. de Test.* Testamentum *ad acta* sufficit, coram Principe, vel iudice fieri sine aliis solemnitatibus. Testamentum denique, vel legata *ad pias causas* valent, licet nullae iuris civilis solemnitates adsint: *c. Relatum, de Test.* cuius ratio est, quia iura saecularia causis Ecclesiasticis nullum praeiudicium afferre possunt, nisi a Romano Pontifice approbentur: *c. Ecclesia, de Const.* Sed solemnitates Testamentorum quoad pias causas non sunt a Romano Pontifice approbatae: *c. Relatum, de Test.* Ergo non possunt illi praeiudicium afferre. Requisita ad Testamentum privilegiatum

*Coroll. Pract.* 1° Testamentum militis, ducis et eorum, qui castra sequuntur militum causa; uti medici, chirurgi, mercatorum etc. si fiat in actuali conflictu, nullas requirit solemnitates: *pr. Inst. de mil. test.* factum vero in castris extra conflictum actualem, duos testes requirit: *ex recessu imp.* 1512. Conditum extra castra, omnes solemnitates iuris requirit: *l.* 16. *c. de test. milit.* imo illud, quod in actuali conflictu, vel in castris factum est, post obtentam missionem non durat ultra annum. 2° In Testamento rusticorum, si unus vel plures Testes scribendi periti forent, hi deberent subscribere, et simul pro aliis subscribere possent, si praesentes sint; *l. fin. c. de Test.* Nomine autem rusticorum iuxta multos intelliguntur ruri degentes, et iuxta quosdam etiam nobiles ruri degentes. V. P. Pichler. 3° Si haeredi certo constet, ut aliquid in piam causam iuxta voluntatem testatoris expendatur, etsi in foro externo nequeat probare, tenetur in conscientia voluntati testatoris satisfacere; quia non opus est probatione, ubi de veritate constat. 4° Si Parochus proferat schedam a Parochiano ante obitum sibi datam, quae contineat legata ad pias causas, testatoris voluntas executioni mandanda est, si eius manus cognoscatur, vel duobus testibus probari possit. Hinc Parochus semper duobus saltem testibus etiam foeminis, ad evitandas lites, has Resolvuntur casus

dispositiones firmari curet. 5° Merito damnata est ab Alexandro VII, propositio 43. quod annuum legatum pro anima relictum non duret plus, quam per 10 annos: quia haec sententia nititur falso supposito, Purgatorii poenam in anima non durare ultra decennium, quod est contra praxim Ecclesiae, anniversaria per integra saecula celebrantis.

## ART. 6. *De Codicillo, Legato, et Fideicommisso.*

Codicillus quid? § 708. *Codicillus* est scriptura continens aliquam ultimam voluntatem absque haeredis institutione.

*Coroll. Pract.* 1° Codicillus vel cum, vel sine testamento fieri potest: § *Non tantum, Inst. de Codicill.* 2° Codicillos etiam plures facere licet, dummodo non sint contrarii; alias prior a posteriore censetur revocatus. 3° Ad Codicillum sufficiunt quinque testes non rogati, etiam foeminae: in scriptis et nuncupative fieri potest; unde Codicillo scripto testes se subscribere debent: *l. ult. c. de Codicill.* Vid. *Inst. I. E. tom.* 2. § 852. *et seqq.*

Legatum quid? § 709 Tertia species ultimae voluntatis est *legatum* quod est dispositio alicuius rei particularis, quam defunctus vult, per suum haeredem, sive testamentarium, sive ab intestato, dari alicui alteri qui ideo vocatur *Legatarius.*

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Legata non debentur, nisi deducto aere alieno: *l.* 66. *ff. ad leg. Falcidiam.* 2° Ea, quae necdum existunt, sed sunt futura, legari possunt, uti fructus ex agro proventuri: *l.* 17. *ff. de legat.* 3° Res nominatim legata, v. g. hic equus, si non reperiatur, nec dolo haeredis periisse probetur, peti ex Testamento non potest; secus, si res in genere legetur: *l.* 32. *ff. de legat.* 4. Res aliena legari potest, ita ut haeres teneatur eam emere, et dare legatario, vel, si potest, eius aestimationem: *l. Cum alienam, c. de legat.*

Fideicommissum quid? § 710. Quarta species ultimae voluntatis est *Fideicommissum*, quo haeres vel testamentarius, vel ab intestato veniens, a defuncto gravatur, ut haereditatem totam, vel eius quotam, hoc est mediam, tertiam, vel aliam similem partem, alteri restituat, seu tradat.

Substitutio quid, et quotuplex? *Schol.* Igitur Fideicommissum est aliqua *Substitutio haeredis.* Haec vel est *directa*, in qua, sine ministerio instituti haeredis vel legatarii, haereditas vel legatum sub conditione defertur substituto: vel est *indirecta*, in qua haereditas, vel legatum defertur substituto per ministerium haeredis, vel legatarii, uti in Fideicommisso. Substitutio directa, alia est *pupillaris*, qua pater prolem impuberem sub sua potestate constitutam haeredem instituit eique alium substituit sub conditione, si ante pubertatem, et antequam testari possit, moriatur. Alia est *vulgaris*, qua quis iure non prohibitus substituitur haeredi, si ipse nolit, vel non possit haereditatem acceptare. Alia est *exemplaris*, qua pater filio quidem puberi, sed testari non potenti, v. g. ob amentiam, alium substituit. Alia est *reciproca*, quando quis plures instituit haeredes, et unum alteri substituit.

*Coroll. Pract.* 1° Per substitutionem pupillarem, si proles instituta impubes moriatur, non solum bona patris, sed etiam omnia, quae ipsa acquisivit, devolvuntur ad substitutum, quia substitutio patris est quasi Testamentum prolis; § *Igitur, Instit. de substit. pupill.* Sed ad hoc requiritur, 1. Ut proles sit vere sub potestate patris; unde mater iure Romano sic substituere nequit. 2. Ut proles impubes moriente patre non cadat in potestatem alterius, v. g. avi. 3. Ut moriatur ante pubertatem. 2° Quando haeres nimium gravatur Fideicommissis, potest detrahere, antequam solvat, quartam partem Fideicommissorum, si illi libera non remaneat, quae vocatur *Trebellianica: t. ff. de S. C. Trebell.* Item si a testatore tot fuissent facta legata, et donationes mortis causa, ut ei quarta pars haereditatis deductis deducendis non remaneat, potest a singulis legatis servata proportione quartam partem totius haereditatis, seu omnium bonorum, detrahere, quae vocatur quarta *Falcidia*. Vid. *Inst. I. E. tom.* 2. § 803. *et seqq. et* § 828. *et seqq.*

Resolvuntur casus. — Trebellianica — Falcidia

### Art. 7. *De iis, qui testari possunt, aut haeredes institui.*

§ 711. Omnes homines liberam habent de bonis suis ante mortem testandi facultatem, nisi vel naturali vel positivo iure prohibeantur. Ratio datur *l.* 1. *c. de SS. Eccl. Nihil enim est, quod magis hominibus debeatur, quam ut supremae voluntatis, postquam jam aliud velle non possunt, liber sit stylus, et liberum, quod non redit, arbitrium.*

Quinam testari possint?

*Coroll. Pract.* 1° Iure naturali non possunt testari, qui carent usu rationis, uti infantes, amentes, furiosi, nisi habeant lucida intervalla. 2° Iure positivo prohibentur testari impuberes, masculi ante $14^{tum}$, foeminae ante $12^{mum}$ annum completum: *l. Qui frater. Qui Testam. fac.* Item surdus, et mutus a nativitate: *loc. cit.* Item usurarius manifestus: *c. Quamquam de usur. in* 6. nisi prius satisfecerit, aut cautionem praestiterit. Item prodigus, cui bonorum administratio est interdicta: § *Item prodigus, Inst. Qui Testam. fac.* Item servus, seu mancipium. Item filiusfamilias pubes, nisi de bonis castrensibus vel quasi castrensibus; de adventitiis vero, nonnisi ad pias causas: Religiosi Professi, et damnati ad mortem etiam civilem. De Clericis quoad bona beneficialia infra agetur. Vid. *Inst. I. E.* § 782. *et seqq. tom.* 2.

Resolvuntur casus.

§ 712. Omnes homines, non tantum singuli, et privati, licet amentes, surdi, muti, prodigi, servi: sed etiam Communitates, et Collegia haeredes institui possunt, nisi specialiter prohibeantur: *l.* 1. *c. de SS. Eccl.*

Qui haeredes institui possint?

*Corollar. Pract.* 1. Si nullum Testamentum factum fuerit, ad quod per se nemo tenetur, vel factum sit irritum, fit successio ab intestato. Et quidem ut haeredes ab intestato. 1. Succedunt legitimae proles, mares, et foeminae aequalibus portionibus, in quorum mortuorum locum succedunt nepotes, non *in capita*, id est, non aequalibus portionibus, sed *in stirpes*, id est, in ea parte, quam pater,

Resolvuntur casus.

vel mater eorum haberet, si viverent. 2. Deficientibus descendentibus, succedunt ascendentes propinquiores, quibus coniunguntur fratres, et sorores ex utroque parente coniuncti: *Nov.* 118. 3. Deficientibus ascendentibus, veniunt collaterales, et imprimis fratres, et sorores ex utroque parente, et eorum filii, qui in stirpes succedunt. 4 His deficientibus, succedunt fratres, et sorores ex uno tantum parente coniuncti, et eorum proles, quae praeferuntur patruis defuncti; ita tamen, ut coniuncti ex patre in bonis paternis, ex parte matris, in maternis succedant, in reliquis vero aequaliter. 5. His etiam deficientibus, succedunt in capita propinquiores collaterales sine discrimine, modo sint in gradu aequali; et hoc usque ad gradum quintum Canonicum. 6. His omnibus deficientibus, succedunt sibi coniuges. Et 7. denique, si coniux non supersit, succedit Fiscus. Haec de iure communi, cui particulares locorum consuetudines subinde derogant. Bonis vero Religiosi, si ante Professionem nil disposuerit, succedit Monasterium ius successionis habens. 2° Proles spuria nata ex parentibus, inter quos tempore conceptionis erat impedimentum dirimens, nihil potest accipere a patre, vel matre, sive per Testamentum, sive ab intestato, praeter necessaria victui, et amictui, si non sit legitimata: *l. Licet, c. de nat. liberis.* Proles vero naturalis nata ex parentibus sine impedimento, tantum matri succedit, nisi alia sit consuetudo. 3° Haeredes necessarii quoad legitimam sunt descendentes filii, et filiae, nepotes et neptes, et his deficientibus ascendentes, non vero collaterales. Est autem *legitima* descendentium tertia pars bonorum, si ultra quatuor haeredes non fuerint, inter eos iuxta num. 1. dividenda: si vero plures quam quatuor fuerint, dimidia pars omnium bonorum ex aequo n. 1. inter eos dividenda. Vid. *Inst. I. E. tom.* 2. § 836 *et seqq.*

Art. 8. *De revocatione, et executione testamenti.*

Testamentum revocari potest. **§ 713. Testamentum et quaevis ultima voluntas semper revocari potest ad nutum testatoris: ambulatoria enim est voluntas hominis usque ad supremum vitae exitum.**

Resolvuntur casus. **Coroll. *Pract.* 1° Testamentum revocatur vel per aliud Testamentum, vel per factum contrarium; v. g. si testator Testamentum laceret, nomen haeredis deleat, nuncupativum coram 7. testibus revocet. 2° Si testator iuraverit, se Testamentum non revocaturum, non quidem licite, valide tamen revocat, etsi etiam haeredi iurasset; quia quod uni tantum promissum est, alteri valide donari potest. Interim tamen haec promissio est obligatoria, et haeredi instituto ius ad haereditatem confert, cum sit de re licita; unde secundus haeres probabiliter tenetur restituere primo haeredi aliquid aequivalens huic iuri violato, non quidem vi prioris Testamenti valide revocati, sed vi promissionis validae, et obligatoriae non revocandi. Ita Sbogar in *Theol. radic.* 3° Si quis rem suam promittat, licet post mortem tradendam, est promissio inter vivos irrevocabilis;**

et si res promissa consumpta sit, saltem per haeredem in aequivalenti promissario reddi debet.

§ 714. Denique Executor Testamenti statim moraliter voluntatem testatoris exequi debet, nisi iusta causa differendi adsit. Executor testamenti ad quid teneatur?

*Coroll. Pract.* 1° Executio Testamenti, si nullus executor in eo designatus sit, spectat ad haeredes. Si intra annum executioni non mandetur, devolvitur executio ad Episcopum, saltem quoad pia legata: c. *Tua de Test.* Plures etiam executores institui possunt, et uno absente, alter exequi potest: foeminae etiam et Religiosi cum licentia sui Superioris executores Testamenti esse possunt, exceptis Fratribus Minoribus de Observantia: *Clem. un. de Test.* 2° Relicta incerta in Testamento ex parte legatarii incerti, nulli cedunt: *l. Si quis, ff. de reb. dub.* In foro conscientiae putant aliqui pro rata dubii legatum esse dividendum: legata autem pia in dubio loci pauperiori Ecclesiae cedunt. Si quid pauperibus, aut Ecclesiae sine determinatione relictum sit, executio debet fieri in loco domicilii defuncti; vel si hoc ignoretur, pauperibus, et Ecclesiae loci, in quo mortuus est, cedit: *l. Si quis, c. de Episc.* Si incertitudo se teneat ex parte rei legatae, et res a natura sit determinata ad certos limites optimi, mediocris, et infimi, uti vinum etc. mediocre dari debet: si vero ab arte, vel aestimatione determinanda est, uti vestis, domus etc. minimum dare sufficit: *l. 37. ff. de Legat.* Idem dicendum de rebus legatis in numero, pondere et mensura, ubi minimum in eo genere, et quantitate daro sufficit; *l. 3. ff. de tritico legat.* 3° Si voluntas defuncti possit honeste impleri, non licet executori, vel Episcopo in aliud opus, etiam melius, commutare, sed hoc ad solum Papam spectat: *Clem. quia de Rel. dom.* licet subinde Episcopus ex epikia ob novam causam a testatore improvisam, quae inutile redderet legatum, id in alium usum convertere possit. 4° Si executor executionem testamenti diu differat, graviter peccat, nisi ex iusta causa impediatur. Resolvuntur casus.

## CAP. III.

### *De Contractibus onerosis, ac primum de emptione et venditione.*

§ 715. A Contractibus gratuitis hucusque expositis, ordo nos vocat ad Contractus onerosos: quorum primus est *Emptio-Venditio*, scilicet contractus consensu mutuo constitutus dandi mercem pro determinato pretio, et pretium pro determinata merce. Emptio. Venditio quid?

*Schol.* 1. Pretium iustum dicitur, quod valori mercis adaequatur: duplex est; *Legitimum*, quod vel a lege, vel Magistratu taxatum est: et *Vulgare*, seu *naturale*, quod spectatis variis circumstantiis, communi peritorum aestimatione determinatum est. Pretium legitimum consistit in indivisibili, ita ut non liceat plus accipere: vulgare vero patitur diminutionem, vel excessum: estque vel *Summum*, supra quod, vel *Infimum*, infra quod res a peritis non solet aestimari; et Pretium quotuplex?

*Medium*, quod inter priora mediat. Sic si pretium medium sint 10. floreni, infimum erit 9. summum 11. flor. plus minus: si medium sint 100. erit infimum 95. et summum 105. flor.

*Schol.* 2. Species quaedam Emptionis et Venditionis sunt Monopolium et Negotiatio, de quibus postea. Pacta etiam quaedam Emptioni et Venditioni subinde adiici solent; quae sunt, 1. *Pactum retrovendendi*, quando res ita venditur, ut venditori intra certum tempus, vel quando illi libuerit, emptor teneatur rem retrovendere. 2. *Contractus Mohatra*, dum quis indigens pecunia numerata adit mercatorem, qui nolens pecuniam mutuam dare, offert illi merces, quibus petens non indiget, ut emat eas pecunia credita 105. florenorum; ita tamen, ut easdem merces sibi revendat 100. florenis. 3. *Pactum legis commissoriae*, quando res eo pacto venditur, ut si emptor intra certum tempus non solvat, res inempta sit. 4. *Pactum addictionis in diem*, cum venditio fit sub pacto, ut si alius intra certum tempus offerat meliorem conditionem, res sit inempta 5. *Retractus* est ius proximioris consanguinei ad rescindendam venditionem rei immobilis oblato pretio, quo ab extraneo vel remotiore consanguineo res empta fuit.

Pacta venditioni addi solita.

### Art. 1. *De Requisitis ad Emptionem, et Venditionem.*

Requisita ad Vendit. et Empt.

§ 716. Ad validam Emptionem et Venditionem requiritur: 1. Merx, seu res, quae sit vendentis. 2. Pretium, quod sit ementis. 3. Pactio quae sit legitima. Ad licite vero vendendum et emendum insuper requiritur: Res sine vitio occulto: Pretium iustum: et Pactio sine fraude.

Resolvuntur casus.

*Coroll. Pract.* 1° Venditor debet rem vendere pretio iusto vulgari, vel legitimo, quod etiam Clerici, et peregrini sub peccato, et onere restitutionis excessus servare debent, nisi taxa a Magistratu facta iniqua sit. Si vero nulla taxa adsit, debet servari pretium vulgare, et res summo, medio, vel infimo pretio vendi potest; excessus vero super iustum pretium restitui debet, nisi merces plus offerenti publice vendantur. 2° Ratione damni emergentis, vel lucri cessantis res vendi supra, et emi infra commune pretium potest: item singularis affectus est titulus legitimus rem carius vendendi, ob pretium affectionis: in emptore vero non sufficit hic affectus, ut carius illi res vendatur; quia sic venditor venderet, quod suum non esset, nec licet rem carius solvere ob datam dilationem solutionis, excedendo iustum pretium, quia foret usura: vide prop. 42. ab Alexandro VII. damnatam. 3° Res novae, et pretiosae, non habentes pretium legitimum, aut vulgare, probabilius eo tantum pretio vendi possunt, quod spectatis rerum circumstantiis, prudentis, et periti arbitrio iustum censetur, quae unica regula in hoc casu superest. 4° Si quis expresse, vel tacite conveniat cum altero, sibi aliquid ad vendendum danti, v. g. ut rem vendat 10. florenis, et siquid ultra lucratus iuste fuerit, retineat sibi; potest iuste excessum super 10. flor. pro

se retinere: si vero nec expressa nec tacita conventio praecesserit, tenetur excessum priori reddere, utpote quem nequit retinere ratione rei venditae, quia pretium spectat ad dominum rei: nec ratione designationis pretii, quae solum facit, ut non infra hoc pretium vendatur: nec ratione industriae, quia ille fructus non est mere industrialis, sed fructus rei ad dominum spectantis: pro industria tamen sua aliquam mercedem exigere potest. 5° Mercatores statim iniustitiae damnari non possunt, si merci alienam substantiam v. g. aquam vino infundant, modo emptoribus damnum non inferatur, et merx iuxta proportionem pretii satis sit ad usum consuetum idonea: plerumque tamen emptores voleutes bonas merces defraudantur; unde haec mixtio imminuto etiam pretio approbanda non est: si vero possit fieri sine damno emptoris, debet pretium minui, vel pondus augeri. In duobus tamen casibus a peccato, et restitutione hanc mixtionem Layman excusat: 1. Si emptores abhorreant a vino ob nimiam eius meracitatem, ita ut si aqua temperetur, eius praestantia non appareat emptoribus, et ipse emptor alio modo pretium iustum consequi non possit, quod frequentius fit illis, qui vinum mensuratim vendunt, ubi nullum damnum est emptoribus, vel si qui etiam in maiori quantitate emant, statim tamen mensuratim vendunt, uti fit in cauponibus: secus foret, si vinum aqua mixtum iis venderetur, qui illud longiori tempore sunt servaturi, quia citius corrumpitur cum damno emptoris. 2. Si pretium vini a Magistratu iniuste taxetur, ita ut oenopolae damnum pati debeant, nisi aqua admisceatur; quod tamen de Magistratu facile praesumi non debet. 6° Si vitium occultum rei etiam venditorem inculpabiliter lateat, ille non obligatur in conscientia ad praestanda damna, quae emptori obvenerunt: emptori tamen competit actio, vi cuius venditor compellitur reddere excessum iusti pretii, si defectum scivisset, ut servetur aequalitas. De vitio autem manifesto, quod emptor facile deprehendere potuisset, venditor eum monere non tenetur, dummodo rem iusto pretio vendat: secus est, si venditor advertat, emptorem ex invincibili ignorantia vitium non posse deprehendere, quia respectu huius est occultum. Denique secundum constitutiones municipales venditor vitia praecipua, seu *defectus capitales*, rei manifestare debet: imo si res ob quodcumque vitium sit minus utilis, pretium sub peccato et onere restitutionis minuendum est. 7° Res ad peccandum determinatas, vel quibus aliquis ad peccatum abusurus certo praevidetur, vendere non licet. 8° Res absolute vendita, licet non tradita, sine culpa venditoris, si sit determinata, perit emptori tamquam domino: si vero sit indeterminata, vel vendita ad mensuram, pondus, et numerum, ante traditionem perit venditori, quia venditio talis rei fit sub conditione, si tradatur. Fructus etiam rei determinatae venditae ad emptorem spectant, quia eum tangit periculum. Res successive duobus vendita, si neutri sit tradita, debetur priori qui iure est potior: si alteri sit tradita illius est, quia habet ius in re, nisi prior venditio

facta sit Ecclesiis, vel civitatibus, vel prior emptor pretium iam solverit, vel secundus mala fide emerit; ubi de damno erga priorem tenetur. 9° Contractus venditionis cum pacto retrovenditionis in gratiam solius venditoris est licitus, quia ille tamquam dominus modum rei suae imponere potest, dummodo iustum pretium servetur, id est, pretium minuatur; si vero sit in gratiam emptoris, et pretium augeatur, est contractus Mohatrac, et illicitus iuxta prop. 40. ab Innocentio XI. damnatam. Pactum legis commissoriae, et addictionis in diem, minuto tamen pretio, licitum est. 10° Venditio rescindi potest: 1. mutuo consensu. 2. propter laesionem ultra dimidium. 3. per restitutionem in integrum, qua graviter laesus ex naturali aequitate per officium iudicis reducitur in eum statum et ius, in quo fuerat ante laesionem. 4. per retractum. 5. per *Evictionem*, quae est rei suae ab altero possessae recuperatio. Plura vide in *Inst. I. E. tom.* 2. § 683. *et seqq.*

Art. 2. *De monopolio, et negotiatione.*

Monopolium quid? § 717. Species quaedam Emptionis et Venditionis est *Monopolium*, quando unus vel pauci, exclusis aliis, vendunt certum genus mercium: quod fieri potest vel ex privilegio Principis, vel coemendo merces eiusdem generis, vel impediendo, ne merces eiusdem generis advehantur. Monopolium etiam est, quando plures inter se conspirant, non vendere, vel non emere aliqua, nisi certo pretio. Quousque Monopolium sit licitum, ex sequenti Corollario patebit.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Monopolium ex iustis causis a Principe concessum est licitum, dummodo iustum pretium monopolae taxent, quod datur ob magnas expensas, et pericula, quae monopola subit. 2° Quando unus, vel pauci coemunt omnes fere merces eiusdem generis, ut inducant raritatem, et aucto pretio carius vendant, peccant graviter contra charitatem proximi, et probabilius etiam contra iustitiam commutativam, et tenentur ad restitutionem, quia pretio iniusto vendunt, quod eo ipso augetur, si merces apud plures venales non prostent. 3° Qui vi, vel fraude impedit, ne aliunde merces advehantur, ut ipse solus carius vendat, peccat contra iustitiam, et tenetur ad restitutionem, quia alios iniuste iure suo privat: si sine fraude, iusto tamen pretio, peccat solum contra charitatem. 4° Qui inter se conveniunt non vendere, nisi pretio supra summum, aut non emere, nisi infra infimum, peccant contra iustitiam, et tenentur ad restitutionem, quia pretium est iniustum. Si vero sine vi, vel fraude tantum conveniant non vendere, nisi summo, et non emere, nisi infimo pretio, peccant solum contra charitatem, quia pretium adhuc iustum est.

Negotiatio quid? § 718. Altera quaedam species Emptionis et Venditionis est *Negotiatio*, quando merces eo animo emuntur, ut postea carius vendantur lucri capiendi gratia. Negotiatio de se est licita; lucrum enim, quod in negotiatione tamquam finis intenditur, licet in ratione sui

non importet quid honestum, et necessarium, non tamen importat quid vitiosum, et virtuti contrarium. Ergo ad finem honestum, et necessarium dirigi potest, scilicet ad publicam necessitatem, ne vitae necessaria desint, et est quasi stipendium laboris. Negotiatio tamen Clericis et Religiosis est interdicta, *c. Decrevit*, *d.* 88. *c. fin. de vit. et hon. Cler.* et in Tridentino *Sess.* 22. *c.* 1. *de reform.* et ratio est, ne Clerici nimium implicentur saecularibus negotiis.

*Coroll. Pract.* 1° Lex prohibens Clericis negotiationem de se obligat sub mortali: licet excusentur, si non habeant habitum negotiandi, vel alio modo vitam sustentare non possint. 2° Clericis licet, empta pecora, et in praediis suis nutrita, vendere. 3° Benedictus XIV. in Bulla *Apostolicae servitutis*, interdicit Clericis omnem negotiationem, etiam sub alieno nomine, et statuit, ut negotia a laicis inchoata, et ad Clericos delata, statim dimittantur: si vero sine damno dimitti non possint, non continuentur sine licentia Ordinarii: et contravenientium bona poenae spolii subiicit, et declarat, quod exempti a spolio, ad effectum testandi, non intelligantur exempti quoad bona per interdictam negotiationem acquisita. Resolvuntur casus.

### Art. 3. *De Mutuo.*

§ 719. **Secundus Contractus onerosus, per quem dominium in alium transfertur, est *Mutuum*, seu contractus, quo rei alicuius numero, pondere, et mensura constantis dominium transfertur in alium, cum onere restituendi in specie, et qualitate, tempore a mutuante praefixo.** Mutuum quid?

*Schol.* Mutuum ex eo dicitur, quod faciat ex meo tuum. Ad illud requiritur 1. res fungibilis, quae reciprocam functionem admittit, ita ut si res eiusdem speciei, vel uti loquuntur Iuristae, eiusdem generis restituatur, in individuo restituta censeatur. 2. Debet esse contractus obligans solum mutuatarium ad restituendum, cum e contra mutuans per se ad nihil teneatur, nisi non repetere ante tempus conventum; quo sensu etiam a pluribus Moralistis ad contractus bilaterales et onerosos refertur, maxime quia est quasi virtualis venditio pecunia e pro alia suo tempore reddenda. Explicatur

§ 720. **Obligationes mutuantis sunt: 1. Ut tradat rem sine vitio occulto. 2. Ut non repetat ante tempus praefixum. Obligationes vero mutuatarii sunt: 1. Tenetur reddere tempore praefixo. 2. Tenetur de omni casu, utpote dominus rei. 3. Tenetur restituere sine damno mutuantis.** Obligationes mutui.

*Coroll. Pract.* 1° Materia mutui est regulariter aliqua res ipso usu principali, et quidem unico consumptibilis, sive physice, sive moraliter, uti vinum, pecunia etc. 2° Contractus mutui rei traditione perficitur, et res illa in dominium mutuatarii transit, cum obligatione reddendi eamdem in specie. 3° In rebus mutuatis a pecunia diversis debet reddi eadem quantitas, seu mensura, sive creverit sive decreverit earum pretium, seu valor extrinsecus. Si quis tamen certo, vel probabilius sciat, pretium v. g. frumenti mutuati imminutum iri Resolvuntur casus

tempore redditionis praefixo, potest de praesenti pretio maiori, et consequenter de reddenda maiori quantitate ad aequalitatem pretii praesentis pacisci, licet frumentum usque ad illud tempus non sit servaturus. Si vero certo noverit, praefixo tempore plus valiturum, non potest modo de maiori illo pretio pacisci, nisi ob damnum emergens, si eousque frumentum asservasset; quia tantum ius habet ad praesens pretium. 4° Qui mutuo dat pecunias, potest pacisci de praesenti valore, licet praevideat, valorem tempore redditionis imminutum iri, quia ius habet ad praesentem valorem: non potest autem de pecunia v. g. aureis in specie reddendis pacisci, si certo sciat, eorum valorem tempore solutionis auctum iri, nisi ratione damni emergentis: secus foret, si dubitaretur de valore augendo vel minuendo. 5° Filiusfamilias adhuc constitutus sub patria potestate mutuam accipiens pecuniam sine consensu patris, non tenetur (sicuti nec eius parentes) ne quidem post mortem patris, nec post suam emancipationem restituere ex *Senatus consulto Macedoniano*, etiam in foro conscientiae, nisi habeat bona castrensia, vel publice putetur sui iuris, vel pecunia sit expensa in utilitatem patris. Vid. *Inst. I. E. tom.* 2. §. 635. *et seqq.*

## Art. 4. *De Usura.*

Usura quid? § 721. Quia in mutuo dominium rei transfertur in mutuatarium (§ 719). illud lucrum, quod ex mutuo provenit, et accipitur, vocatur *Usura*, quae est lucrum immediate proveniens ex mutuo tamquam debitum ex iustitia, vel ex praetenso titulo benevolentiae, aut gratitudinis. Unde *Contractus usurarius* est, quo mutuans mutuatarium obligat ad dandum aliquid pretio aestimabili ultra sortem solo titulo mutui.

Quotuplex? *Schol.* Usura alia est *mentalis*, quando quis lucrum velut debitum ex mutuo intendit, licet in pactum non deducat: alia est *realis*, quando signo, vel pacto lucrum stipulatur, et dicitur *lucratoria*. Iterum usura alia est *aperta*, *expressa* et *formalis* quando aliquid in contractu titulo mutui intenditur, et exigitur: alia est *palliata*, quando lucrum accipitur ratione alterius contractus, qui virtualiter mutuum in se includit.

Usura est illicita. 1. § 722. Usura est omnino illicita. Nam 1° prohibetur iure Divino, iuxta omnes Catholicos. *Ps.* 14. dicitur habitaturus in tabernaculo Domini, *qui non dedit pecuniam suam ad usuram.* Et *Ezech.* 18. de usurario dicitur: *Non vivet, sed morte morietur. Luc.* 6. *Mutuum, date nihil inde sperantes*, Ergo etiam nihil supra sortem, seu usuram. Hoc autem non esse merum consilium, sed praeceptum, docent Patres: S. Ambrosius *l. in Tob. c.* 18. S. Hieronymus *in Ezech.* S. Augustinus *ep. ad Maced.* Accedunt Concilia: Eliberitanum *c.* 20. Agathense *c.* 69. Lateranense II. *c.* 13. Lateranense III. *c.* 25. Lugdunense II. *c.* 26. etc. quae videri possunt in *Summa Conc. Carranz. nov. edit.* Idem Summi Pontifices declararunt: Urbanus III. *c. Consuluit*, 10. *de usur.* Leo. X. in Concilio

Lateranensi. 2° Usura Lucratoria prohibetur a iure Canonico, in Decreto *caus.* 14. *q.* 3. in Decretalibus, *tit. de Usuris*; in sexto Decretalium et Clementinis, *tit. de Usuris*. Ius vero civile, etsi usuras non abrogaverit, non tamen approbavit, sed tantum, maioris mali vitandi gratia, toleravit, et a iure Canonico in hoc correctum fuit. 3° Usura lucratoria iuxta communem Theologorum contra Abulensem etiam iure naturali est prohibita, et illicita, tum quia tollit aequalitatem, plus exigendo quam datum fuerit: tum quia contra ius naturae domino rem suam vendit; vendit enim mutuatario usum ipsius rei mutuo datae, qui tamen spectat ad mutuatarium, sicuti ipsa res: tum quia contra ius naturae idem bis vendit: vel enim usurarius usuras accipit pro pecunia, et sic duplex pretium pro eadem re accipit, unum, cum sortem accipit, alterum, cum usuras recipit: vel accipit usuras pro usu pecuniae, et sic vendit id, quod non existit, quia usus pecuniae a pecunia separatus nullus est ex ipsa intentione mutuantis, qui non dat pecuniam, nisi ad usum.

2. Nihilominus ratione damni emergentis, lucri cessantis, et periculi amittendae sortis, aliquid supra sortem, seu usurae compensatoriae accipi possunt. Nam haec omnia sunt mutuo extrinseca, et pretio aestimabilia; imo aequitas naturalis dictat, quod mutuatarius teneatur mutuantem benefactorem suum servare indemnem, et compensare illi damnum, quod mutuans incurrit, vel merito timet ex mutuo dato. Unde etiam S. Congregatio de Propaganda Fide, a Missionariis Chinensibus requisita, an liceat consuetudo Chinensis recipiendi ex mutuo 30. pro 100. etiam sine respectu lucri cessantis, et damni emergentis; respondit, licere ratione periculi probabiliter imminentis ammittendae sortis: cuius decisionis authenticum exemplar Hurtado exhibet; quod Innocentius X. approbavit.

*Schol.* 1. Dices I. contra 1. partem. *Deut.* 23. Dicitur: *Non foeneraberis fratri tuo ad usuram . . . . sed alieno.* Et *c.* 28. *Foeneraberis gentibus multis, et ipse a nullo foenus accipies.* Et *Luc.* 19. Christus ait: *Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum usuris utique exegissem illam? Resp.* Usurae illae Iudaeis fuerunt licitae, Deo bonorum omnium Domino ius concedente in alienigenarum bona, sicut licentiam dedit, Ægyptios spoliandi. Deinde usura in illa Christi parabola non approbatur, sed illius scopus est, ut in bonis a Deo acceptis semper proficiamus, non cum pecunia, sed cum gratia accepta maiorem acquirendo. II. Ius naturale permittit, ut homo pretium recipiat pro mutuo, ad quod dandum plerumque non tenetur. *Resp.* Mutuatio non est aestimabilis seorsim a pecunia; unde non potest aliud pretium pro mutuo, aliud pro gratia mutuandi facta exigi, sed reddendo mutuum fit sufficiens recompensatio. III. Pecunia praesens, et numerata praestantior est absente, et numeranda: ergo pro illa data mutuo aliquid exigi potest. *Resp.* Praesens pecunia non est pretiosior futura,

**Solvuntur obiectiones contra primam partem.**

nisi adsit lucrum cessans, ratione cuius utique aliquid supra sortem accipi potest. IV. Argentum monetatum non differt specie ab argento in vasa formato: sed licet accipere pretium pro usu vasorum argenteorum: ergo etiam pro usu argenti in monetas cusi. *Resp.* Argentum monetatum non quidem specie physica, sed tamen morali ab argento in vasa formato differt; nam usus vasorum argenteorum principalis non est eorum consumptio, et ideo usus eorum per locationem vendi potest, reservato dominio: usus vero pecuniae est eius consumptio moralis: unde hic usus reservato dominio vendi nequit, cum non distinguatur a dominio omnino independente, quod in mutuo in mutuatarium transfertur. Vid. Cl. P. Richard *Analys. Conc.* tom. 4.

Solvuntur obiectiones contra 2. part. *Schol.* 2. Dices I. contra 2. partem: c. *Naviganti*, *de usuris* dicitur: *Naviganti, vel eunti ad nundinas mutuans pecuniae quantitatem pro eo, quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid supra sortem, usurarius est censendus. Resp.* Iuxta multos mendum in textum irrepsit, et legendum est: *usurarius non est censendus.* Deinde loquitur Pontifex de periculo communi, et ficto, vel si mutuans periculum sortis in se suscipit, ad lucrum ex mutuo captandum. Denique ait, censendum, id est, praesumendum esse, in foro scilicet externo, usurarium, non vero coram Deo, si merae suae indemnitati consulat. II. Fur non tenetur quid ultra rem ablatam restituere ob periculum eam amittendi. *Resp.* Fur non fecit pactum cum domino de solvendo auctario propter periculum, quod tamen fecit mutuatarius. III. Mutuans paciscendo de auctario nequit quaerere suam indemnitatem; nam si recipiat sortem, est indemnis, si non recipiat, nec auctarium recipiet: ergo illusorie agit. *Resp.* Mutuans si sortem sine auctario recipit, non servatur indemnis, quia nil recipit pro periculo, quod antea erat pretio aestimabile, et pro quo ei auctarium tunc pactum debetur. IV. Si licet pro periculo sortis accipere auctarium, licebit etiam pro periculo huius auctarii, et sic in infinitum; imo ratione huius periculi excusarentur omnes usurarii, cum semper sors, maxime pauperibus data, periclitetur. *Resp.* Unico auctario totum periculum compensari potest; imo, si liceret quid pro periculo auctarii exigere, brevi deveniretur ad periculum tam leve, quod nullo pretio dignum foret. Periculum autem debet esse verum; probabile, et prudenter aestimatum; et pauperibus eleemosyna, vel mutuum sine auctario dandum est.

Montes Pietatis quid et an liceant? *Schol.* 3. Quaeritur, an *Montes Pietatis* sint usurarii. Est autem *Mons Pietatis* aerarium publice constitutum ad mutuandum indigentibus, ea lege, ut pro mutuo ipsis dato pignus relinquant, et determinato tempore mutuum restituant, recepto pignore, et insuper quid modicum pro sustentatione officialium solvant: si autem statuto tempore mutui solutio non fiat, pignus distrahi possit, ut detracta sorte, et exiguo augmento, reliquum mutuatario restituatur. Ili

Montes Pietatis non sunt usurarii; approbati enim sunt a Leone X. et inter alia pia loca recensentur a Tridentino *Sess.* 22. *de ref. c.* 9. Et ratio est, quia in illis nihil exigitur titulo mutui, sed tantum titulo sustentationis officialium, et damni quod alioquin Monti emergeret, qui tamen pro bono communi erectus est.

*Coroll. Pract.* 1° *Titulus primus*, ratione cuius aliquid ultra sortem exigi potest, est *damnum emergens*, quod mutuans patitur ratione rei mutuae datae; v. g. si mutuans egeat pecunia sua ad emenda necessaria familiae suae, quae modo vilius emere posset, et ratione mutuatae pecuniae postea carius emere debet. *Alter titulus* est *lucrum cessans*, quod mutuans certo, aut probabilissime fuisset consecuturus, si pecuniam suam mutuam non dedisset. *Tertius titulus* est *periculum sortis amittendae* ex dictis, scilicet, si absit intentio lucrandi ex mutuo, si periculum verum, et gravibus rationibus inuixum sit, si hoc periculum charitatis leges erga pauperes non laedat, quibus gratis subveniendum est. 2° Ut praedicti tituli auctarium ab usura excusent, requiritur 1. ut mutuatarius expresse moneatur de damno, sive ut lucrum cessans, damnum emergens, et periculum sortis expresse, vel tacite deducantur in pactum. 2. Ne plus exigatur, quam valeat damnum in aestimatione prudentum: vide litteras Encyclicas Benedicti XIV. *t.* 1. *Bullarii.* 3° Licet minoris emere chirographum, v. g. 1000. florenorum, quod creditor aegre, nec integrum extorquere potest; emptor vero ob gratiam, qua apud debitorem valet, totum accipit: quia tale debitum difficultatibus obsessum re vera minus valet, et emptor ob fallaciam gratiae, etiam periculum subire debet: pretium tamen minus debet esse iustum pro rata spei in uno, et difficultatis in alio: ipse tamen debitor hoc debitum emere potest. 4° Non est licitum mutuanti aliquid supra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus, iuxta propos. 42. ab Alexandro VII. damnatam, quia hoc daret ansam usuris palliatis. 5° Nec licet aliquid ultra sortem exigere ob maiorem aestimationem pecuniae praesentis, quam futurae, iuxta propos. 41. ab Innocentio XI damnatam. (Schol. 1.). Item illicitus est contractus Mohatra ex damnatione prop. 40. ab Innocentio XI. quia est palliata usura (§ 715. Schol. 2.). Item committitur usura, quando ultra sortem aliquid exigitur tamquam debitum ex benevolentia, et gratitudine, iuxta prop. 42. ab Innocentio XI. damnatam, quia hoc auctarium praecise foret ex mutuo; aliquid autem sperare sine pacto non est illicitum, quia haec spes non impedit liberalem donationem. 6° Usurarius tenetur ad restitutionem: accipere autem mutuum ab usurario iam parato ad usuras, ob propriam necessitatem, licet. 7° Poenae usurariorum notoriorum sunt: 1. Ipso iure sunt infames: *c. Infames cau.* 3. *q.* 7. prohibentur a SS. Eucharistia et Ecclesiastica sepultura: Testamenta facere non possunt: *c. In omnibus de usur.* Resolvuntur casus.

## Art. 5. *De Censu.*

Census quid? § 723. Tertius Contractus onerosus est *Census*, qui est contractus, quo quis sibi pro certa pecuniae summa emit ius, ex re, vel persona alterius percipiendi annuam pensionem.

Quotuplex? *Schol.* Census dividitur 1. in *reservativum*, quando quis rem suam alteri vendit, reservata sibi annua pensione ex re illa praestanda: et in *consignativum*, quando quis dominium rei quidem retinet, interim tamen consignat ius exigendi, et percipiendi ex ea annuam pensionem. Census consignativus alius est *realis*, qui in certa re fructifera v. g. agro constituitur: alius est *personalis*, qui in certa aliqua persona obligante se ad annuam pensionem ex arte sua, vel aliunde praestandam constituitur. 2. Census ratione temporis dividitur in *perpetuum*, qui ex se in perpetuum durat, estque vel *redimibilis*, qui restituto pretio redimi potest: vel *irredimibilis*, qui redimi non potest: et in *temporalem*, qui tempore absolvitur, eoque vel *determinato*, v. g. intra 20. annos, vel *indeterminato*, v. g. ad vitam uuius hominis, vel duorum; et hic etiam vocatur *vitalitius*.

Census realis est licitus. § 724. Census realis est licitus. Hunc enim approbarunt Martinus V. et Callistus III. in *Extrav. l.* 3. *t.* 5. Et ratio est, quia in emptione census realis occurrunt omnia ad legitimam emptionem et venditionem requisita, scilicet consensus, merx, et pretium; licet enim fructus succedentibus temporibus percipiendi pretium excedant, hoc tamen pretium iniustum non efficit, utpote quo non emuntur pensiones annuae, sed ius ad illas, quod minus valet, eo quod sit variis periculis obnoxium. Et quia etiam aliae venditiones cum conditione redemptionis praesertim ad arbitrium venditoris sunt licitae (§ 716. Schol.); ideo etiam census realis, cum pacto redimendi ex parte venditoris, licitus est.

Solvuntur obiectiones. *Schol.* 1. Dices I. Emens censum realem intendit lucrum ex mutuo, quia dat mille, ut habeat annuatim 50. adeoque post 40. annos duo millia: ergo est usurarius. *Resp.* Emens censum abdicat a se sortem, quam repetere nequit, quod non facit mutuans, adeoque non est mutuum; et Censuista hic non est usurarius; sicut nec ille, qui dum emit agrum, successu temporis plures fructus recipit, quam pretium agri valeat. II. Ius, quod dicitur vendi, in censu non extat: ergo non est vendibile. *Resp.* Ius illud non extat sub nomine census, bene vero sub nomine iuris percipiendi fructus ex re sua. Ex his etiam probabiliter infertur, censum realem utrinque redimibilem esse licitum, cum nullum mutuum hic subsit, sed natura emptionis et venditionis observetur.

An census personalis liceat? *Schol.* 2. Census personalis tam redimibilis, quam irredimibilis ex parte venditoris tantum, spectata natura sua, probabiliter est licitus, quia super personae industria constitui potest obligatio solvendi partem lucri annui, sicut etiam fit in Decimis personalibus: certe sola hic emptio cum pacto retrovendendi occurrit, et nullum mutuum.

S. Pius V. in Bulla: *Cum omnis*, requirit quidem ad censum rem immobilem, et frugiferam: verum censua personales fieri non vult, ad evitandum usurae periculum. Census vero personalis utrinque redimibilis super personae industria constitutus, probabiliter quidem defendi potest, quia aliis etiam emptionibus pactum adiici potest, non solum ad nutum venditoris redimendi, sed etiam ad voluntatem emptoris revendendi, ubi nullum mutuum intercurrit; interim tamen hic census periculo usurariae intentionis non caret. Eodem modo, licet census realis utrinque redimibilis cum pacto assecurationis probabiliter defendi possit, quia etiam in aliis contractibus, v. g. commodato etc. pactum adiici poteat, ut periculum rei ad commodatarium etc. spectet, licet eorum natura requirat, ut spectet ad commodantem: ergo etiam contractui censuali utrinque redimibili reali, et personali pactum assecurationis addi potest, ut si res censualis pereat, damno venditoris pereat, et venditor obligatus sit, censum restituta sorte redimere, modo haec obligatio venditori compensetur, vel pretium census augendo, vel pensionem minuendo. Interim tamen etiam hic census ab omni periculo usurae non omnino liber est. Vid. Benedictum XIV. *de Synodo dioeces. l.* 10. *c.* 5.

*Schol.* 3. *Census Germanicus*, pro 100. florenis mutuo datis, 5. florenos solvendi, est licitus. 1. Quia respublica ob dominium altum rerum, et bonorum ad privatos pertinentium ex causa bonum publicum concernente disponere potest, ut non quidem ex mutuo, sed alio titulo, v. g. boni communis, statuti etc. lucrum moderatum mutuanti obveniat: ergo illi ultra sortem. 5. florenos de 100. datis concedere potest, quod etiam de facto fecit in Recessibus Imperii de 1530. 1548. Augustae, et 1577. sub Maximiliano II. et 1600. sub Rudolpho II. 2. In praescriptione dominium rei ab uno in alterum a lege ob dominium altum transferri potest (§ 692.): ergo etiam in Censu Germanico. Causae autem publicae utilitatis sunt: evitatio litium ob lucrum cessans; facilitas obtinendi mutuum: subsidium ex hoc censu personis miserabilibus, Ecclesiis etc. proveniens: tranquillitas conscientiae: praesumptio generalis lucri cessantis, vel alterius iusti tituli, uti periculi amittendae sortis; quae praesumptio manet, licet cesset in quibusdam casibus particularibus. Non obstat I. quod Census Germanicus sit natura lucratoria, et respublica non possit imponere onus subditis, nisi aliunde compenset: ergo est illicitus. *Resp.* Usurae ex titulo mutui solum prohibentur; non vero ex alio titulo boni communis, statuti etc. et compensatio fit reipublicae, in cuius bonum Census Germanicus cedit ob causas assignatas. II. In praescriptione antecedenter ad statutum Principis adest bona fides, et sic bene inchoatur: in Censu vero Germanico antecedenter ad statutum Principis adest mala fides, quia est usura. Deinde in praescriptione possessio rei alienae subest dominio alto Principis; in usura vero lucrum ex re sterili, et pecunia non subest; unde hic census a republica solum toleratur, non vero approbatur. *Resp.* Etiam in praes-

An census Germanicus sit licitus?

criptione antecedenter ad legem non acquiritur dominium rei, sicuti antecedenter ad statutum Principis non acciperetur Census Germanicus. Deinde non minus possessio rei alienae, quam lucrum illud est sub dominio alto Principis, quod ad omnia bona fortunae se extendit. Quod vero respublica Censum Germanicum approbet, patet ex praxi tribunalium censum hunc creditoribus ad iudicantium; imo ipsa respublica eum sumit. III. Recessus Imperii praesumunt lucrum cessans, vel alium iustum titulum: ergo hoc cessante, Censui Germanico non patrocinantur. *Resp.* Recessus Imperii fundant se in praesumptione generali, et in bono publico, quae non cessant in casibus particularibus, licet cesset praesumptio. IV. In Evangelio dicitur: *Mutuum date, nihil inde sperantes. Resp.* Christus quidem exegit tantam charitatem, ut Christiani gratis dent mutuum, et omnes usuras ratione mutui prohibuit: sed cum hodie frigescat charitas, ut gratis dare nolint, hinc ex causa publica pro conservatione reipublicae et commerciorum salva conscientia, Census Germanicus a republica statutus sustineri potest, dummodo taxa non excedatur.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Ut census sit licitus, et iustus, requiritur, ut census realis constituatur in re fructifera, quae subtractis laboribus, et expensis sufficiat ad solvendas pensiones: item ut pretium census sit iustum, non exorbitans a lege, consuetudine, et iudicio prudentum: et ut pereunte re censui subiecta, census cesset. Aliae conditiones in *Extrav.* Martini V. et Callisti III. ac in Bulla S. Pii V. *Cum onus*, requisitae, non sunt in Germania omnes receptae. 2° Census Germanicus est quidem licitus; saepe tamen in particularibus casibus charitas laedi potest, si pauperes per lucrum solvendum ad inevitabilem mendicitatem redigantur, quo casu quis lucrum exigere non posset. Vid. *Inst. I. E. tom.* 2. § 697. *et seqq.*

### Art. 6. *De Cambio.*

Cambium quid? § 725. Quartus Contractus onerosus est *Cambium*, seu contractus, quo fit permutatio pecuniae pro pecunia, cum aliquo lucro ultra sortem.

Quotuplex? *Schol.* Cambium aliud est *reale*, seu permutatio pecuniarum, legitima servata aequalitate inter datum, et acceptum: aliud est *siccum* seu *fictum*, cui nullus inest titulus lucri, seu auctarii captandi, quod tamquam usurarium damnatur in Bulla S. Pii V. Cambium reale aliud est *manuale seu minutum*, quo pecunia unius formae, aut materiae permutatur cum pecunia alterius formae, vel materiae; uti argentea cum aurea, nova cum veteri: aliud est *locale* vel *per litteras*, quando permutatur pecunia praesens pro distante, aut distans pro praesente, sive quando pecunia datur in uno loco, ut reddatur in altero.

Cambium est licitum. § 726. Cambium sive manuale sive minutum, sive locale est licitum, servatis debitis conditionibus. Ita patet ex Bulla S. Pii V. *In eam*, in qua tamen omnes conditiones praescriptae fere nullibi

sunt usu receptae. Et certe sine cambiis cessaret commercium, ad quod variae specie pecuniae in varia loca transferendae requiruntur, quod per Cambium obtinetur. Deinde lucrum, quod Campsor, qui pecuniam praestat, ex Cambio accipit, iustis titulis accipit, uti ratione officii cambiendi, expensarum, industriae et laboris, in congregandis pecuniis, sustentandis ministris, periculis subeundis: ergo est licitum. Conditiones vero ad iustum Cambium requisitae, sunt: 1. Ne subsit fraus, vel dolus. 2. Ne quid accipiatur pro dilatione solutionis. 3. Ut lucrum sit iustum, lege, vel consuetudine taxatum. Vid. *Inst. I. E. tom.* 2. § 702. *et seqq.*

*Schol.* Si famulo vel nuntio dentur 100. ducati in auro, ut solvat creditori domini sui, non curantis in qua specie id fiat, non potest famulus hos ducatos pro moneta argentea cum lucro commutare, et ita solvere creditori, lucro sibi retento, quia prudenter iudicari nequit, ut famuli, economio, procuratores ita cum suis pecuniis negotientur: maxime cum talis famulus ad servitia sui domini obligatus, nullum titulum huius lucri assignare possit. Iterim tamen sententia Lessii et aliorum non videtur omnino reiicienda, qui talem famulum a restitutione lucri excusant (nisi tamen dominus expresse iussisset, ut in gratiam creditoris ducati aurei in specie solverentur), quia lucrum illud est fructus industriae, proveniens per negotiationem pecuniariam ex famuli industria et periculo factam; ac proinde nec domino pecuniae debetur, nec etiam suo creditori, cui integre per aliam pecuniam satisfit. In qua specie pecunia solvenda?

### Art. 7. *De contractu societatis.*

§ 727. Quintus contractus onerosus est *Contractus Societatis*, seu conventio plurium, partem suam conferentium in negotiationem ad commune lucrum. Contractus Societatis quid?

*Schol.* Contractus societatis duobus modis iniri potest. 1. Quando omnes socii conferunt sortem, sive capitale aequaliter, vel inaequaliter. 2. Si unus conferat sortem; alter vero laborem, et industriam. Ad contractum societatis spectat etiam *Contractus trinus*, qui sic initur: Titius, et Caius ineunt societatem, in quam Titius confert 1000. aureos, Caius vero totidem, vel suas operas, unde Titius sperat lucrari 200. aureos. En primus contractus societatis. Ne vero sors Titii periclitetur, offert Caio 50. aureos, vel statim dandos, vel ex lucro, vel post negotiationem sumendos, ut sortem Caius assecuret. En secundus contractus assecurationis sortis. Quia vero Titius mallet lucrum certum minus, quam incertum maius, vendit Caio 200. aureos ex negotiatione lucrandos pro 100. aureis. En tertius contractus assecurationis lucri certi pro incerto; unde Titius vel singulis annis, vel in fine negotiationis accipit 1100. aureos Quotuplex? Contractus trinus quid?

§ 728. Contractus societatis est licitus, ex communi praxi doctorum, et timoratorum. Ad hoc tamen requiritur: 1. Ut negotiatio sit honesta. 2. Ut sit vera, et lucrativa, non autem ficta. 3. Contractus societatis licet

Ut pecunia maneat sub dominio, et periculo eam conferentis. 4. Ut sicut lucrum, ita et damnum sit commune; alias foret *Leonina*, ab apologo leonis sic dicta, qui societatem iniit cum reliquis feris, ut de eorum praediis, non vero labore et periculo participaret. 5. Ut damnum et lucrum sit commune pro rata rei, quam quis contulit.

An contractus trinus sit licitus? *Schol.* 1. Contractus trinus cum eadem persona, sive simul, sive successive initus, probabilius est illicitus, ex Bulla Sixti V. *Detestabilis avaritiae.* Et ratio est, tum quia vi contractus trini dominium sortis, et lucri in alterum socium transfertur: nam alteri socio perit, et ille de sorte pro libitu suo disponere potest, adeoque est contractus mutui lucrativi, et consequenter ratione lucri ultra sortem usurarius. Vid. Benedictum XIV. *de Syn. dioec. l.* 10. c. 7. *n.* 6. Non obstat I. quod *c. per Vestras, de donat. inter vir. et uxor.* iubeatur, ut si vir vergat ad inopiam, dos uxoris alieni mercatori committatur, ut de parte honesti lucri, dictus vir onera matrimonii sustinere possit. Et *l. Si non fuerint, ff. de socio,* dicitur, societatem ita iniri posse, ut nullius damni partem alter sentiat; lucrum vero commune sit, ubi adest contractus trinus. *Resp.* Ex illa Decretali tantum sequitur, quod dos honestae negotiationi exponi possit; non vero quod dos et lucrum assecurentur. Sensus vero legis *ff.* est, quod in societates unus pecuniam, alter operas conferre possit, quae si tanti, vel maioris sint valoris, quam pecunia, conferens operas non debeat damnum pecuniae casu perditae subire, quia iam fert damnum operarum. II. Commodatarius assecurans commodatum non fit eius dominus: ergo nec assecurans sortem, et lucrum non fit eius dominus. *Resp.* Disparitas est, quia commodatarius rem in individuo reddere debet: ergo assecurando non fit eius dominus: pecunia vero ad negotiationem collata tantum in specie reddi debet; unde eam, et lucrum assecurans fit eius dominus. III. In contractu trino assecuratio sortis, et venditio lucri fiunt iusto pretio: ergo servatur aequalitas iustitiae. *Resp.* Fiunt tamen cum eadem persona, adeoque adest mutuum; secus enim foret, si cum personis diversis fierent, ubi mutuum non esset, cum dominium non transferretur.

An contractus duplex sit illicitus? *Schol.* 2. Contractus duplex, scilicet societatis et assecurationis sortis tantum, vel societatis, et assecurationis lucri tantum, non videtur esse illicitus, quia non degenerat in mutuum; nam socius assecurans non fit dominus sortis: si enim assecuret sortem, non assecurando lucrum, non potest de sorte pro libitu disponere, sed tenetur impendere negotiationi, ex qua conferens lucrum sperat: si vero tantum lucrum assecuret, non assecurando sortem, iterum non fit dominus, quia sors sibi conferenti perit. Deinde in contractu duplici periculum utrinque aequale est: nam in assecuratione sortis uterque exponitur periculo nil lucrandi: in assecuratione vero lucri uterque exponitur periculo sortis.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Impensae factae pro bono societatis cedunt

omnium sociorum damno pro rata spei lucri, nisi aliter conventum sit. 2° Societas animalium, seu conventio duorum vel plurium, qua unus animalia in societatem confert, alter illa custodit, et pascit, ut ambo lucrum ex fructibus percipiant, est licita, dummodo 1. animalia pereuntia sine culpa villici recipientis, non ipsi, sed conferenti domino pereant. 2. Villicus recipiens animalia sedulo curet, et lucri accuratam rationem reddat. 3. Lucrum secundum aequalitatem proportionatam capitalis ponentis, et operis recipientis dividatur. 3° Societas solvitur. 1. Morte naturali, civili et morali sociorum. 2. Renuntiatione sociorum. 3. Finito tempore statuto. 4. Finita negotiatione. 5. Interitu rei, vel egestate alterius socii. Vid. *Inst. I. E. tom.* 2. § 705. *et seqq.*

### Art. 8. *De Ludo, et Sponsione.*

**§ 729. Sextus Contractus onerosus est *Ludus*, seu certamen duorum, ad animi delectationem aliquid in communi deponentium cum pacto, ut victori cedat.** Ludus quid?

**§ 730. Ludus in genere est licitus: servit enim ad honestam animi oblectationem, et sicuti pecuniam meam alteri gratis dare possum, ita possum dare sub pacto, si in ludo vincat. Ludus tamen alearum, seu qui sola fortuna, sine industria, regitur, iure positivo maxime Clericis est prohibitus: uti patet *l.* 3. c. *de aleatoribus*, *c. Episcopus*, *d.* 35. et ex Tridentino *Sess.* 22. *c.* 1. *de ref.* Et ratio est, quia ex his lusibus oriuntur fraudes, mendacia, periuria, irae, rixae etc. et tota familiae substantia non raro absorbetur.** Est licitus.

***Coroll. Pract.* 1° Ut ludus sit licitus, cavenda sunt verba scandalosa; praecepta Dei, et Ecclesiae non sunt violanda; et lusus personae, loco, et tempori congruere debet. 2° Ad ludum cum pacto requiritur, 1. ut quis libere de re sua disponere possit. 2. Ut servetur inter ludentes aequalitas. 3. Ut quis illicitis fraudibus non utatur. 3° Victor in ludo prohibito lucrum ex eo acquisitum retinere potest, quia nullum ius restitutionem illi imponit. Victus vero in ludo prohibito non tenetur solvere, quia in iure datur illi facultas repetendi in iudicio solutum, nisi ad solutionem iuramenta se obligaverit.** Resolvuntur casus.

**§ 731. Septimus Contractus onerosus est *Sponsio*, quando duo de veritate rei contendentes, ponunt praemium pro eo, qui veritatem fuerit assecutus. Ut sponsio sit licita, requiritur 1. Ut fiat super re dubia; alias non servatur aequalitas periculi. 2. Ut uterque idem eodem modo accipiat, de quo certatur. Illicita vero est sponsio, si sit de re turpi, vel fraus adhibeatur, dissimulando v. g. certitudinem: licite tamen certat, qui certitudinem profitetur, si alter nihilominus certare velit.** Sponsio quid?

### Art. 9. *De Locatione, et Conductione.*

§ 732. Hactenus de illis Contractibus onerosis egimus, quibus dominium directum transfertur; nunc de iis dicendum, quibus domi- Locatio, Conductio quid?

nium saltem directum non transfertur: inter quos primus est *Locatio* et *Conductio*, quando quis rem aliquam alteri utendam, vel fruendam concedit, certo pretio, vel mercede constituta: qui concedit, dicitur *Locator;* qui suscipit, *Conductor*, dicitur.

Eius obligationes. § 733. Obligationes Locatoris sunt: 1. Aperire debet vitium rei locatae. 2. Solvere expensas ad conservationem rei locatae necessarias, tributa, et onera publica portare, nisi aliter conventum sit. 3. Conductorem non expellere ante elapsum tempus locationis.

Obligationes Conductoris sunt: 1. Ne re locata, nisi ad usum concessum utatur. 2. Ne eam deserat ante elapsum tempus. 3. Ut rem locatori integram servet. 4. Ut solvat statutam pensionem.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Conductor ante elapsum tempus expelli potest: 1. Si integro biennio non solvat pensionem. 2. Si ob casum improvisum res usibus domini sit necessaria. 3. Si necesse sit, rem locatam reficere, et id fieri non possit conductore eam inhabitante. 4. Si conductor in re male versetur, eam destruendo, abutendo etc. 2° Si magna incidat sterilitas, minuendum est de pensione pro rata sterilitatis: item si conductor aliunde, v. g. per tempestates, aliasve vi extrinseca, vel casu fortuito, sine culpa sua magnum damnum passus sit, nisi sterilitas per ubertatem praecedentis, vel subsequentis anni compensetur: *c. Propter, de Locat.* vel nisi pensio sit solvenda in parte aliquota, v. g. in tertia parte fructuum, quia tunc est contractus quasi societatis, ut quis damnum et lucrum cum domino fundi partiatur: quod tamen non tenet, si solum determinata quantitas, v. g. 20. modii, solvendi sint, ubi nulla adest societas, nec periculum locatoris; consequenter aliquid de pensione ob sterilitatem remitti debet. 3°. Locator, et Conductor sibi invicem obligantur ex culpa lata, et levi, non vero levissima, nec ex casu fortuito, quia contractus est in utilitatem utriusque. *Vid. Inst. I. E. tom. 2. §* 712. *et seqq.*

## Art. 10. *De Emphyteusi, Feudo, et Libello.*

Emphyteusis quid? § 734. Alter Contractus, ubi dominium directum non transfertur, est *Emphyteusis*, quando alteri in perpetuum, vel saltem ad decennium conceditur rei immobilis dominium utile, cum onere, ut quotannis solvat certum canonem domino directo, seu proprietario. Qui habet hoc dominium utile, vocatur *Emphyteuta*.

Quotuplex? *Schol.* Emphyteusis alia est *Ecclesiastica*, cuius dominium directum ad Ecclesiam spectat: alia est *laica*, quando ad laicum spectat. Rursus Emphyteusis alia est *simpliciter haereditaria*, concessa, ut transferatur ad quoscumque haeredes, etiam extraneos: alia est *mixte haereditaria*, quae concessa est pro filiis, seu descendentibus, iisque haeredibus: alia est simpliciter *ex pacto*, et *providentia*, quae data est pro filiis, so descendentibus, vel absolute, vel in certas generationes.

Eius obligationes. § 735. Conditiones, et obligationes Emphyteusis ex locorum con-

suetudine, et contrahentium pactis potissimum peti debent. Ex iure communi requisitae, sunt: 1. Ad valorem contractus emphyteutici requiritur scriptum instrumentum: *l. 1. c. de iure Emph.* 2. Emphyteuta debet fundum sibi concessum colere, et cavere, ne deterior officiatur, et omnia impendia praestare, quae ad eius conservationem, et fructuum collectionem spectant. 3. Debet solvere constitutum sibi annuum canonem, quem si tribus annis non solvat, dominus eum expellere potest: *l. 2. c. de iure Emph.* 4. Non licet Emphyteutae domino irrequisito fundum emphyteuticum alienare; alias ipso iure Emphyteusi privatur: *l. 3. c. de iure Emphyt.* 5. Si fundus emphyteuticus vendatur, vel iuxta nonnullorum locorum consuetudinem alio modo alienetur, debet Emphyteuta domino directo solvere *Laudemium* statutum, *mercedem ad manum*. Plura et specialia dabunt iura, et consuetudines locorum, ad quorum peritos timoratos Confessarius poenitentem debet remittere, ut eorum sententiam in dubiis emergentibus sequatur. Vid. *Inst. I. E. tom. 2.* § 722. *et seqq.*

§ 736. Tertius Contractus onerosus dominii directi non translativus, est *Feudum*, quo conceditur res immobilis quoad dominium utile, sub onere obsequii personalis exhibendi domino directo, qui *Infeudator*, et qui accipit, *Vasallus* dicitur. Feudum quid?

*Schol.* Feudum dividitur 1. in *novum*, quod primo alicui acquisitum est beneficio solius conferentis: et in *antiquum*, quod ab ascendente iure agnationis ad alterum transmissum fuit. 2. Dividitur in Feudum *haereditarium*, quod alicui simpliciter concessum est pro se, et quibuscumque haeredibus: et in *gentilitium*, seu *ex pacto*, *et providentia*, quod alicui concessum est pro se, et liberis suis. Quotuplex?

§ 737. Obligationes Feudi denuo ex consuetudine locorum et pactis adiectis peti debent. Communes sunt: 1. Vasallus sine domini consensu Feudum alienare nequit; alioquin committit *Feloniam*, Feudum est caducum, et alienatio irrita: *l. 2. feud. t.* 52. 2. Vasallus non solvit annuum canonem, sed tantum obligatur ad honorem, subsidium, et defensionem domini directi: *l. 2. feud. t.* 6. 3. Vasallus, eiusque successor intra annum, et diem investiturae renovationem, praestito iuramento fidelitatis, petere debet, non solum a domino, sed eo mortuo, ab eius successore; alioquin Feudo privatur per iudicis sententiam: *l. 2. feud. c.* 24. Reliqua ad Iuristas spectant, apud quos hic iterum consilium petendum erit. Vid. *Inst. I. E. tom. 2.* § 726. *et seqq.* Eius obligationes.

§ 738. Quartus Contractus onerosus dominii directi non translativus, est *Libellus*, quo Emphyteuta, vel Feudatarius rem in Emphyteusim, vel Feudum acceptam simili contractu tertio tradit. Libellus quid?

**Art. 11.** *De Pignore, et Hypotheca, Fideiussione, et Assecuratione.*

§ 739. Quintus Contractus onerosus dominii directi non translativus, est *Pignus*, quo res mobilis creditori traditur in securitatem debiti. Quod si res immobilis nuda conventione absque traditione Pignus quid?

obligetur creditori in securitatem debiti, ut si aliter non satisfiat, inde petatur satisfactio, dicitur *Hypotheca*. Si aliquis suscipiat in se obligationem alteri debitum solvendi, si debitor non solverit, vocatur *Fideiussio*. Si vero aliquis alienae rei periculum in se suscipiat, obligando se ad eam compensandam, si perierit, dicitur *Assecuratio*.

Hypotheca

Fideiussio.

Assecuratio.

*Schol*. Contractui Pignoris, et Hypothecae subinde additur, 1. *Pactum legis commissoriae*, ut si debitum ex mutuo ad certum tempus solutum non sit, pignus creditori cedat. 2. *Contractus Antichreticus*, quo convenitur, ut creditor fructus ex pignore lucretur, donec illi debitum restituatur.

Pactum legis commissoriae.

Pactum Antichreticum

*Coroll. Pract.* 1° Quae res vendi, illae etiam oppignorari possunt. 2° Pactum legis commissoriae a iure civili, *l. ult. Cod. de pact. et pign.* et *c. Significasti*, *de Pign.* reprobatur. Iustum tamen est pactum, ut si ad certum diem solutio facta non sit, pignus creditori iusto pretio vendi debeat. 3° Contractus antichreticus est usurarius, si creditor ultra sortem ex fructibus pignoris aliquid lucretur solius mutui causa: secus, si iusti tituli, lucri cessantis, damni emergentis, interveniant: vel fructus ex hypotheca percepti non superent quantitatem pensionis, quae ex statuto Germanico, vel iure census super eadem constituti exigi possunt cum pacto redhibitionis. 4° Fideiussor obligatur satisfacere, si debitor non satisfaciat. 5° Ad assecurationem requiritur, 1. Æqualitas inter pretium et periculum, quod assecurator in se suscipit. 2. Ut re vera adsit periculum. 3. Ut assecuratio sit libera, non vero coacta. 4. Ut assecurator ignorans moneatur de periculis. 5. Ut habeat bona rei assecurandae commensurata. Vid. *Inst. I. E. tom.* 2. § 665. *et seqq.* et § 671. *et seqq.*

Resolvuntur casus.

## SECTIO IV.

### *De Iniustitia, et Restitutione.*

## CAP. I.

### *De Iniustitia, eiusque Divisione.*

Iniustitia quid?

§ 740. Obiectum iustitiae tum materiale, tum formale, seu ius hactenus consideravimus: hoc si laedatur ab aliquo, committitur peccatum iustitiae oppositum, scilicet *Iniustitia*, quae est iuris alieni violatio.

Quotuplex?

*Schol*. Iniustitia alia est *generalis*, seu quaevis deficientia ab observatione legis; quo modo omne peccatum iniustitia, et peccator iniustus dicitur: alia est *specialis*, quae virtuti iustitiae specialiter opponitur, et quae modo definita fuit: violatio iuris alieni. Iniustitia specialis alia opponitur iustitiae commutativae, et est laesio iuris in re alieni; et trahit post se onus restituendi, seu reparationem damni alteri illati, quia iustitiae commutativae actus est restitutio, utpote quae facit aequalitatem arithmeticam inter rem et rem, damnum

et reparationem, datum et acceptum: alia opponitur iustitiae distributivae, et violat ius ad rem alterius, ex qua non oritur obligatio restituendi, quia per eam non laeditur ius reale, sed personale, cum personae sit quidem res debita, nondum vero propria, eo quod ante distributionem bona communitatis nulli sint debita. Iustitiae commutativae in specie opponuntur omnia peccata, per quae proximus in triplici bonorum genere laeditur, quae sunt: 1. Bona animae, non solum gratiae, sed etiam Intellectus, Memoria, Ars, et Scientia: in his damnificatur proximus, si impellatur ad peccatum: si auferatur illi usus rationis: si male vel negligenter instruatur: si a bono spirituali, vel spirituali annexo impediatur. 2. Bona corporis, in quibus proximus laeditur, per homicidium, mutilationem, stuprum, adulterium, duellum. 3. Bona famae, honoris, et fortunae, circa quae proximus laeditur per detractionem, contumeliam, calumniam, temerarium iudicium, suspicionem, et furtum. Iustitiae distributivae in specie opponitur acceptio personarum, quando bona communia, et officia non secundum merita personae, sed secundum affectum ad eam distribuuntur. De his peccatis iam nunc secundum ordinem agendum est.

## CAP. II.

### *De Iniuria, seu damno aliis illato in bonis animae.*

§ 741. Igitur, quantum ad ius proximi in bonis animae laesum, vel damnum ipsi in illis illatum, qui vi, vel fraude alteri graviter nocet in bonis animae, inducendo ad peccatum, privando eum ratione, male instruendo, impediendo a bono spirituali, peccat graviter, et tenetur ad restitutionem; peccat enim contra ius alterius in re, cum cuilibet non minus competat ius rigorosum in bona animae naturalia, quam in bona temporalia: item ne per fraudem in errorem, peccatum etc. inducatur, nec a bono spirituali impediatur.

**Laedere alium vi vel fraude in bonis animae est contra iustitiam**

*Coroll. Pract.* 1° Qui sine vi, et fraude alterum in peccatum, quod non est contra iustitiam, induxit, non tenetur ex iustitia, sed ex charitate procurare, ut damnum spirituale reparetur; hoc enim ius naturae iuxta leges charitatis exigit, ut auctor talis mali, suadendo, hortando etc. eius emendationem procuret: licet extra casum necessitatis haec obligatio probabilius non sit sub peccato mortali, cum ipse seductus per poenitentiam se iuvare teneatur. Dictum est, si non sit peccatum contra iustitiam, qui enim aliquem induxit ad alterum damnificandum, illi detrahendum, etc. tenetur ex iustitia ad restitutionem, non quidem inducto, sed ei, qui damnum passus est, quia est causa damni. 2° Qui proximum vi, fraude, vel metu reverentiali gravi ad grave peccatum induxit, tenetur ex iustitia vim vel fraudem tollere, et quantum potest, procurare media, quibus seductus amissam gratiam recuperet, quia est iniusta causa damni: quod tamen ita intelligendum; si seductus vel ob ignorantiam, vel aliam causam non ha-

**Resolvuntur casus**

beat media poenitentiae in promptu : quae si habeat, iisque sponte non utatur, cedit iuri suo, et seductor ex iustitia ad nihil tenetur. 3° Qui alterum aeterna salute privavit, tenetur solum ad agendam poenitentiam; salus enim aeterna semel amissa recuperari nequit : unde privans ad nullam aliam restitutionem tenetur. 4° Qui alterum privat memoria, usu rationis etc. quia haec bona, utpote altioris ordinis, bonis fortunae compensari non possunt, tenetur saltem reparare omnia damna, quae ex ablato usu rationis oriuntur : uti satisfacere, quod quis ad officium suum incapax factus fuerit, quod redditus amiserit, medicinas procuraverit etc. 5° Qui philtro coniecit proximum in amentiam, vel maleficiis compulit ad noxium quid agendum, peccat graviter contra iustitiam, et ex iustitia tenetur tollere maleficia, si adhuc durent, et remedia adhibere contra philtrum, et reparare damna inde exorta, si reparari possint. Imo Sotus probabiliter putat, quod etiam pro ablato usu rationis, et memoriae, restitutio pecuniaria fieri debeat, quia pro vera iniustitia debet fieri restitutio, prout est possibilis. 6° Qui proximum imbuit errore mere speculativo, non censetur saltem ordinarie gravem iniuriam inferre, quia tale damnum communiter parvi fit. Ille vero peccat graviter, qui proximum imbuit errore practico, ex quo alia damna sequuntur: v. g. si Professor Theologiae, Iuris, aut Medicinae doceat scienter sententias haereticas, aut falsas, ex quibus aliorum damna oriri possunt, qui proinde tenetur ad restitutionem damnorum, quia agit contra ius alterius, ne per fraudem in errorem inducatur. 7° Qui absque vi, vel fraude solo consilio iustis de causis Candidatum revocat de sua vocatione, vel Novitium a Novitiatu, non peccat graviter contra iustitiam, nec contra charitatem, quia abstractio illa non est ad malum; nam vita in saeculo non est illicita. Abstractio tamen facta sine iusta causa, est peccatum grave, praesertim si sit contra vocationem moraliter certam, quia talis magnis animae periculis exponitur. Iustae vero causae abstrahendi a statu Religioso sunt: si parentes auxilio Candidati indigeant: si promiserit Matrimonium, vel debita habuerit : si aliqua corporis infirmitate laboret: si in Ordine aliquo non vigeat disciplina: si complexio eius non sit apta ad illum Ordinem: si mores habeat Religioni nocituros. Qui autem per vim, et fraudem abducit Candidatum a Religione, peccat graviter contra charitatem, et iustitiam, avertendo eum a magno bono; unde tenetur ex iustitia vim, et fraudem tollere, et seductum ab iniuria liberare, ut si velit ingredi, vel regredi ad religionem possit : tenetur etiam damna seducto resarcire, et procurare media revertendi ad vocationem, si seductus illa non habeat ; si enim habeat, et sibi non consulat, censetur volens sua damna pati. * ( Si sermo sit de illis, qui virgines, aut mulieres sine caussa a velo accipiendo, vel voto emittendo impediunt, a Trident. sess. 25. de regul. cap. 18. percelluntur anathemate. ) * 8° Qui alium rationabiliter invitum impedit a consecutione boni, illi ex iustitia debiti, peccat contra iusti-

tiam, et tenetur ad restitutionem, sive vis vel dolus intervenerint, sive non, quia violat ius alterius: sic qui impedit, vel removet aliquem a Beneficio Ecclesiastico propter causam indebitam, ad quod ipse habet ius quaesitum vel perfectum, per collationem, praesentationem, electionem, compensare ei debet damnum illatum. Si vero bonum illud non debeatur illi ex iustitia, uti eleemosyna, beneficium, aut aliud donum gratuitum, et quis solo consilio, precibus, donis sine vi et fraude alterum impediat, non tenetur ad restitutionem, quia non peccat contra iustitiam commutativam, et ius alterius in re non laedit; unde si fecisset ex odio, et animo nocendi, peccaret quidem contra charitatem, non tamen contra iustitiam. Qui vero vi, fraude, detractione, mendacio, alterum a consecutione talis boni impedit, is damnum illi compensare debet arbitrio boni viri, iuxta certitudinem vel probabilitatem spei ad tale bonum; quia talis habet ius, ne fraude a consecutione illius impediatur. 9° Qui leves alterius defectus exaggerando cum impedit a consecutione boni indebiti, si non exaggeret per mendacia, non tenetur ad restitutionem, quia non violat graviter ius alterius. 10° Qui a consecutione Beneficii impedit dignum, ut conferatur digniori non tenetur ad restitutionem, si sine fraude faciat, quia dignus non habet ius, ut praeferatur digniori.

## CAP. III.

### *De damno illato in bonis corporis, ac primum per Homicidium.*

§ 742. In bonis corporis laeditur proximus, primo per *Homicidium*, quod est iniusta exanimatio hominis per hominem facta. Si fiat a bruto, vocatur in iure *Pauperies*. Homicidium quid?

*Schol.* Homicidium 1. vel est exanimatio *sui ipsius*, vel *alterius*, vel *foetus in utero animati*. 2. Homicidium alterius vel fit *publica auctoritate*, vel *privata*. 3. Si privata, vel fit *ob necessariam defensionem*, vel *absque necessitate defensionis*. 4. Homicidium sine necessitate defensionis aliud est *casuale*, quod sine culpa, et dolo accidit: aliud est *voluntarium*, quod fit culpa et dolo: estque vel *directe tale*, quando ponitur aliqua actio, per quam mors directe intenta sequitur: vel *indirecte*, quando ponitur causa ita propinqua, ut ex ea mors certo secutura praevideri potuerit. 5 Homicidium voluntarium vel est *simplex*, sine circumstantia specialis malitiae: vel *qualificatum* cum tali circumstantia: quale est *proditorium*, quando alter nil metuens sub specie amicitiae occiditur: *insidiosum*, dum quis alium ex improviso occidit: *assassinium*, quando quis alterum per tertium pretio ad hoc conductum occidit: *veneficium*, quando alter veneno occiditur: *maleficium*, per artes magicas occidendo alterum: *sacrilegium*, occidendo personam sacram, vel profanam in loco sacro: *latrocinium*, quando spolii causa alter occiditur: *parricidium* quando parentes, et cognati usque ad quartum gradum inclusive occiduntur: *crimen* Quotuplex?

*luesae Maiestatis*, quando Papa, Princeps, vel custos eius latus actu stipans occiditur.

### Art. 1. *De Occisione malefactorum.*

Licet malefactores occidere

§ 743. Licitum est auctoritate publica occidere malefactores bono communi noxios. Quippe *Exod.* 22. legitur: *Maleficos non patieris vivere* Et: *Qui cum iumento coierit, morte moriatur.* Et S. Paulus *ad Rom.* 13. *v.* 4. de Principe dicit: *Si malum feceris, time; non enim sine causa gladium portat, vindex in iram ei, qui malum operatur.* Deinde quaelibet persona ad totam communitatem comparatur, ut pars ad totum: ergo siqua sit nociva communitati, et corruptiva propter peccatum, salubriter occiditur, ut bonum commune conservetur. Ex quo etiam sequitur, quod hoc soli Magistratui, qui pro bono communi vigilat, competit.

Solvuntur obiectiones Waldensium

*Schol.* Waldenses negant, licitum esse, aliquem auctoritate publica occidere: et Scotus putavit, nonnisi eos, qui in S. Scriptura determinantur, poena mortis affici posse. *( L. P. Henno tract. in decal. praecepta disp. v. quaest. 1. ubi observat Scotum non diffiteri posse auctoritate publica alios sontes morte affici, sed tantum locutum fuisse secundum iura antiqua Imperialia, quae pro furto non mortem, sed aliam poenam decernebant).* Rationes sunt: I. Quia solus Deus vitae dominium sibi reservavit in *Deut. ego occidam.* Et 1. *Reg. Dominus vivificat, et mortificat. Resp.* Deus solus est vitae dominus independens; dependenter vero a Deo etiam Princeps peccatores ex iusta causa occidere potest, ne bono communi noceant. II. *Gen.* 9. v. 6. prohibetur, ne quis *humanum sanguinem effundat, quia ad imaginem Dei factus est homo:* quae imago etiam in peccatore perseverat. *Resp.* Ibi prohibetur iniqua proximi occisio auctoritate privata, non publica.

Resolvuntur casus.

*Coroll. Pract.* 1° Respublica seu Magistratus non habet ius ad arbitrium suum occidendi, vel periculo mortis exponendi suos subditos, quia non habet absolutum dominium in corpora suorum subditorum. Ut autem Iudex reum iuste morti adiudicet, 1. Debet in eum habere iurisdictionem. 2. Causa mortis debet esse iusta, a legibus praescripta, nec ex aliqua prava passione sententia ferenda. 3. Iuris ordo servandus est. 4. Defensio rei patienter audienda; nec is captiosis quaestionibus vexandus, nisi et ipse reus subdole neget, et crimen tegat. 2° Magistratus habet ius, subditos suos exponendi mortis periculo, quando recta ratio dictat, necessarium esse ad rempublicam tuendam. 3° Licitum est bannitum per publicam mortis sententiam cuivis e populo occidere, dummodo non fiat ex odio, sed publicae iustitiae zelo et auctoritate, nec pendente appellatione, et excipiantur parentes, liberi, uxor, qui bannitum alere tenentur, nisi actualis reipublicae hostis existat, cum ius civile ius naturale non tollat. Bannitus vero defendere se non potest, aggressorem occidendo, quia alias potestati publicae, quam ille exequitur, resisteret. Extra territorium vero pros-

cribentis proscriptum occidere non licet, quia extra hoc sententia ius dicentis executioni mandari non potest. 4° Leges civiles dantes ius patri, occidendi adulterum cum filia, eatenus solum iustae sunt, quatenus ob enormitatem sceleris poenam mortis homicidae non decernunt, nec ullam actionem contra illum recipiunt.

ART. 2. *De Occisione sui ipsius.*

§ 744. 1. Seclusa auctoritate Divina iubente, vel permittente, est peccatum mortale directe occidere seipsum, quia est contra praeceptum: *Non occides:* et occisio sui ipsius est contra naturalem inclinationem sui ipsius: iniuriam facit communitati, cuius quis pars est, et peccat in Deum, cuius potestati, et iudicio vita nostra subiecta est: ergo non licet. Hinc si qui sancti leguntur directe cooperati esse ad mortem suam, ex speciali Dei instinctu hoc fecerunt. Non licet occidere seipsum.

2. Nec licet seipsum occidere indirecte, faciendo, aut omittendo aliquid, unde mors, licet non intenta, sequatur, nisi adsit iusta causa illud faciendi, vel omittendi. Nam non licet directe occidere seipsum (n. 1.). Ergo nec indirecte; alias enim esset voluntarium interpretativo in causa. Si autem iusta causa subsit, licet se indirecte occidere, quia praeceptum affirmativum, vitam suam conservandi, obligat non pro semper.

*Coroll. Pract.* 1° Virgini ad servandam castitatem suam, non licet directe se occidere; nam non peccat, si vim invita patiatur: licet tamen illi certo mortis periculo se exponere pro sola integritate corporali, quae rationem boni magni habet: quia sic directe ad sui occisionem non cooperatur, sed eam tantum permittit, aut contra vim iniustam se non defendit, quod ex gravi causa pro conservatione fidei, et bono communi reipublicae licet. 2° Licet se, seu carnem suam vigiliis, et ieiuniis moderatis affligere: graviter tamen peccat, iuxta P. Layman, qui indiscrete ieiunia continuando adverteret, vitam illius notabiliter minui; ubi tamen P. Gobat observat, non esse obligationem vitam prolungandi, sed tantum conservandi; nam prolungare illam importat studium singulare, ad quod nemo tenetur, nisi bono publico valde utilis et necessarius foret: conservare autem dicit tantum studium commune, ad quod tenemur. Hinc licite quidem pes gangraena infectus abscinditur, ut vita servetur: nemo tamen ad haec media extraordinaria, et nimis dura tenetur, etsi etiam Superior praeciperet. Unde etiam virgo excusatur a peccato, quae renuit admittere chirurgum ad sanandam partem verecundam, quando id magis quam mortem horret. Pariter excusantur, qui pro servanda vita nolunt nubere. 3° Graviter peccant, qui nolunt se a gravi mortis periculo eripere, quando facili medio possunt, sumendo v. g. medicinas ordinarias: ad media vero sumptuosa, et nimis dura non tenentur. Si vero aegrotus nonnisi per summam nauseam, et cruciatum medicinam sumere posset, non peccat, si renuat, quia adest moralis impossibilitas. Graviter tamen peccant, qui per fre- Resolvuntur casus.

quentem intemperantiam vitam sibi abbreviant. 4° Mulier non potens parere, licite potest admittere excisionem, ut infans baptizetur: ad hoc tamen non obligatur: si vero infans in utero mortuus sit, non tenetur pati eius excisionem, ut vitam propriam conservet; quia hoc medium et periculosum, et nimis arduum est. 5° Voluntarie seipsum occidens, sepultura Ecclesiastica, et suffragiis privandus est; non vero qui ex furore aut melancholia hoc fecit, aut ante mortem vere de hoc facto doluit. Si dubitetur, an ex amentia factum sit, praesumitur ex opere externo occisionem fuisse voluntariam, nisi adsit praesumptio in contrarium: si dubium maneat, res ad ordinarium deferatur: si dubitetur, an a se vel alio quis occisus fuerit, delictum non est praesumendum, nisi graves coniecturae praecesserint.

ART. 3. *De Occisione alterius privata auctoritate.*

Non licet alium privata auctoritate occidere.

§ 745. Homicidium innocentis, vel alterius cuiuscumque privata auctoritate nunquam directe est licitum, quia est contra praeceptum: *Non occides.* Deinde homicidium adversatur gravissimo praecepto, et hominem contra charitatis, et iustitiae leges privat bono temporali omnium maximo, et irreparabili, scilicet vita: ergo non licet.

Resolvuntur casus.

*Coroll. Pract.* 1° Occidere innocentes indirecte et praeter intentionem, quandoque licet: sic iure belli licite expugnatur civitas, in qua sunt multi innocentes. 2° In casu, quo tyrannus minaretur excidium civitatis, nisi illa aliquem innocentem occidat, nequit eum occidere: si vero tyrannus petat innocentem a se occidendum, alias civitatem eversurus, potest civitas hunc innocentem tradere, quia ipse innocens tenetur in hoc casu etiam cum vitae dispendio periclitanti reipublicae succurrere. 3° Concilium Constantiense *Sess.* 15. velut haereticam et detestandam opinionem illorum damnavit, qui licitum esse dicunt, regem tyrannum interficere: adeoque tolerandus est talis Princeps tyrannus a populo, et scelerum eius supplicium Deo relinquendum, vel potius orandum, ut Deus cor eius in bonum commutet.

ART. 4. *De Occisione iniusti aggressoris.*

Licet iniustum vitae aggressorem occidere.

§ 746. 1. Unicuique tamen licet defendere vitam propriam cum occisione iniusti invasoris, *servato moderamine inculpatae tutelae.* Nam 1° *Exod.* 22. *v.* 2. dicitur: *Si effringens fur domum, sive suffodiens fuerit inventus, et accepto vulnere mortuus fuerit; percussor non erit reus sanguinis. Quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, et ipse morietur.* In quae verba S. Augustinus *q.* 84. *in Exod.* ait: *Intelligitur ergo, tunc non pertinere ad homicidium, si fur nocturnus occiditur; si autem diurnus, pertinere: hoc est enim, quod ait: si sol oriatur super eum; poterat quippe discerni, quod ad furandum, non occidendum venisset.* Hanc autem legem esse etiam pro foro conscientiae, patet ex *c. Si perfodiens, de homicidio.* 2° Ita docent PP. S. Cyrillus *l.* 1. *in Ioan. c.* 35. S. Ambrosius *l.* 1. *off.*

c. 36. etc. 3° Vim vi repellere omnia iura permittunt: *l. 1. ff. de iust. et iur. c. Significasti, de homicid.* cum moderamine tamen inculpatae tutelae. Item plus tenetur homo propriae, quam alienae vitae providere; quod falleret, si non liceret occidere iniustum vitae aggressorem, maxime cum in hoc casu occisio invasoris fiat praeter intentionem, cum invasus non intendat mortem invasoris, sed propriam defensionem.

2. Licet etiam pro defensione facultatum non modici momenti, quae alia ratione reparari, et liberari non possunt, iniustum aggressorem vulnerare, vel occidere: quia temporalia bona sunt per se necessaria ad vitam conservandam; et Charitas non exigit, ut magna iactura eorum pro conservanda vita proximi fiat, nisi sit in gravi, vel extrema necessitate constitutus, in qua necessitate talis iniustus aggressor non versatur, sed potius in magna malitia: unde etiam hoc exigere videtur publica securitas. Deinde ex iure gentium licet gerere bella cum caede plurimorum per solis bonis temporalibus: ergo etiam iniustum invasorem eorum servato debito moderamine occidere. Vid. Ill. D. de Ligorio *Th. mor.* qui multos graves Doctores allegat. Item aggressorem bonorum

3. Famam vero et honorem non licet defendere cum occisione invasoris. Nam 1° Alexander VII. damnavit has propositiones: 17. *Est licitum Religioso vel Clerico, calumniatorem gravia crimina, de se, vel de sua Religione spargere minitantem occidere, quando alius modus defensionis non suppetit.* Item 18$^{am}$: et Innocentius XI. damnavit similem propositionem inter damnatas 30$^{am}$. 2° Ratio est, quia honor est inferioris longe ordinis, quam vita alterius; iniuste ablatus per viam iuris et alia remedia reparari potest; adeoque occisione alterius moderamen inculpatae tutelae non servatur, et hoc modo via lata homicidiis aperiretur, cum difficile sit mundanis persuadere, eum, quem putant, honorem, re ipsa talem non esse. Non vero famae.

*Schol. 1.* Dices I. contra n. 1$^{um}$ S. Augustinus *l. 1. de lib. arb.* ait *c. 5. Quomodo, apud Divinam providentiam liberi sunt, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humana caede polluti sunt?* Et inter has vitam reponit. Et *ep. 154.* ait: *De occidendis hominibus, ne ab eis quoque occidatur, non mihi placet consilium.* Et S. Ambrosius *l. 3. off. c. 4.* ait: *Mihi quidem non videtur, quod vir Christianus et iustus et sapiens quaerere sibi vitam aliena morte debeat.* Item S. Cyprianus *ep. 56.* ait: *Christianis non licet occidere iniustos vitae ipsorum ereptores, sed occidi necessum est.* Et S. Bernardus *tr. 1. de militia* ait: *Quis igitur finis vel fructus saecularis huius non dico militiae sed malitiae, si et occisor lethaliter peccat, et occisus aeternaliter perit? Resp.* S. Augustinus in primo loco loquitur de homicidio ex intentione patrato: vel solum inquirit, an liceat, et non resolvit; nam in *l. 1. retract. c. 9.* fatetur, se in illo libro, quem iunior scripsit, multa inquisivisse, quae resolvere non potuit. In altero loco solum docet, quod invasus invasorem non teneatur occidere; non vero, quod non possit. S. Ambrosius vult occisionem aggressoris ex odio, vel intentione fieri non Solvuntur obiectiones.

debere. S. Cyprianus loquitur de persecutoribus Christianorum, quos occidere non licet. S. Bernardus de militibus in bello iniusto, vel ex vana ostentatione alios occidentibus loquitur. II. *c. de his, dist.* 50. Clericus incurrit irregularitatem, qui iniustum invasorem occidit: et alterum occidere privata auctoritate intrinsece malum est. *Resp.* In dato casu irregularitas per *Clement. Si furiosus*, sublata est. Et occidens iniquum aggressorem a iure potestatem obtinet. III. Invadens, si occidatur, damnandus foret: ergo per propriam vitam ei consulendum est, quia re vera est in extrema necessitate spirituali. *Resp.* Extrema illa necessitas ex propria invadentis voluntate, et malitia oritur, quam tollere potest.

*Schol.* 2. Dices I. contra n. 2^um^ Vitae proximi tum corporali, tum spirituali bona fortunae utpote inferioris ordinis posthabenda sunt. *Resp.* Hoc verum est, si proximus, non sua sponte et malitia, se in eam necessitatem coniecit. II. S. Scriptura *Exod.* 22. et iura statuunt, furem nocturnum impune occidi, non vero diurnum, nisi telo se defendat. *Resp.* Fur diurnus, si comprehendi et bona ab eo ablata recuperari possint, nequit occidi; secus, si non possint: in fure vero nocturno cum discerni non possit, an animo furandi, vel occidendi advenerit, si homines advocari non possint, ad declinandum periculum, defensio occisiva licet. III. Innocentius XI. damnavit has propositiones: *Non solum licitum est, defendere defensione occisiva, quae actu possidemus, sed etiam ad quae ius inchoatum habemus, et quae nos possessuros speramus.* Et hanc: *Regulariter possum occidere furem pro conservatione unius aurei. Resp.* In his solum statuitur, quod non liceat pro conservatione rei exigui momenti, vel pro iure incboato, vel pro re nondum possessa occidere invasorem bonorum temporalium.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Occisio iniqui aggressoris debet fieri ex animo se defendendi, et cum moderamine inculpatae tutelae, hoc est, non inferendo maius damnum, quam necessarium sit ad propulsandam iniuriam. Quod moderamen in eo consistit, si quis consideratis circumstantiis loci, temporis, personarum etc. contra aggressorem modo faciliori se defendere non posse rationabiliter putet, quam praeveniendo, et resistendo: et ideo si invasus se possit liberare fugiendo, clamando, percutiendo, vulnerando, nequit iniustum aggressorem occidere. 2° Ut haec occisio iniusti aggressoris sit licita, requiritur 1. Ut aggressio sit certa, et iniusta 2. Ut defensio fiat in ipsa aggressione: unde si aggressor inflicto vulnere fugit, non licet cum in fuga occidere. Quando vero meipsum iuste defendo, iniustum aggressorem occidendo, etiam alius eodem modo potest me defendere. 3. Requiritur moderamen inculpatae tutelae. 3. Vir nobilis, vel militaris iuxta multos Doctores non tenetur fuga sibi graviter ignominiosa fugere iniquum invasorem. Sed Ill. D. Godeau hanc sententiam veluti charitati Christianae contrariam refutat: Clericis vero, Religiosis, et aliis plebejis fuga haec non est probrosa, imo nec nobili, si aggressor sit

ebrius, amens, pater, vel superior; unde tunc adest obligatio fugiendi. 4° Invasus, si advertat, quod non servaturus sit moderamen inculpatae tutelae, vel quod ex occisione aggressoris aeterna damnatio sit secutura, potest, licet non teneatur, permittere sui occisionem, si eius persona non sit reipublicae multum necessaria, et ipse suam salutem aeternam in tuto ponere possit. 5° Quando iniuste invasus non potest aliter fugere, nisi iacentem in via angusta claudum innocentem occidendo, potest fugere, licet mors claudi innocentis sequatur, quia per hoc non ammittit ius se defendendi. 6° Si quis furem fores adhuc effringentem, antequam bona surripuerit, occidat; peccat, nisi fur simul esset vitae aggressor, quia vim iusto maiorem ad sui defensionem adhibet: si vero bona maioris momenti iam surripuit, et fugit, ita ut non supersit spes ea recuperandi, non peccat, cum occidendo. Quaenam autem sint bona magni momenti, facile determinari nequit: ea certe esse debent, sine quibus vita secundum conditionem status duci nequit. Porro non licet talem furem occidere, si clamore, vel furis persecutione bona ablata recuperari possint. Talem autem furem etiam Clericus, vel Religiosus licite occidere potest, quia etiam hi habent ius ad sua et Monasterii bona defendenda. 7° Non licet pro conservatione rei exigui momenti, vel pro iure inchoato, vel pro re nondum possessa occidere invasorem bonorum temporalium, uti patet ex prop. 31. 32. et 33. ab Innocentio XI. damnatis, quia aliis mediis recuperari possunt. 8° Marito, etsi sit iudex, non licet occidere uxorem in adulterio deprehensam, iuxta propos. 19. ab Alexandro VII. damnatam; imo uxor, et adulter licite se defendere possunt, etiam defensione occisiva contra aggressorem, quia aggressio est iniusta. Sicut etiam ex dictis non licet occidere iniustum invasorem famae et honoris. 9° Non licet defendere pudicitiam cum occisione iniusti invasoris; vel enim haec sumitur pro virtute animi, et haec ab invita auferri nequit: vel pro integritate carnis, et haec est inferioris ordinis ad vitam hominis; consequenter si pro eius defensione occideretur homo, non servaretur moderamen inculpatae tutelae.

### Art. 3. *De Procuratione Abortus.*

§ 747. Secundo, in bonis corporis laeditur proximus per procurationem *Abortus* foetus, sive animati, sive inanimati; quae si fiat vel directe, vel indirecte faciendo aliquid, unde praevidetur abortus, est peccatum mortale. Si enim foetus est animatus, committitur homicidium (§ 742.): si non est animatus, reducitur saltem ad homicidium, quia impeditur homo futurus. Ergo est peccatum mortale (§ 743.). Hinc merito Ius Civile procurationem abortus foetus animati, morte; inanimati, exilio; et Ius Canonicum severissima poenitentia plectit: et Innocentius XI. damnavit has propositiones: 34am. *Licet procurare abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.* Et 35am *Videtur probabile, omnem foetum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, et tunc pri-* Procuratio Abortus est mortale

***mum incipere eamdem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum*** *erit, in nullo abortu homicidium committi.*

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Foemina etiam per stuprum violentum impraegnata, ante animationem foetus non potest licite procurare abortum, ne quidem ad mortem vitandam, quia hoc opponitur generationi a natura intentae magis, quam pollutio: unde etiam hoc non licet ad vitandam infamiam communitatis, familiae, vel Parthenonis. Imo nec abortus licite procurari potest statim post conceptionem. Ad summum iuxta P. Sanchez probabile est, quod foemina in ipsa iniusta, et violenta oppressione, violenta resistentia possit semen continuo expellere, tamquam iniustum aggressorem castitatis, ad infamiam vitandam; quod magis est impedire perfectam conceptionem, quam procurare abortum. Verum probabilior sententia pro praxi tenenda est, hoc non licere, quia hoc etiam post oppressionem non licet. 2° Ne quidem indirecte licet procurare abortum per medicamenta, per quae directe intenditur evitanda infamia, vel mors ab extrinseco inferenda, quia ad hoc illa medicina non prodest, nisi quatenus foetum occidit, et expellit. 3° Procurans abortum foetus animati incurrit Excommunicationem, iuxta Bullam Sixti V. et etiam in dubio, an fuerit animatus, irregularitatem. Verum hanc Bullam Gregorius XIV. reduxit ad terminos iuris communis, iuxta quod tales ut homicidae puniantur; non tamen fiunt irregulares, si foetus inanimatus fuerit: quoad foetum vero animatum Excommunicatio non est amplius Papae reservata, sed Confessarius ab Ordinario delegatus ab ea absolvere potest. *( Dummodo *specialiter* sit delegatus; hinc qui a casibus Episcopo reservatis absolvendi donatur facultate, ab hac excommunicatione absolvere nequit, et quoad irregularitatem ne Episcopus quidem dispensare potest, cum iuxta Trid. sess. 24. cap. 6. de reform. nequeat irregularitatem ex homicidio provenientem relaxare)* Masculus vero in utero die quadragesimo, foemina die octogesimo censentur animari: in dubio praesumitur esse masculus. 4° Praegnans, si immodico saltu, labore, intemperantia, deliberata ira, foetui noceat, gravissime peccat, etsi hoc non intendat, dummodo praevideat, et aliunde certo sciat. Ad servandam tamen vitam, et sanitatem potest praegnans licite adhibere medicinam per se non ordinatam ad expulsionem foetus, licet per accidens sequatur abortus, quia sine tali medicina vita matris, et infantis in periculo maneret: si vero medicina non conduceret ad sanitatem, nisi expellendo foetum, non licet eam sumere, nisi valde probabile esset, sine tali medicina et vitam matris et infantis periclitaturam.

## Art. 6. *De Mutilatione.*

Mutilatio est peccatum. **§ 748. Tertio, in bonis corporis laeditur proximus per iniustam *Mutilationem*, et vulnerationem; quia homo habet ius, ne sibi membra sua per iniuriam, nec eorum usus per debilitatem, et destructionem auferatur; adeoque mutilans contra iustitiam peccat.**

*Coroll. Pract.* Non licet se, vel alium castrare ad servandam castitatem, aut sedandas tentationes, quia alia remedia suppetunt; et Christus *Matth.* 19. de castratione spirituali, et malarum cogitationum suppressione solum loquitur. Unde etiam non licet sibi amputare nasum, aut oculos eruere ad alienum turpem amorem impediendum, nisi ex altiori instinctu fiat; homo enim non est dominus membrorum suorum, sed tantum usufructuarius. Peccant etiam parentes, qui filios etiam consentientes castrari faciunt, ut serviant regi, vel ad cantum apti sint. Resolvuntur casus

### Art. 7. *De Duello.*

§ 749. Quarto, in bonis corporis proximus laeditur per *Duellum* privata auctoritate initum, quod est certamen inter duos, vel plures ex condicto susceptum. Duellum quid?

*Schol.* Duellum aliud est *solemne*, quod fit adhibitis patrinis, seu secundantibus ex condicto ad certum tempus, et locum securitatis privilegio praeditum, vulgo *Campum Francum*, ubi provocatio saepe fit per litteras, vulgo *Chartas:* aliud est *privatum*, quod fit ex condicto ad certum locum, et tempus, sed sine aliis solemnitatibus. Quotuplex?

§ 750. Duellum privata auctoritate initum est peccatum mortale, et omni iure prohibitum: et primo quidem iure Divino, *Exod.* 20. *Non occides.* Deinde iure Canonico *c. Monomachiam*, *caus.* 2. *q.* 5. et in Tridentino *Sess.* 25. *c.* 19. *de ref.* et ex Bullis Iulii II. Leonis X. Clementis VII. Pii IV. et Clementis VIII. Denique iure Civili prohibetur duellum, *l. un. c. de gladiat.* et an. 1668. Leopoldus Imperator severissimo illud prohibuit. Certe duellum repugnat charitati nobis, et proximo debitae, vitam, et salutem aeternam moraliter certo periculo exponendo: repugnat etiam iustitiae, cum homo non sit dominus vitae suae, nec est medium aptum ad litem terminandam, quae aliis modis finiri potest, et in vindictam illud assumere, privato non competit (§ 745.). Est graviter illicitum

*Coroll. Pract.* I 1° Circa duellum notari debet propositio ab Alexandro VII. damnata: *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Novissime etiam Benedictus XIV. a. 1752. In Constitutione: *Detestabilem*, has propositiones damnavit. 1. *Si vir militaris, nisi offerat et acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abiectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, unde se, suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitae, ac promeritae spe perpetuo carere deberet; culpa, et poena vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.* 2. *Excusari possunt etiam honoris tuendi, et humanae vilipensionis vitandae gratia acceptantes duellum, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt, pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.* 3. *Non incurrit Ecclesiasticas poenas ab Ecclesia contra duellantes latas dux, vel officialis militiae acceptans duellum ex gravi metu amissionis famae, et officii.* 4. *Licitum est in statu hominis na-* Resolvuntur casus.

*turali acceptare, et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum iactura propulsari nequit.* 5. *Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinatae, in qua nimirum vel negligentia, vel malitia Magistratus iustitia aperte denegatur.* Has propositiones ut falsas, scandalosas, et perniciosas damnavit laudatus Pontifex, easque docere, defendere, et edere publice et privatim, etiam disputandi gratia, nisi impugnando, sub poena Excommunicationis ipso facto incurrendae, et Papae reservatae prohibuit. Insuper decrevit, sepulturae sacrae privationem a Tridentino inflictam morientibus in loco duelli incurrendam perpetuo fore, etiam ante sententiam iudicis, a decedente, etiam extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto, sive duellum publice sive privatim indictum fuerit, ac licet vulneratus ante mortem non incerta poenitentiae signa dederit, et a peccatis et censuris absolutus fuerit, sublata Episcopis locorum super hac poena dispensandi facultate. *(Ob duellum incurritur quoque excommunicatio Papae reservata).* 2° In nonnullis tamen casibus duellum licitum est: 1. Si auctoritate publica fiat: v. g. si hostis exercitui duellum offerat, idque ab aliquo acceptari, ad vires et animos hostium debilitandos, necessarium videatur. 2. Si ad reipublicae bonum, belli exitum, securitatem ab hostibus consequendam, imminente belli conflictu ducibus magis expedire videatur, ut totum bellum ad duellum, vel paucorum certamen revocetur.

De Homicidio casuali.

*Coroll. Pract. II.* Quod ad homicidium casuale attinet, quod praeter intentionem agentis accidit, illud modo peccatum mortale, modo veniale est. Sic 1° qui licito operi incumbens casu aliquem occidit, nullum peccatum committit, modo ex tali opere homicidium passim non sequatur, v. g. dum venator in sylva casu hominem nullo modo cognitum sclopeto traiicit. Quod si vero locus venationis publica via esset, mortaliter peccaret, si necessariam diligentiam non adhiberet, ne quem ictu suo laederet. Item si opifex posito signo, quo sibi transeuntes caverent, lapides ex tecto proiiceret, et casu transeuntem necaret, non peccaret; nullo vero signo dato, peccaret mortaliter. 2° Patres vel matres infantes suos in lecto secum dormientes suffocantes, mortaliter peccant; sicuti et Clerici venationi clamorosae sibi prohibitae vacantes casu hominem occidentes, graviter peccant et fiunt irregulares, iuxta Ill. D. Godeau *Th. mor. tom.* 2. 3° Princeps homicidia in sua ditione vel civitate non praecavens vel impediens, graviter peccat; et omnium homicidiorum patratorum fit particeps. 4° Advocatus clientis innocentiam in causa capitali male defendens: item Medicus imperitus aegrum ex artis suae ignorantia interimens: Parens filio suo rixoso arma deferre permittens, quibus alios occidit: feras bestias in sua domo nutritas non diligenter custodiens, ita ut homines occidant; peccant graviter et homicidii rei fiunt. 5° Proximum a morte non eripiens cum possit, vel eum de insidiis vitae suae structis non admonens: item homicidium indirecte sua-

dens, vel quocumque modo ad vindictam alios incitantes, unde homicidia sequuntur, graviter peccant, et homicidii reatum incurrunt.

ART. 8. *De Restitutione pro Homicidio, et Mutilatione.*

§ 751. Qui alterum iniuste occidit, vel mutilat, tenetur ad damna inde emergentia reparanda, et restituenda: graviter enim peccat contra iustitiam commutativam, quae post se trahit onus restituendi, et damna iniuste illata reparandi (§ 740. Schol.). Restitutio pro homicidio et mutilatione fieri debet

*Coroll. Pract.* 1° Pro cicatricibus, et deformitate membri, ipsiusque vitae iactura secundum se nulla est compensatio facienda ante iudicis sententiam, iuxta P. Layman (contra alios, qui putant, compensationem saltem in pecunia, quae est possibilis, faciendam esse), quia vita hominis liberi, et integritas corporis, sunt bona altioris ordinis, quae nec pecunia, nec ad aequalitatem compensari possunt. 2° Iniustus occisor, vulnerator et mutilator tenetur ad compensanda omnia damna realia in bonis fortunae, quae ex iniusta eius actione sequuntur, quia est illorum causa. Unde tenetur ad reparanda damna ante mortem occisi sequentia, qualia sunt expensae in medicos, et medicinas necessarias: tenetur restituere lucrum operarum, quo vulneratus carere debuit. Item homicida debet compensare damnum, quod liberis, parentibus et uxori per se provenit ob ius petendi alimenta, et imminutam haereditatem ob mortem acceleratam; non vero haeredibus extraneis, uti fratribus, sororibus, et caeteris amicis. Pro sumptibus vero exequiarum ordinarie nihil est restituendum, nisi faciendae fuissent extraordinariae, quia ordinariae etiam fieri debuissent, si occisus morte naturali obiisset. 3° Homicida, facta restitutione haeredibus, non tenetur creditoribus occisi debita solvere, quia haeredes ad hoc tenentur. 4° Qui occidit iniustum aggressorem, non tenetur compensare damna, quae eius uxor, et liberi inde patiuntur, dummodo non excesserit moderamen inculpatae tutelae. 5° Provocans ad duellum, et occidens provocatum, non tenetur ad restitutionem, si provocatus sponte comparuerit, et in pugnam consenserit, quia censetur renuntiasse iuri suo: secus foret, si ex metu gravis infamiae, vel alterius gravis mali comparuerit. Resolvuntur casus.

ART. 9. *De Restitutione pro Stupro, et Adulterio.*

§ 752. Quinto, in bonis corporis laeditur proximus per *Stuprum* vi, metu et fraude extortum, uti patet ex § 653. Item per *Adulterium* (§ 655.). Unde qui aliquam vi, metu, vel fraude corrupit, tenetur ad restitutionem, quia illi gravem iniuriam intulit, et est causa gravium damnorum ex tali stupro secutorum. Similiter committens adulterium est causa iniusta, quod pars innocens, et filii legitimi patiantur damnum in bonis suis. Ergo ad restitutionem tenetur. Stuprator et Adulter tenentur ad restitutionem

*Coroll. Pract.* 1° Stuprator virginis consentientis, si nullam vim, metum, vel dolum adhibeat, non tenetur ad aliquam restitutionem, nisi forte facinus occultum puellae propalasset: si vero vim etc. in- Resolvuntur casus.

tulit, tenetur ad omne damnum reparandum, quod fieri poterit, eam vel in matrimonium ducendo, vel dotando. Si vero puella nullum damnum passa est, ad nullam restitutionem tenetur. 2° Adultera enixa prolem spuriam, ordinarie non tenetur facinus suum manifestare, ad avertendum damnum mariti, et legitimarum prolium, nam hoc nil prodest, cum proles adultera matri credere non teneatur. Adultera tamen studere debet, ut marito, et legitimis prolibus damnum compenset, rem familiarem melius curando, de cultu corporis sibi subtrahendo, ex bonis propriis plus legitimis prolibus relinquendo, suadendo, ut spurius renuntians haereditati statum Ecclesiasticum amplectatur: raro tamen in praxi, iuxta P. Layman, adultera obligatur significare spurio defectum natalium, si res sit occulta; imo si manifestet, non tenetur filius haereditate abstinere, si non satis probet, quia nemo unius hominis testimonio credere debet. Adultera tamen ad revelandum crimen obligatur, quando ex eo, quod spurius pro legitimo habetur, maiora, vel aequalia damna alios consequuntur, quam sit damnum infamiae spurii, vel adulterae, scilicet, si fama eorum iam aliunde laesa sit, vel si agatur de successione spurii in regno, si is malis moribus imbutus legitimo virtuoso praeferendus foret. 3° Adulter, si ex sufficientibus signis sciat, prolem ex se esse genitam, tenetur restitutionem facere patri putatitio eum alenti, vel filiam spuriam dotanti, et filiis legitimis, quia huius damni causa est; nisi excusetur vel in totum, vel ex parte, quando damnum ab adultera compensatum iri satis probabiliter credit, vel restitutio fieri nequeat sine periculo vitae, vel gravi dispendio famae. Adulter vero, qui in utramque partem dubius est, an proles ex se sit genita, tenetur prolem alere, quia praesumptio est contra nocentem. Mater tenetur prolem spuriam alere per primum triennium: *c.* 2. *de convers. Infid.* et Gonsalez putat, sufficere tertium annum inchoatum; deinde debet alere pater. * (Distinguendum est circa restitutionem ob adulterium; vel enim nulla proles nata fuit ex adulterio, et res fuit occulta, ad nihil tenetur adulter, cum nullum sit damnum secutum, neque ad honorariam marito satisfactionem, cum nemo teneatur detegere propriam turpitudinem. Si vero proles nata sit: iterum distinguendum vel mulier vi oppressa fuit, vel invita secundum quid, vel libere consensit. Si 1$^{um}$ totum damnum in stupratorem refunditur: si 2$^{um}$ idem dicendum; si tamen adulter vel nolit vel nequeat damnum reparare, tenetur mulier, quia ipsa fuit etiam causa istius damni, licet minus principalis. Si 3$^{um}$ demum, uterque tenetur, et quidem pro primo triennio mulier tenetur prolem alere: deinde usque dum proles possit sibi provideri, tenetur adulter; ad alia vero damna tam marito, quam filiis legitimis illata uterque tenetur ad medietatem, cum uterque sit caussa aequalis, et in defectu unius alter tenetur in solidum). *

## CAP. IV.

### *De iniuria in bonis famae per detractionem.*

§ 753. In bonis famae proximus laeditur per *Detractionem*, quae est famae alienae iniusta et occulta violatio. Detractio quid?

*Schol.* Detractio fieri potest vel *directe:* quod fit quatuor modis: 1. Falsum crimen imponendo. 2. Verum crimen amplificando. 3. Occultum crimen manifestando. 4. Perperam alterius factum explicando. *Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.* Vel *indirecte:* quod fit: 1. Negando recte et bene facta alterius. 2. Minuendo illa. 3. Reticendo, quando silentium pro vituperatione habetur. 4. Frigide laudando. *Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remisse.* Quot modis fiat?

§ 754. Detractio ex natura sua est peccatum mortale, charitati, et iustitiae contrarium, et detractor ad famae restitutionem obligatur, *Prov.* 24. *v.* 9. *Abominatio hominum detractor. Eccl.* 10. *v.* 11. *Si mordeat serpens in occulto, nihil minus eo habet, qui detrahit.* Imo S. Hieronymus *in Ps.* 100. docet, detractionem peiorem esse fornicatione, quia et sibi, et alteri, et illi, qui audit, nocet. Ratio est: Detractio aufert proximo iniuste bonum omnibus divitiis melius, scilicet famam, seu bonam opinionem de sua excellentia: nam *melius est nomen bonum, quam divitiae multae*: *Prov.* 22. Ergo est peccatum mortale, et quia magnum bonum aufert, illud ex iustitia restituere tenetur. Detractio est mortale cum onere restituendi.

*Coroll. Pract.* 1° Detractio leve peccatum esse potest, tum ex defectu advertentiae; tum ex levitate animi, et lapsu linguae. 1. Si defectus leves proximi narrentur, vel generalibus tantum peccatorum nominibus proferantur, v. g. esse superbum, avarum, iracundum etc. nisi conditio personae talis fuerit, ut in ea hi defectus censeantur esse magni; v. g. si de viro gravi, vel Sacerdote dicas, esse mendaciis assuetum. 2. Si manifestentur soli defectus naturales, vel defectus ingenii, v. g. si dicas esse caecum, non habere magnum iudicium etc. nisi ex horum revelatione magnum damnum sequatur. 3. Si ratione conditionis personae peccata caeteroquin gravia non censeantur notabiliter famam laedere, uti si persona sit vilis, nec crimen magno dedecori sibi ducat: v. g. si dicas, hunc militem esse imprecationibus deditum. 4. Gravitas detractionis minuitur ex conditione personae detrahentis, si sit vilis, cui ordinarie nulla fides habetur. 5. Detractio non est, si quis peccatum alterius occultum, quando ad eius emendationem est necessarium, manifestet illi, qui potest, et debet corrigere, qui grave damnum avertere, consilium, et auxilium necessarium dare potest. 2° Si quis narret occultum alicuius crimen sine propria confirmatione, et nocendi proposito, addendo, quod ab aliis audiverit, si narratio ex se fidem apud audientes mereatur, vel sinistram suspicionem generet; peccat contra iustitiam cum onere resti- Resolvuntur casus.

tutionis: secus, si prudenter praeviderit, audientes non esse credituros: si vero non ex pondere narrationis, sed ex levitate animi audientes fidem adhibeant, solum contra charitatem quis peccat, quia non est causa adhibitae fidei, imo etiam iuxta nonnullos contra iustitiam, si prava saltem suspicio in audientibus generetur. 3° Si quis crimen alicubi notorium notorietate facti, ita ut celari non possit, si nimirum decem in parva familia illud iam sciant, aliis ignorantibus manifestet, si crimen sit verum, non peccat graviter, quia talis criminosus censetur spoliatus iure famae suae; ubi tamen id alibi narrare non licet. Si vero crimen sit falsum, ulterius narrare est grave peccatum contra iustitiam: saepe tamen excusat ignorantia putantem, crimen vel esse vere commissum, vel audientes id iam nosse. Si crimen sit notum notorietate iuris, de quo quis in iudicio convictus, confessus, et condemnatus fuit, si sententia sit publicata, aliis in locis sine iniuria evulgari potest, nisi tamen exinde infamia cognatis eius emergeret; secus foret, si crimen per solam rei confessionem, et depositionem testium sit notorium. 4° Peccat graviter contra iustitiam, qui falso testi vel accusatori iniquo habenti magnam auctoritatem falsum crimen imponit, ut suum honorem defendat, iuxta prop. 43. et 44. ab Innocentio XI. damnatas, quia mentitur in materia gravi. Nec reus potest, si falso accusetur, sine peccato gravi contra iustitiam manifestare crimen occultum etiam verum sui accusatoris, vel testis, si haec manifestatio sit inutilis ad defensionem rei, vel quia testem non reddit inhabilem ad testificandum, vel quia reus crimen illud probare nequit, vel si alia ratione possit se reus defendere, vel si crimen illud sub secreto habeat, aut iniusto modo illius notitiam acceperit. Si vero haec manifestatio sit necessaria ad defensionem rei, licitum est illi verum crimen manifestare, etiam quando testis contra reum testatur verum crimen, sed occultum, iniuste et iniuriose manifestatum: quia non habet aliam viam se defendendi: excipitur tamen casus, quo reo parvum damnum immineret, testi vero ex manifestatione maximum impenderet; quia tunc reus peccaret graviter contra charitatem. 5° Qui crimen occultum suppresso nomine personae narrat, si absit periculum, ne ab audientibus persona cognoscatur, non peccat graviter; secus, si cognoscere possint: maxime graviter peccatur, si quid de certo Ordine, vel Monasterio narretur, ita ut infamia in illa redundet. 6° Qui interrogando, applaudendo, animando est causa coeptae, vel continuatae detractionis, peccat tum contra charitatem, quatenus ad peccatum detractionis alterum provocat: tum contra iustitiam, praebendo causam iniustae infamationis. Qui gravi detractione per consensum tantum internum delectatur, peccat graviter ob delectationem de gravi peccato, et odium internum. Qui solum audit detractionem, licet positive non concurrat, nec interne approbet, sed tantum non impedit, cum facile possit, peccat graviter contra charitatem: excusari tamen potest, si praeviderit, monitionem suam nihil profuturam, vel magnum in-

commodum sibi timeat, vel ex verecundia rationabili ob auctoritatem detrahentis prohibeatur: debet tamen dare signa displicentiae. 7° Qui ex inadvertentia alteri graviter detraxit, tenetur in conscientia ad restitutionem famae; quia alias silentio suo censetur detractionem moraliter continuare. 8° Qui uni in diversa materia detrahit, plura peccata committit, quia ius ad diversas famas laedit. Et qui uni apud plures detrahit, plura numero peccata committit, quia apud singulos famam eius laedit. 9° Per se loquendo est grave peccatum detractionis, grave crimen alterius sine iusta causa etiam uni soli manifestare, etsi secretum promittat, quia sic re vera fama eius apud illum laeditur; saepe tamen culpa minuitur, quando quis solatii, vel consilii causa acceptam ab alio iniuriam amico prudenti, et taciturno manifestat; quia eam in silentio decoquere admodum difficile foret: praestat tamen personam reticere, nisi ad solatium, vel consilium valde expediat, eam amico revelare. 10° Qui verum, sed occultum crimen apud alios manifestavit, debet apud audientes criminis opinionem, quantum potest, abolere, sed sine mendacio: unde dicere potest: se male dixisse, iniuriam alteri fecisse, se deceptum esse: vel debet eum laudare, specialiter honorare etc. Si quis vero falsa infamatione alteri detraxerit, debet revocare sua dicta coram illis, quibus dixit, addito etiam iuramento, si opus sit, licet revocando aequale vel paullo minus damnum in sua fama pateretur: secus foret, si damnum notabiliter maius v. g. vitae foret subeundum. Quod si vero falso infamatum in vitae periculum induxisset, aequitas postularet, ut etiam cum propriae vitae periculo innocentem liberaret. Si nulla via restituendi famam suppetat, non tenetur quis, saltem ante sententiam iudicis, ad compensationem pecuniariam. 11° A restitutione famae excusatur 1. Qui nullo modo potest restituere. 2. Quando infamatus cedit iuri famae suae. 3. Quando infamatus sponte tacite vel expresse remittit restitutionem, modo non remittat in damnum proximi, et familiae. 4. Quando prudenter iudicatur, diffamationem iamdiu esse oblivione deletam; alias enim foret periculum novae diffamationis. 5. Si fama aliis modis sit reparata. 6. Si crimen occultum alia ratione fiat publicum. 7. Si levis fuerit laesio famae, ubi subinde praestat per laudem diffamato satisfacere. 12° Crimen occultum, vel defectum proximi revelare licet: 1. Si servato modo correctionis fraternae, crimen testibus, aut Superioribus pro emendatione manifestetur. 2. Si manifestatio ad impediendum notabile damnum proximi temporale vel spirituale sit necessaria. 3. Quando agitur de officio vel Beneficio conferendo, vel Matrimonio contrahendo, impedimenta occulta manifestari possunt, si exinde notabile incommodum timeri merito possit. 4. Licitum est, simulationem eius aperire, qui se peritum Confessarium, Medicum etc. simulat, si cui certo constet, talem non esse. 13° Detractioni affinis est *Susurratio*, quae est manifestatio defectus alieni apud alterum eo fine, ut dissolvatur inter eos amicitia, et seminetur discordia: haec ex genere suo est pecca- Susurratio quid?

tum mortale, nisi levitas materiae excuset: si vero fiat ad dissolvendam amicitiam peccaminosam sine modo illicito, omni culpa vacat.

### Art. 1. *De Contumelia.*

Contumelia quid? § 755. In bonis honoris laeditur proximus per *Contumeliam*, quae est iniusta dehonoratio personae praesentis, non exhibendo illi reverentiam debitam externam. Haec ex genere suo est peccatum mortale: *Matth.* 5. *Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennae ignis.* Et Apostolus *ad Rom.* 1. contumeliosos inter eos recenset, quos Deus tradidit in reprobum sensum. Sane rapere divitias est peccatum mortale: ergo etiam rapere honorem, quod facit contumelia.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Contumelia est grave peccatum, quando iniuria est notabilis, qua alicui vel verbo vel facto in faciem grave crimen obiicitur. 2° Contumelia fit veniale, 1. Ex defectu plenae advertentiae. 2. Ob levitatem criminis obiecti. 3. Ex conditione personae exprobrantis, ut fit inter pueros, mulierculas, famulos. 4. Si ex ioco fiat. Si fiat correctionis gratia, ab omni peccato excusatur. 3° Si honor alterius scripto, v. g. libello famoso, laedatur graviter, est peccatum mortale. 4° Contumelia differt a *Convitio*, quod fit obiiciendo alicui defectus animi vel corporis, v. g. dicendo: *Stolide.* Item differt ab *Improperio*, per quod alteri obiicitur malum indigentiae, v. g. quod quis fuerit vile mendicabulum. In his pro personae, et aliarum circumstantiarum conditione graviter, vel leviter peccatur. 5° Pro contumelia illata debet fieri satisfactio per exhibitionem reverentiae, et petitionem veniae, in quantum auctoritas delinquentis permittit.

Convitium quid? Improperium quid?

### Art. 2. *De Iudicio temerario.*

Iudicium temerarium quid? § 756. In bonis etiam famae et honoris proximus laeditur per *temerarium Iudicium*, quando sine sufficienti fundamento malum de proximo iudicatur, quod ex genere suo est peccatum mortale: *Matth.* 7. *v.* 1. *Nolite iudicare; et non iudicabimini. Iac.* 4. *v.* 11. *Qui iudicat fratrem suum, iudicat legem.* Hoc est, deficit a lege. Deinde, iuxta commune: Quisque praesumendus est bonus, donec demonstretur malus. Ergo quivis habet ius ad bonam sui existimationem. Hinc iniuriam proximo infert, qui eum temere in corde iudicat, et eius famam interne laedit; et sic mortaliter peccare potest. E contra vero *temeraria Suspicio*, quando sine sufficienti fundamento aliquid mali de proximo suspicamur, est ex genere suo tantum peccatum veniale; quia suspicans ob debilitatem iudicii non censetur saltem communiter graviter laedere bonam proximi existimationem.

Suspicio temeraria quid?

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Ut iudicium temerarium sit grave peccatum debet esse perfecte deliberatum, temerarium, id est, indicia non debet esse talia, ut hominem prudentem ad iudicandum moveant, et debet esse circa rem gravem. 2° Iudicium temerarium fit leve peccatum tum ob levitatem materiae: tum ob imperfectionem actus: tum

ob circumstantias personae parvi aestimantis sinistrum de se iudicium. 3° Suspicio temeraria, si quis advertat levitatem indiciorum, et nihilominus illi diutius in re gravi inhaereat, potest esse mortaliter peccaminosa, quia graviter laedit bonam existimationem proximi, et ad gravem contemptum eius deducit. 4° Quando quis dubitat de probitate proximi, dubium in meliorem partem interpretari debet: quando tamen de damno vitando agitur, et non constat de probitate proximi, ita nos gerere possumus ac si malus esset; non tamen iudicando vel suspicando: v. g. si quis domi suae peregrinum excipit, ita rebus suis consulere potest, ac si ille suspectae probitatis esset, quia hoc suadet prudentia, et proximo nulla fit iniuria.

## CAP. V.

### *De Iniuria in bonis fortunae per Furtum.*

§ 757. Denique in bonis fortunae proximus laeditur per *Furtum*, quod est iniusta et occulta rei alienae ablatio, domino rationabiliter invito. Furtum quid?

*Schol.* Furtum aliud est *simplex*, quod aliam speciem malitiae adiunctam non habet: aliud est *qualificatum*, quod aliam malitiam adiunctam habet: quale est 1. *Sacrilegium*, seu furtum rei sacrae, aut e loco sacro. 2. *Rapina*, si cui scienti, et repugnanti res sua aufertur. 3. *Peculatus*, quando pecunia, vel res ad fiscum Principis, vel reipublicae spectans, aufertur. Item *delictum cudendi monetam* ex adulterato metallo, vel proprio sine licentia Principis. Item *usus bonorum communium* in propriam utilitatem. 4. *Abiegatus*, quando aliquot animalia simul, vel successive ex grege alieno, vel unum e maioribus v. g. bos abducuntur. 5. *Plagium*, seu abductio hominis liberi, vel servi alieni ad vendendum, vel retinendum invito domino in mancipium. Quotuplex?

§ 758. Furtum ex genere suo est peccatum mortale: 1. *ad Cor.* 6. *Neque fures . . . neque rapaces regnum Dei possidebunt*. Deinde per furtum non tantum violatur charitas, sed etiam iustitia, utpote quae est constans et perpetua voluntas, ius suum cuique tribuendi, adeoque etiam relinquendi. Denique furto maxime turbatur pax et tranquillitas reipublicae, cum nemo quiete posset sua possidere, si liceret rapere aliena. Furtum est mortale

*Coroll. Pract.* 1° Materia furti absolute gravis ad peccatum mortale sufficiens, respectu omnium etiam Regis, est unus aureus, seu ducatus, sive res illi aequivalens; nam in communi hominum aestimatione valor unius aurei non est quid modicum, et Principes aegre fuerunt, si in Gabellis uno aureo defraudentur; et nisi hoc admittamus, furibus lata via ob contemptum venialium ad furta aperiretur. Materia vero respective gravis, attendendo ad diversos hominum status, ea est, quae uno die sufficit ad victum personae, cui aufertur; Resolvuntur casus

quia de hac quantitate ablata dominus censetur esse rationabiliter invitus. Hinc a Principe ducatum, a Comite 3. florenos, a mercatore opulento 2. florenos, a cive mediocriter divite unum florenum, ab opifice 6. vel 7. baccos, ab operario diurno 18. vel 20. crucigeros, a paupere paucos crucigeros furans, graviter peccat. 2° Furtum in materia levi solet fieri peccatum grave: 1. Per intentionem furandi successive materiam gravem; unde per singula furta graviter peccatur, quia actus externus malitiam suam desumit ab actu interno, graviter in hoc casu peccaminoso; non tamen obligatur fur sub mortali ad restitutionem pro singulis furtis levibus, antequam ad notabilem quantitatem pervenerit; quod tenet, sive quis uni, sive pluribus personis successive furetur. 2. Leve furtum fit mortale per multiplicationem, quando quis plura levia furta committit, non intendens magnam quantitatem; ubi in ultimo furto de se quidem levi, sed relate ad praecedentia gravi, graviter peccatur. 3. Si plures communi consensu se determinent, ut quivis modicum auferat, ita tamen, ut furta levia simul sumpta constituant materiam gravem, peccant singuli graviter, quia singuli ad totum damnum concurrunt. 3° Auferre aliquid ex ioco sine consequentia rixarum, et cum animo restituendi, non est peccatum. Item non furatur, qui aliquid surripit ab amico, non dubitans, quin acciperet, si peteret; si praevideatur invitus esse quoad modum, peccatur contra charitatem: si quoad substantiam, res ablata restitui debet. 4° Qui alteri in plena ebrietate aliquid aufert, non intendendo, nec praevidendo, et in ebrietate contra voluntatem amittit, non peccat, nec ante sententiam iudicis ad restitutionem tenetur. 5° Regulariter maior quantitas, scilicet plus dimidio, requiritur ad peccatum mortale per minuta furta constituendum, sive ab eodem, sive a diversis quis successive modicum furetur, quam ordinaria quantitas; quia domini non censentur tam graviter esse inviti. 6° Sartor, si fragmenta panni pretiosi retineat, ordinarie graviter peccat; si vero fragmenta sint exigui momenti, pro derelictis habentur. 7° Nec peccat uxor clam ea accipiendo, quae ad honestam sustentationem familiae spectant, ubi maritus nequit esse rationabiliter invitus. Nec peccat uxor, si servato moderamine status det congruas eleemosynas; nec peccat, si aliqua accipiat, quae maritus certo concederet, si rogaretur, ob voluntatem eius praesumptam. Similiter maritus bona uxoris dilapidans, peccat graviter cum onere restituendi. Item uxor pauper vidua non dotata, post mortem mariti tantum sibi de bonis auferre potest, quantum sibi ad sustentationem opus est. Item non peccat uxor, si post mortem mariti, qui plura debita contraxit, quam solvere possit, clam quaedam pro necessaria sui, et liberorum sustentatione subtrahat, si propria bona dotalia non habeat; quia etiam maritus, si in vivis bonis cessisset, pro foro conscientiae aliqua licite occultare potuisset, quibus se et familiam suam parce sustentaret; in quo creditores rationabiliter inviti esse non possunt. 8° Peccant filii, si patre quoad substantiam invito ali-

quid subtrahant, et tenentur ad restitutionem, vel tenentur deducere in divisione haereditatis, ne caeteri fratres defraudentur; nisi etiam forte illi furati essent, vel pater condonet, aut condonaturus praesumatur, si rogaretur, vel si pater, et fratres sciant, et compensationem non petant. In filiorum vero furtis duplo maior quantitas requiritur, quam in furtis extraneorum. Quod si filius in commodum et obsequium patris ultra debitum operatur, potest iuxta Lugo et alios in mercedem sui laboris aliquid accipere. Sed hanc sententiam alii merito improbant, quia filius iure naturae ad obsequium patris tenetur. An vero titulo compensationis uti possit, dicetur § seq. 9° Famuli, et ancillae, si successive in modica quantitate esculenta, et pocufenta consumant, non peccant graviter, quia domini hoc satis norunt, et non tam quoad substantiam, quam quoad modum sunt inviti: si vero auferant cibos integros, vel residuos pretiosos, quos dominus vult asservari, vel si quotidie e cella auferant vinum pretiosum, peccant graviter, quia dominus etiam quoad substantiam est invitus. Item si certa cibi et potus quantitas quotidie famulis porrigatur, non peccant portionem residuam vendendo; peccant vero, si portionem suam vendant, et nihilominus aliunde esculenta surripiant. Famuli etiam et ancillae non peccant, dando residua alimenta ordinaria pauperibus, vel indigentibus amicis, vel illis, quorum ope in negotiis domesticis adiuvantur, quibus vix parca sunt; quia in his non censetur dominus rationabiliter invitus: imo vult potius dari pauperibus, quam ut per negligentiam pereant: peccant vero graviter, si extraneis iusto liberalius esculenta donent, vel vendant, et pecuniam in suos usus convertant; unde tenentur ad restitutionem, si non possint in aere, saltem per extraordinariam industriam praestandam.

ART. 1. *De ablatis in extrema necessitate et Compensatione occulta.*

§ 739. 1. In extrema tamen necessitate, quando adest certum periculum vitae, morbi insanabilis, vel alterius mali morti aequivalentis, licet alienum quid subtrahere, ad illam necessitatem tollendam: hoc enim non est furari, cum dominus tunc non possit esse rationabiliter invitus; siquidem res temporales datae sunt a Deo tamquam media vitam conservandi; adeoque vita periclitante proximus hoc, vel illo bono summe necessario uti potest; quippe hoc sensu in extrema necessitate omnia sunt communia. Certe divisio bonorum facta est iure gentium (§ 686.); conservatio vero vitae est iuris naturae, quod in extrema necessitate priori iuri praeponderat. In extrema necessitate aliena auferre licet.

2. Licita etiam est *occulta Compensatio*, quando creditor ex bonis debitoris clam aufert, quantum sibi debetur: dummodo hae conditiones adsint: 1. Quod debitum sit ex titulo iustitiae; non vero ex sola charitate, vel gratitudine. 2. Quod debitum sit liquidum, et certum. 3. Quod debitum via iuris, vel alio modo, sine notabili damno, molestia, gravi offensione, et inimicitia recuperari non possit: res enim sic ex iustitia debetur. Compensatio occulta licet.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Ablata in extrema necessitate, ea cessante, si adhuc extent, sunt domino restituenda; si vero in necessitate consumpta sint a paupere, nulla bona, nec spem ad illa habente, non sunt restituenda, utpote qui usus fuit iure suo: si vero sit tantum pauper secundum quid, vel quia in illo loco bona non habet, sed tamen alibi, vel quia spem propinquam per artem suam, aut haereditatem ad illa habet, debet restituere, quia solum per modum mutui accepit. 2° Gravis solum necessitas ad auferendum alienum non sufficit, iuxta prop. 36. ab Innocentio XI. damnatam, ne homines graves sibi necessitates fingentes ad furta alliciantur; peccatum tamen aliqualiter minui videtur, praesertim si dives rogatus fuit, qui in tali casu ad eleemosynam dandam obligatur. 3° Si filius in domo paterna instar famuli laboret non accepto salario, non potest illud clam surripere utendo compensatione, quia necdum certum est, quod illi salarium ex iustitia debeatur: si quid tamen subinde ad honestam recreationem surripiat, non videtur esse ad restitutionem obligatus, quia pater solum quoad modum est invitus. 4° Famuli ob tenue salarium non possunt uti occulta compensatione, iuxta prop. 37. ab Innocentio XI. damnatam; alias lata via furtis aperiretur, et famulus paciscendo de tenui salario libere cessit iuri suo; secus esset, si ab extrinseco coactus fuisset.

## Art. 2. *De restitutione pro Furto facienda.*

Fur debet restituere. § 760. Fur tenetur ad restitutionem rei alienae domino faciendam: *Ezech. 33. v. 14. et 15. Si egerit poenitentiam, aut pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, vita vivet.* Ratio est, quia fur non habet ullum titulum, quo rei alienae dominium sibi vindicare possit, et res semper ad suum dominum clamat, qui rationabiliter est invitus, si sibi non restituatur. Ergo ad eam restituendam tenetur, ut servetur iustitia commutativa (§ 740.).

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Fur tenetur restituere rem alienam extantem; si tamen sine manifestatione criminis, et alio gravi damno res ipsa restitui non posset, putat Diana, sufficere, si valor rei restituatur. 2° Si res aliena apud furem tali casu pereat, quo etiam apud dominum periisset, v. g. incursu hostium, ad nihil tenetur: secus, si apud dominum non periisset, vel si periisset, per iniuriam v. g. furtum periisset. 3° Si fur rem alienam alteri donaverit, consumpserit, perdiderit eam, vel sine culpa, aut si eam vendiderit cum, vel sine lucro, vel damno, debet eius valorem restituere, licet res quocumque ex capite apud dominum periisset; quia simpliciter causa est, quod res non amplius existat. 4° Fur tenetur restituere lucrum cessans, ac damnum emergens. Item tenetur restituere rei meliorationem tum intrinsecam, tum extrinsecam, si nimirum res aliena, dum inique detinetur, melioretur, v. g. ex vitulo fiat vacca, vel pretium rei crescat: uti si medimnus frumenti eo tempore, quo fur abstulit, constiterit 6. florenis, tempore vero consumptionis 9. florenis, debet

solvere 9. florenos: si autem antea constiterit 9. florenis, et tempore consumptionis 6. florenis, obligatur 6. florenos solvere, nisi dominus eo forte tempore vendidisset, quo 9. florenis constabat. Variante vero valore rei intra tempus iniustae ablationis, et consumptionis, satis est pretium illius temporis, quo res ablata restituitur, refundere. 5° Fur tenetur compensare rei deteriorationem, et restituere omnes fructus perceptos naturales, et mixtos, etsi consumpti sint, nec inde factus fuerit ditior: fructus vero industriales non tenetur restituere, quia sunt fructus propriae industriae.

## CAP. VI.

### *De necessitate Restitutionis.*

§ 761. Ex hactenus dictis constat, quid pro laesione iuris alieni in specie restituendum sit; restat modo ut aliqua de obligatione, causa, et culpa, personis obligatis, ordine, tempore restitutionis in genere, et causis ab ea excusantibus dicamus. Igitur *Restitutio* in genere est actus iustitiae commutativae, quo res ab alio accepta redditur, vel quo damnum proximo irrogatum reparatur. Restitutio quid?

*Schol.* Restitutio differt a *Solutione*, quod haec non supponat damnum irrogatum: a *Satisfactione*, quod haec sit magis particularis, et proprie respiciat personam: a *Compensatione*, quae est tantum damni illati reparatio. Restitutionem esse actum iustitiae commutativae, patet ex § 740. Schol. Radices restitutionis sunt: 1. Obligatio restituendi oritur *ex re accepta aliena*, quocumque modo ad aliquem perveniat, quae semper clamat domino suo, et illi restituenda est. 2. *Ex iniusta acceptione*, qua quis vel scienter, et iniuste occupavit rem alienam, v. g. furto, etc. vel quando quis damnificando re sua proximum privavit. Eius radix.

§ 762. Restitutio rei iniuste ablatae, aut damni iniuste irrogati, vel in re, si sit possibilis, vel in voto, si in re sit impossibilis, est necessaria ad salutem: *ad Rom.* 13. *v.* 7. *Reddite ergo omnibus debita.* Et S. Augustinus *ep.* 54. *ad Maced.* ait: *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Ratio est: Qui non restituit, cum possit, voluntarie perseverat in peccato, contra haec legis naturalis praecepta: *Alteri ne feceris, quod tibi fieri non vis.* Et: *Suum cuique tribuendum.* Item omissio restitutionis est furtum virtualiter, seu acceptio rei alienae continuata. Ergo sicuti fur, sic ille, qui non restituit, salvari nequit. Restitutio est necessaria.

*Schol.* Dices I. Christus *Luc.* 11. Pharisaeos arguens rapinae, non meminit restitutionis faciendae. *Resp.* Hoc praeceptum per se iam sciebant; unde necessitas eleemosynae solum intimabatur, utpote cui lotiones suas externas Pharisaei praeferebant. II. Dominus consentire debet, ne res sibi ablata restituatur, quia rem suam aeternae saluti furis praeferre nequit. *Resp.* Hoc solum tenet in extrema proximi necessitate, quam non patitur, qui rem alienam ex malitia retinet, Solvuntur obiectiones.

quam tollere potest. III. Rachel furata est idola patris sui, *Gen.* 31: David abstulit oves et boves in Gessur et Gerzi, 1. *Reg.* 27. et omnia bona Miphiboseth dedit Sibae, 2. *Reg.* 16. sine facta restitutione. *Resp.* Non pauci Rachelem furti accusant: alii vero excusant, quia fecit iure compensationis, eo quod pater eius Laban eam dote sua privaverit. David iure belli abstulit oves, et boves. Eius agendi ratio erga Miphiboseth excusari nequit; sed certum est, quod restitutionem non omiserit, vel idem, vel aequivalens reddendo: sane in restitutionis partem computari potest, quod eum cibo regio aluerit, et forte Miphiboseth in distractionem medietatis bonorum suorum sponte consensit.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Restitutio est facienda sub peccato gravi, si materia sit gravis; sub levi, si materia sit levis; qui absolute nequit restituere, si doleat de peccato, et voluntatem restituendi habeat, si posset, salvari potest. 2° Obligatio restituendi ex re accepta non durat, nisi quamdiu res ipsa durat, et extat, vel formaliter in se, vel virtualiter in aequivalenti, seu fructu et effectu relicto: ex iniusta vero acceptione durat, licet res interierit, nec virtualiter amplius extet, quia iniquitas soli nocenti nocet. 3° Confessarius, si ex gravi culpa, et crassa ignorantia deobligavit poenitentem ab onere restitutionis, tenetur in defectu poenitentis ipse restituere, quia positive ad damnum proximi concurrit, nisi in sequenti Confessione de hac obligatione poenitentem monere possit: si vero solum negative se habuit, tacendo, et non imperando restitutionem, ad summum peccat contra officium suum, vi cuius tenetur procurare bonum spirituale poenitentis, non vero temporale alicuius tertii, unde cum non peccet contra iustitiam, sed tantum contra charitatem, non tenetur ad restitutionem. Hanc tamen restitutionem Ill. D. Godeau illis Confessariis iniungit, qui ex malitia, metu, vel culpabili ignorantia de onere restituendi poenitentes non admonent, quia eorum silentium alieni damni causa est. 4° Possessor bonae fidei, postquam certo cognovit, rem a se hucusque possessam esse alienam, tenetur eam restituere, si adhuc extet: si autem eam bona fide consumpsit, et postea resciat, fuisse alienam, non tenetur restituere, nisi id, in quo factus est ditior ratione rei alienae, nisi forte hoc praescripserit: sic qui vinum furtivum bona fide ebibit, alias de suo vino bibiturus, tenetur pretium eius restituere. Item possessor bonae fidei tenetur restituere fructus naturales ex re aliena perceptos, qui ex ipsa rei substantia proveniunt, uti gramina: et mixtos ex rei substantia, et hominum industria simul provenientes, uti segetes iam perceptas, si adhuc extent, vel quantum inde ditior factus est, si non extent; nisi legitime praescripserit: quia res suo domino fructificat, licet possit detrahere expensas non tantum necessarias et utiles, sine quibus res periisset, vel deterior facta fuisset, aut fructus in tanta copia non protulisset, sed etiam voluptuarias ad aestimationem laboris: fructus vero mere industriales non tenetur restituere, qui cedunt suae industriae. 5°

Possessor dubiae fidei tenetur serio morali diligentia inquirere, an res sit aliena: manente vero dubio speculativo, practice se resolvere, et rem retinere potest, quia in dubio melior est conditio possidentis: potest etiam eam vendere, monendo tamen emptorem de periculo ad damnum avertendum. Si oborto dubio negligat inquirere, et postea dominus compareat, tenetur non solum rem, sed etiam fructus consumptos vel alienatos a tempore oborti dubii et neglectae inquisitionis restituere, quia tunc fuit in mala fide.

### Art. 1. *De Culpa ad restitutionem requisita.*

*Qualis culpa ad restitutionem requiratur?*

§ 763. Ut ex iniusta acceptione oriatur obligatio restitutionis in foro conscientiae, ante sententiam iudicis requiritur culpa Theologica, et non sufficit mere iuridica. 1° Quia damnum sine culpa Theologica illatum non est voluntarium, sed mere fortuitum, velut ab amente datum. Ergo sicut non tenetur amens, ita nec is, qui nullam culpam Theologicam admisit. Unde in *c. fin. de iniur.* dicitur: *Si scire debuisti, ex facto tuo iniuriam verosimiliter posse contingere.* Ubi sermo est de culpa per ignorantiam vincibilem commissa, quae est Theologica. 2° Damnum per meram culpam iuridicam illatum non parit obligationem restituendi ex re accepta, quae supponitur non amplius existere: nec ex iniusta acceptatione, cum non intercedat iniuria formalis. Ergo iure naturae non adest obligatio reparandi damnum per meram culpam iuridicam illatum. Interim tamen in conscientia quis tenetur ad reparandum damnum ex culpa mere iuridica datum, ex legibus positivis humanis, et civilibus quae tamen modo post sententiam iudicis obligant.

*Culpa iuridica quotuplex?*

*Schol.* *Culpa Theologica* est quaevis offensa Dei: *Culpa iuridica* est omissio diligentiae, qua proximi damnum impediri potuisset, sive sit peccatum, sive non. Culpa iuridica alia est *lata*, seu omissio diligentiae, a prudentibus communiter adhiberi solitae: alia est *latior*, seu dolus praesumptus, seu omissio debitae diligentiae, unde damnum proximi praevidetur, licet non intendatur. Culpa *latissima*, est dolus apertus, seu omissio debitae diligentiae, ut proximo damnum inferatur. Culpa iuridica *levis*, est omissio diligentiae, quam prudentiores, et diligentiores adhibere solent. Culpa *levissima*, est omissio diligentiae exactissimae, quam diligentissimi adhibere solent.

*Resolvuntur casus*

*Coroll. Pract.* 1° Ad incurrendam obligationem restitutionis sufficit culpa iuridica. 1. Quando quis ad hoc se specialiter obligavit. 2. Ex legibus positivis humanis et civilibus, uti ex lege Aquilia, aliisque quasi delictis et damnis vel nostra, vel nostrorum culpa, vel per animalia nostra illatis, ubi saltem post sententiam iudicis in conscientia ad reparationem damni obligamur. 2° Damnum per culpam venialem illatum in foro conscientiae saltem ex parte iuxta proportionem culpae resarciendum esse videtur; unde transactio suaderi potest.

## ART. 2. *De Personis ad restitutionem obligatis.*

Personae ad restituendum obligatae. § 764. 1. Ad restitutionem obligantur quicumque positive efficaciter cooperantur ad damnum proximi; hoc versu expressi: *Iussio*, *Consilium*, *Consensus*, *Palpo*, *Recursus*, *Participans*. Uti patet ex hac propositione 39. ab Innocentio XI. damnata: *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum damnum grave tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni*. Cuius ratio est, quia omnes hi sunt causa moralis damni: ergo idem est ac si damnum intulissent; adeoque illud reparare tenentur.

2. Ex negative vero concurrentibus, quales sunt: *Mutus*, *non obstans*, *non manifestans*, illi solum tenentur ad restitutionem, qui ex contractu, vel quasi contractu obligantur ad damnum avertendum, quia extra contractum illi non tenentur ex iustitia ad impediendum alterius damnum, sed tantum ex charitate: ergo peccant quidem contra charitatem, non vero contra iustitiam commutativam, cuius proprius actus est restitutio (§ 740).

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° *Mandans* si ante executionem mandatum serio revocet, idque innotescat mandatario, non tenetur ad restitutionem, si mandatum executioni mandetur; secus est, si revocatio non innotescat. Si filius nomine patris nescientis damnum infert, quod postea pater ratum habet, peccat quidem pater approbando, sed non tenetur ad restitutionem, si nihil iniusti lucri ad eum pervenerit; nec sua ratihabitione faciat, ut damnum magis inferatur, vel iam illatum non resarciatur, quia causa damni non fuit. Mandans vero tenetur restituere in solidum. 2° *Consulens* tenetur ad restitutionem in solidum, nisi vel ante executionem consilium efficaciter revocaverit, vel bona fide dederit ad negotium feliciter gerendum, ex quo illo utens damnum passus fuit. * (Nonnulli tamen consulentem non excusant a restitutione, etiam consilio revocato, quando consilium situm est in ostendenda utilitate, delectatione, et medio, quia non efficaciter fuit revocatum). * 3° *Consentiens*, qui suo suffragio alterum movet ad illationem damni, uti Consiliarius iniquo tributo subscribens, tenetur ad damna compensanda: qui vero ultimus fert suffragium pro re iniusta, dum sufficiens numerus suffragiorum iam adest, peccat quidem, sed non tenetur ad reparandum damnum, nisi forte contradicendo, alios ad mutandam sententiam movere posset. 4° *Palpo*, qui adulando, laudando, exprobrando inducit alterum ad damnum inferendum, tenetur ad restitutionem, si sit causa efficax: *laudans* vero post damnum illatum, peccat quidem contra charitatem, sed non tenetur ad restitutionem, nisi forte laude ad nova damna inferenda excitet, quae resarcire debet. 5° *Qui dat recursum*, tenetur ad restitutionem, si damnificatorem defendat, res furtivas custodiat, nisi quis in solitudine habitans reciperet furem ad evitandam mortem sibi intentatam. 6° *Participans*, iniquae actioni praebendo auxilium, comitando furem praesidii causa, scalas tenendo etc. tene-

tur ad restitutionem: non vero tenetur usurarias pecunias domini sui numerans, nec rusticus metu adactus iniquas praedas militis vehens, quia hae actiones per se malae non sunt. 7° Circa cooperantes negative, famulus advertens alium suum conservum domino suo furari, et *tacens*, non tenetur ad restitutionem, licet peccet contra charitatem; quia dominus domesticis suis invigilare debet, nisi forte famulo custodia rei specialiter commissa sit: si autem extraneus furetur, et famulus taceat, tenetur ad restitutionem, quia contra extraneos famuli res domini defendere debent. 8° Inter cooperantes negative, restitutioni maxime obnoxii sunt Principes, Magistratus, et belli Duces etc. si non impediant furta etc. Consiliarii non impedientes iniquam constitutionem; Tutores non impedientes damna pupillorum, quia hi ex officio, et quasi contractu tenentur ex iustitia alterius damnum impedire. Item Custodes stipendio ad custodiendas res domini conducti: Custodes tamen pecorum, vinearum, stagnorum, et sylvarum non tenentur restituere poenas, quas domini accepissent ex delatione lignantium etc. damna tamen ex omissa delatione orta compensare debent, si sint magni momenti, et dominus rationabiliter sit invitus; et ideo non tenentur deferre pauperes moderate ligna caedentes ob praesumptam domini licentiam. 9° Si plures sine conspiratione, sed tantum casu concurrant ad damnum inferendum, singuli pro sua quivis parte ad restitutionem tenentur: si vero mutuo consensu damnum intulerint, vel si singuli ita influant, ut cuiusvis influxus se solo ad totum damnum sufficiat; vel si influxus singulorum sit causa necessaria, ut sine eo damnum non fieret; singuli tenentur in solidum, ita ut si unus pro parte sua non restituat, alter totum restituere teneatur. 10° In damnificatione lucrativa primo debet restituere is, apud quem res ablata extat vel in se, vel in aequivalenti, unde factus est ditior, vel quam mala fide consumpsit. Deinde in defectu prioris tenetur mandans, in eius defectu positive cooperantes, et denique in eorum defectu cooperantes negative, ex contractu obligati. In actione pure damnificativa, v. g. combustione domus, si plures aequaliter concurrant, quilibet debet restituere partem suam, et in defectu aliorum, totum: si unus mandavit, ille debet restituere, et in eius defectu executor. 11° Miles particularis, qui in bello iniusto urbem depraedavit, tantum obligatur ad damnum a se illatum, quia reliquus exercitus tamen damnum intulisset: si vero miles particularis cum aliquot commilitonibus domum expoliat, tenetur ad restitutionem in solidum, quia quivis miles damnum saltem impedire potuisset.

### Art. 3. *De Persona, cui Restitutio facienda est.*

§ 765. Restitutio regulariter domino rei fieri debet; res enim clamat, et devincta est suo domino, cuius ius in ablatione, et damnificatione iniusta laesum fuit: ergo illi restituenda est. Domino restituendum.

*Coroll. Pract.* 1° Debita certa domino suo restitui debent, vel si Resolvuntur casus.

mortuus sit, eius haeredi; si autem nullum haeredem reliquerit, nec de rebus suis disposuerit, tamquam bona derelicta debitor ea sibi retinere potest: iuxta Amicum *de Iust.* et alios, quorum sententiam non facile sequendam arbitror, cum iure civili fisco Ecclesiastico in Clericis, *c.* 1. *de Success. ab Intest.* saeculari vero in laicis cedant, *l.* 6. *ff. de iur. fisci.* Si quis vero rem depositam, commodatam, emphyteuticam acceperit, eam depositario etc. restituere debet, qui iure suo privari nequit, nisi certo praevideatur ea re abusurus, vel consentiat, ut domino restituatur. Si quis vero rem a possessore malae fidei v. g. fure acceperit, et emerit; per se non furi, sed domino restituere debet, qui solus in eam ius habet: quod si tamen emens alio modo pretium suum solutum recuperare non posset, putant multi, hoc pretium eum repetere posse, permittendo, ut fur rem recipiat; tum quia ius ad suum pretium habet; tum quia non tenetur ad conservandam rem domini cum tanto damno. 2° Bona incerta comparata ex delicto, v. g. furto, iniquo pondere, et mensura, si facta diligenti inquisitione dominus non innotescat, debent dari pauperibus ob praesumptam domini voluntatem. Si vero dominus in particulari quidem ignoretur, sciatur tamen in communi, uti sciunt Caupones, Pistores, etc. qui iniquo pondere, et mensura concives suos defraudarunt, licet nesciant quos in particulari, communitati laesae restituere debent, minuendo pretium, vel augendo pondus, et mensuram.

### Art. 4. *De Ordine, Tempore, et Loco restitutionis faciendae.*

Ordo in restitutione servandus. § 766. In restitutione facienda ordo inter creditores observandus est, ita ut unus alteri praeferri debeat, et quidem in conscientia, quia unus creditor habet ius prae alio, ut suum sibi restituatur.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* Hic ordo restituendi sequens est. Si debitor habeat bona sufficientia ad omnia debita solvenda, ea solvere tenetur: si autem non sit solvendo, 1. Restitui debet res aliena apud debitorem adhuc extans. 2. Ex bonis debitoris solvi debent funeralia, medicamenta, et alimenta sibi, uxori et liberis impensa. Item quod pro faciendo inventario, custodia supellectilis et confectione testamenti impensum fuit. Item merces operariorum, et famulorum ad necessarios usus conductorum. 3. Creditores hypothecarii habentes pignus vel hypothecam praeferuntur aliis creditoribus chirographo, vel instrumento publico, vel testibus munitis. Plura Iuristae. Vid. *Inst. I. E. tom.* 3. § 976. *Schol.*

Quando restituendum sit? § 767. Si obligatio restituendi proveniat ex re accepta, restitutio fieri debet, quamprimum moraliter fieri potest; quia praeceptum non retinendi est negativum, quod omni tempore obligat.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* Qui habet certum restituendi propositum, sed restitutionem ex gravi causa differt, nequit argui peccati mortalis, nec Absolutione privari, maxime si ex mora laeso nullum damnum inferatur.

Ubi? § 768. Restitutio ex re accepta potest fieri in loco debitoris, quia

debitor bonae fidei debet manere indemnis. E contra restitutio ex iniusta acceptione debet fieri in loco creditoris, quia possessor malae fidei debet laesum servare indemnem, et in integrum perfecte restituere.

*Coroll. Pract.* 1° Si domino a possessore seu debitore bonae fidei res sua in alium locum transmitti debeat, expensis domini id fieri debet, et si in via quocumque modo sine culpa mittentis pereat, domino suo perit. 2° Qui tenetur restituere ex delicto, sumptibus suis rem ad locum domini transferre debet, exceptis tamen iis expensis, quas ipse dominus facturus fuisset. Quod si vero transferendo rem in locum domini maiores expensas facere deberet, quas res ipsa valeat, ad deferendum non obligatur. **Resolvuntur casus.**

### Art. 5. *De Caussis excusantibus a restitutione.*

§ 769. A restitutione excusat impotentia tum physica, quando quis nec in re, nec in spe habet, unde possit restituere; quia iuxta regulam 6. iuris *in* 6. nemo potest ad impossibile obligari: tum moralis, quando quis absolute quidem solvere potest, sed restitutio valde difficilis redditur propter iacturam animae, vitae, famae, libertatis, iusti status, aut bonorum temporalium; qua impotentia durante, creditor non potest esse rationabiliter invitus. **Quae a restitutione excusent?**

*Coroll. Pract.* 1° Si quis ob restitutionem lapsurus esset in desperationem, et filii ob inopiam in furta, et latrocinia, vel fame esset periturus, durante periculo potest differre restitutionem, aut omittere, nisi forte creditor in similem necessitatem lapsurus esset: imo si debitor, et creditor actu forent in aequali necessitate, debitor restitutionem omittere posset, quia melioris est conditionis: quod tamen de extrema solum necessitate intelligendum est, quamvis etiam in hoc casu nonnulli Doctores dubitent. 2° A restitutione excusat iactura libertatis vel famae necdum amissae, nisi per tertium sine infamia restitutio fieri possit. 3° Excusat iactura iusti, et honesti status, si nobilis deberet omnia bona vendere, necessarios famulos dimittere, civis primarius exercere artem mechanicam; artifex vendere instrumenta sua, ubi restitutio differri, et solutio per partes fieri potest, quia in his casibus creditor debitori subvenire debet, nisi ipse sit in simili necessitate. Aliqua tamen status diminutio non excusat a restitutione; ideoque absolvi non debent, qui nihil de luxu, ludis, conviviis etc. sibi subtrahere volunt, ut debita solvant. Item si status sit iniustus, per furta et usuras acquisitus, manet obligatio restituendi cum iactura status, ad quem debitor nullum ius habet. 4° Licite etiam differtur restitutio ob damnum, creditori, reipublicae vel tertio verosimiliter inde eventurum, quia non foret ad utilitatem creditoris. 5° *Cessio bonorum*, quando debitor solvendo impar creditoribus sua bona inter se dividenda relinquit, non plene liberat ab onere restitutionis, sed debitor ad plenam solutionem manet obligatus, si ad pinguiorem fortunam pervenerit; quia per hoc flebile beneficium creditores non **Resolvuntur casus.**

privantur iure suo, et ignominia cessionem concomitans solum est in poenam contrahentis debita supra vires suas. 6° Obligatio restitutionis omnino tollitur, 1. Per impotentiam perpetuam. 2. Per interitum rei iuste acceptae, et in individuo debitae, si eodem modo apud dominum peritura fuisset; secus, si iniuste ablata sit. 3. Per remissionem creditoris liberam, sine vi, fraude, vel metu extortam. 4. Per compensationem factam creditori, si quid ille tibi debeat, vel creditoris creditori, quo modo solvitur obligatio in foro interno, non vero semper in foro externo. 5. Per legitimam praescriptionem (§ 759. et § 691.).

## CAP. VII.

### *De Iudicio, eiusque speciebus.*

§ 770. Ex hucusque dictis satis quidem colligitur, quomodo ius suum cuique tribui debeat, et quomodo ius alterius laesum reparari possit. Verum quia frequenter contingit, ut tum ex malitia alter alterum indemnem servare nolit; tum ex ignorantia, quando partium iura magis sunt obscura, quivis facile litem obortam dirimere non possit: ideo salubriter iudicia instituta fuerunt, in quibus ius dicitur, et iustitia legitime administratur. Est ergo *Iudicium* sententia cum auctoritate prolata de eo, quod iustum est.

Iudicium quid?

Quotuplex?

*Schol.* 1. Iudicium 1. aliud est *Ecclesiasticum*, quod ad iudicem Ecclesiasticum spectat, quando contenditur de rebus, vel causis, vel personis Ecclesiasticis: aliud est *Saeculare*, quod ad iudicem saecularem spectat, ubi contenditur de rebus saecularibus, vel inter personas laicas. 2. Iudicium aliud est *petitorium*, in quo de rei proprietate, vel alio iure agitur: aliud *possessorium*, quando de sola rei possessione, vel quasi possessione contenditur. 3. Aliud est *ordinarium*, et *solemne*, in quo ordo, et forma iuris servatur, scilicet ut reo in ius citato libellus sive intentio actoris in scripto edatur; deinde litis contestatio fiat, iuramentum calumniae praestetur, si petatur; postea probationes proferantur, et demum sententia a iudice in scripto proferatur: aliud est *extraordinarium*, et *summarium*, in quo simpliciter de plano sine solemni strepitu, et figura iudicii sola rei veritate inspecta proceditur, ubi tamen semper reus citari debet, data ei copia defensionis. 4. Aliud est iudicium *Civile*, in quo actor suum, vel alterius commodum privatum prosequitur: aliud est *Criminale*, in quo agitur in causa criminali ad vindictam, et poenam publicam corporalem, vel pecuniariam fisco applicandam, aut ad officii privationem.

Personae ad iudicium requisitae.

*Schol.* 2. Personae, quae in iudiciis interveniunt, aliae sunt principales, scilicet, Iudex, Actor, et Reus: aliae accessoriae, nempe Testes, Procurator, seu Advocatus, Assessor, Tabellio. *Iudex* est persona publica ad id constituta, ut secundum legis praescriptum, vel loci consuetudinem populo ius dicat: alius est *ordinarius*, qui ex

officio universitati causarum praeest; alius *delegatus*, cui vices suas ordinarius commisit. *Arbiter* ex consensu partium constituitur. *Actor* in criminalibus *Accusator* dictus est, qui contra alium in iudicio agit. *Reus* dicitur ille, qui accusatur. *Testes* testimonium dicunt. *Advocatus* partem aliquam defendit. *Assessor* votum suum iudici exponit. *Tabellio* sententiam exequitur.

Art. 1. *De obligationibus Iudicis.*

§ 771. Ad legitimum Iudicem requiritur: 1. Iurisdictio. 2. Rectus processus, et accurata causae discussio. 3. Competens scientia. 4. Bona et recta intentio. 5. Iustae sententiae secundum leges prolatio. Ratio patet ex ipsa definitione Iudicis (§ 770. Schol.). Iudicis obligationes.

*Schol.* Quaeritur, an iudex debeat ferre sententiam secundum allegata, et probata, licet privata scientia noverit, reum esse innocentem. *Resp.* 1° In causis civilibus et minoribus criminalibus, in quibus de mulcta pecuniaria agitur, iudex debet ferre sententiam secundum allegata, et probata, licet scientia privata noverit, reum esse innocentem: quia reipublicae licet ex gravi causa disponere de bonis subditorum, ea ab uno ad alterum transferendo: ergo etiam haec potestas iudicibus concessa est, quia reipublicae plurimum interest, ut secundum allegata, et probata lites terminentur. *Resp.* 2° In causis vero criminalibus, quando innocens morte esset plectendus, nequit iudex secundum allegata et probata eum condemnare, sed causam ad alium iudicem remittere, et testem innocentiae agere debet: nam hominem innocentem non licet directe occidere (§ 745.). Sed iudex sciens, aliquem esse innocentem, procedens secundum allegata eum directe occideret, quia ne quidem de iure eum ut nocentem habere potest, quia ius in gravissima causa capitis supponit omnimodam veritatem. Ergo non licet. Non obstat I. quod *Deut.* 17. *v.* 6. dicatur: *In ore duorum aut trium testium peribit, qui interficietur. Resp.* Solum in hoc textu testes requiri dicitur; non vero quod iudex innocentiam rei privatim sciens, eum condemnare possit. II. Iudex secundum allegata procedens bene fungitur officio suo. *Resp.* Si aliunde innocentem non noverit; secus enim praesumptio a veritate eliditur. III. Iudex publica auctoritate fungitur: ergo secundum privatam scientiam procedere nequit. *Resp.* Iudex secundum allegata procedere debet, nisi aliunde probationes falsas esse certo sciat. An semper secundum allegata procedere debeat?

*Coroll. Pract.* 1° Nullus iudex sibi non subditum sine peccato mortali ad suum forum trahere potest, quod vel maxime tenet, si iudices saeculares ad suum forum trahant Clericos. 2° Iudex occulte solum excommunicatus, vel ipso iure officio suo privatus ante sententiam declaratoriam, vel non habens nisi titulum coloratum, valide profert sententiam et licito, nisi forte in ultimo casu esset in mala fide: *c. Ad probandum, de sent.* et *l. Barbarius, ff. de off. Praet.* 3° Suscipiens officium iudicis sine debita scientia, ob periculum damni Resolvuntur casus.

exinde secuturi mortaliter peccat. 4° Iudex ex privata scientia sine accusatione formali, aut virtuali, testibus, et concessa defensionis copia aliquem condemnare nequit: subinde antem sufficit accusator virtualis, quando crimen est publicum, reus notorius, vel iudex crimen videt: quando infamia est publica, ubi saltem inquisitio fieri potest. 5° Ad inquisitionem generalem nulla requiritur rei, vel criminis notitia; subditi tamen in hac inquisitione non tenentur manifestare crimina occulta, nisi redundent in damnum boni communis, quia in criminibus occultis ordo correctionis fraternae servari debet. Ad inquisitionem vero specialem requiritur, ut infamia, vel rumor publicus auctoris praecesserit; alias enim eius fama laederetur: loco infamiae sufficit confessio rei coram paucis in iudicio, et coram multis extra illud. 6° Reum iuridice interrogatum non confessum, nec convictum potest iudex in gravioribus causis subiicere torturae ad detegendam veritatem; ad quam tamen requiritur, ut praecesserit infamia iuridice probata, et quasi semiplena probatio: si crimen alio modo probari non possit: causa debet esse gravis, quando de gravi poena mortis etc. agitur; ubi reus etiam ad revelandos complices torqueri potest, quos indicare tenetur. Confessio vero etiam extra torturam continuari debet: et tertio tortus extra torturam negans absolvendus est. Vid. *Inst. I. E. tom.* 3. § 1273. *et seqq.* 7° Reus nonnisi convictus damnari potest. Sententia autem iniusta ex falsa causa est nulla, et per se non obligat, et per eam aliquid iniuste recipiens, debet illud restituere. 8° Iudex non habens stipendium licite petit, et accipit a partibus munera, quia labor eius remuneratione dignus est. Si vero congruum stipendium habeat, accipiens munera contra iustitiam peccat, et ad restitutionem tenetur, nisi pro indebito labore aliquid recipiat. Munuscula tamen in esculentis, et poculentis brevi consumptibilibus etiam ante sententiam acceptare, non prohibetur, quia non censentur movere virum constantem; omni tamen periculo non carent. Nec licet litigantibus iudici munera offerre, nisi causa sit certa, vel ad redimendam vexam, et scandalum absit; quod tamen itidem periculosum est.

## Art. 2. *De Accusatore.*

Accusator seu actor quis esse possit? § 772. Quilibet in iudicio accusator esse potest, nisi iure prohibeatur; secundum *rubr. c. Qui accusare non possunt:* quia quivis contra alterum in iudicio agere potest: ergo actor seu accusator esse potest (§ 770. Schol.). Vid. *Inst. I. E. tom.* 3. § 894. *et seqq. et* § 68. *et seqq.*

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Crimen in commune damnum vergens, si probari possit, ad iudicem deferri debet, quia pars debet succurrere toti. Seipsum autem nemo accusare tenetur, nec patrem, matrem, filios et uxorem, nisi urgeat boni communis necessitas. 2° Crimen accusandum debet esse contra bonum commune: et accusator crimen debet probare posse; alias iniuste infamat proximum, et tenetur ad re-

stitutionem. 3° Actores esse non possunt infames, et excommunicati, qui tamen denuntiare possunt, sicuti et Clerici etiam in causa sanguinis pro se, vel republica sine metu irregularitatis, modo protestentur, se non intendere sanguinem. 4° Quando crimen commissum est in damnum alicuius particularis, pars laesa, eius uxor, pater, et filii accusare possunt, ut sibi satisfiat, nisi laedens emendatus satisfactionem offerat: si vero accusator non sit pars laesa, uti si furta secreta privatis sint noxia; tunc solum accusare licet, quando delinquens laborat infamia, et crimina sunt manifesta. Per se loquendo accusationi et denuntiationi iuridicae non est praemittenda correctio fraterna, quia per accusationem non intenditur emendatio, sed punitio ad conservandam iustitiam: per accidens vero, si sit spes emendationis, et punitio non multum intersit boni communis, peccat contra charitatem, qui alium sine praevia correctione fraterna accusat.

ART. 3. *De Reo, eiusque obligationibus.*

§ 773. Reus iuridice interrogatus 1° tenetur sub peccato mortali fateri veritatem, licet capite plectendus foret, quia tenetur obedire suo Superiori, legitime, et necessario ad bonum commune aliquid praecipienti: sed talis est iudex iuridice interrogans: ergo tenetur reus obedire; maxime quia iudex habet ius interrogandi, et vult reum obligare. 2° Quod si vero reus non secundum iuris ordinem interrogetur, scilicet, si nec criminis infamia laboret, nec eius indicia, vel semiplena probatio adsit: non tenetur crimen reus fateri, sed amphibologia illud celare potest, quia potestas iudicis se eo non extendit, ut reum praeter ordinem iuris interroget: unde etiam 3° Si reus prudenter dubitet, an iudex iuridice interroget, non tenetur respondere; quia in dubiis reo favendum est, et reus non se habet ut causa instrumentalis respectu iudicis in sua responsione, sed ut causa principalis; proinde debet agere secundum proprium suum iudicium. Rei obligationes.

*Schol.* Dices I. cum Lessio: praeceptum fatendi veritatem cum periculo vitae non obligat, utpote admodum difficile, et rarissime a reis observetur. *Resp.* Praecepta humana etiam cum periculo vitae obligant, si sint ad bonum commune, et male fit, si hoc praeceptum non observetur. II. Nemo tenetur testimonium dicere contra aliquem sanguine iunctum, vel quando sibi grave damnum imminet: ergo nec contra se in periculo vitae. *Resp.* Disparitas est, quod iura consanguineos a testimonio dicendo eximant ad rixas inter familias evitandas; non vero reum, in quo damnum commune privato praeponderare debet. Solvuntur obiectiones.

*Coroll. Pract.* 1° Quando reus iuridice interrogatus negavit veritatem, non tenetur retractare dictum, et eam fateri, si non amplius interrogetur, quia obligatio iam transiit; unde de peccato suo cum proposito emendationis dolere debet. 2° Reus, qui ex metu gravis torturae, vel vi illius imponit sibi falsum crimen, non peccat ratione diffamationis suae, cum sit dominus famae suae; ratione vero menda- Resolvuntur casus.

cii peccat venialiter, vel si addat iuramentum, ratione periurii peccat mortaliter, imo etiam ratione suicidii: sed hoc alii negant, quia cum tam gravi cruciatu torturae nemo tenetur conservare vitam suam; et ideo non tenetur confessionem suam retractare, nisi damnum tertii exinde sequatur. 3° Quando reus non interrogatur iuridice, aut de eo non constat, si aliter evadere non possit, potest negare crimen capitale, dicendo, se falso accusari, alium mentiri, quia sic solum occultat veritatem, et falsum non dicit: quod enim nequit iuridice probari, falsum in iudicio reputatur. 4° Iuste condemnatus non potest se defendere, sed tenetur iudici obedire: iniuste vero condemnatus, quia patitur iniuriam, nisi grave scandalum oriatur, defendere se potest. Innocens vero secundum allegata, et probata damnatus, per se loquendo potest quidem se defendere, sive iudex eius innocentiam noverit, sive non; per accidens tamen saepe ob grave scandalum non potest: imo iuxta prop. 18. ab Alexandro VII. damnatam, falsum accusatorem, testes falsos, et iudicem iniquum interficere nequit. 5° Reus debet per seipsum exequi poenam non nimis acerbam sibi a iudice dictatam, ire in carcerem, in exilium, solvere pecuniam, moderatam disciplinam subire: damnatus vero ad poenam mortis, mutilationis, flagellationis publicae et infamis, debet indirecte, et per accidens cooperari, scalas ascendere ad furcam, iugulum praebere; non tamen tenetur directe in seipsum poenam tam acerbam exequi, quia hoc a natura hominis nimis alienum foret. An vero damnatus ad venenum bibendum parere possit, litigant Moralistae; unde reus poterit se conformare probabili sententiae iudicis ita praecipientis; non tamen ad hoc obligatur, cum sit praeceptum inhumanum, et facile aliud supplicium decerni possit. Sic etiam damnatus ad mortem inedia perferendam, potest cibum clanculum sibi oblatum recusare, quia active non concurrit ad mortem suam, sed eam iustitiae amore fortiter perfert; potest tamen etiam cibum oblatum acceptare, et comedere, quia nimis difficile est mortem oppetere, a qua quis se liberare potest. 6° Ante iudicis sententiam semper licitum est reo fugere, nisi promiserit, vel iuraverit, se permansurum, quia sic carcer non est poena, sed tantum custodia: imo etiam post latam sententiam licet reo fugere, et carcerem effringere; damnum quippe custodum ab eo non intenditur, sed per accidens se habet, dum iure suo utitur. Neque peccat is, qui ad fugam auxilium, et consilium praebet, nisi obstet lex specialis, uti in custodibus. Non tamen talis reus tenetur fugere, sed ex amore iustitiae, et charitate, ne custodes damnum patiantur, manere potest; imo seipsum iudici ad poenam promeritam sustinendam sistere.

ART. 4. *De Testibus, Advocato, et Appellatione.*

Testis quis? § 774. In Testibus ad testimonium dicendum sequentes conditiones requiruntur:

*Conditio, sexus, aetas, discretio, fama,*
*Et fortuna, fides, in testibus illa requires.*

*Coroll. Pract.* 1° Testis iuridice interrogatus tenetur respondere secundum veritatem, nisi vel ex confessione, vel ex secreto nosset, vel sibi et suis grave damnum immineat; nisi forte periclitaretur bonum commune, quod privato praeferendum est: ut vero teneatur respondere, debet iuridice interrogari; unde non tenetur, si unicus testis adsit, quia accusatio cum unico teste iniusta est, sicuti etiam, quando ab illegitimo iudice interrogatur, nisi hoc requiratur ad reum a periculo liberandum; ubi etiam ex charitate ultro se ad testandum offerre debet, quod si omittat, vel citatus a iudice ad testificandum non compareat, peccat quidem contra charitatem et obedientiam, non tamen tenetur ad restitutionem. Si autem scienter falsum testimonium dicat, tenetur ad reparationem omnium damnorum, et verba sua retractanda sunt, etiam cum periculo vitae, si alteri aequale periculum immineat. 2° In causis gravioribus civilibus et criminalibus praeter accusatorem duo testes requiruntur: *c. Licet, de Test.* qui, ut plene probent, debent deponere iurato de tota veritate: de eodem facto in circumstantiis principalibus: de sensu, visu, vel auditu: et debent esse omni exceptione maiores. Hinc 3° repelluntur Infideles contra fideles, infantes, amentes, consanguinei et affines usque ad 4. gradum, pauperes et servi. 4° In causis levioribus subinde unus testis sufficit, sicuti etiam in causis non iudicialibus; v. g. an infans sit baptizatus, et quando de impediendo peccato agitur. Plura vide in *Inst. I. E. tom.* 3. § 1089. *et seq.* Resolvuntur casus.

§ 775. Advocatus non potest suscipere patrocinium causae iniustae, et in necessitate debet patrocinium causae pauperum gratis suscipere. Advocati obligatio

*Coroll. Pract.* 1° Ab officio Advocati excluduntur impuberes, surdi, ignorantes, qui mortaliter peccant, si ex sua negligentia cliens damnum patiatur, vel causa nimium protrahatur. Clerici, et Religiosi nonnisi pro suis Ecclesiis, et Monasteriis, et personis miserabilibus patrocinari possunt. 2° Advocatus scienter iniustam causam defendens, graviter peccat, et tenetur ad restitutionem parti laesae, et suo clienti, si eum ignarum de iniustitia suae causae non moneat. 3° Advocatus, qui fraudibus, et mendaciis defendit causam iustam, non peccat quidem contra iustitiam, nec tenetur ad restitutionem; peccat tamen contra iustitiam legalem, pervertendo publicum iudicium. 4° Advocatus pro suo labore pecuniam accipere potest, moderatam tamen, et labori commensuratam; alias excessum tenetur restituere. Non possunt autem Advocati convenire de quota litis pro stipendio, ne exinde sumant occasionem volendi vincere per fas, et nefas: *l. Sumptus, ff. de pactis.* Vid. *Inst. I. E. tom.* 3. § 896. *et seq.* Resolvuntur casus.

§ 776. Denique accusato, qui iniuste gravatur a iudice, licitum est appellare, et ad maiorem iudicem provocare. Ita S. Paulus Caesarem appellavit, *Act.* 25. et appellatio ad iustam defensionem pertinet, quae iure naturae unicuique permissa est. Appellatio licet.

*Coroll. Pract.* 1° Non licet in civilibus a iusta sententia appellare, ut causa cum damno tertii protrahatur, nisi novae probationes inven- Resolvuntur casus.

tae fuerint: licet tamen in criminalibus ad vitam prolungandam, et spem benignioris sententiae. 2° De iure conceduntur 10. dies a lata sententia ad appellandum; et 30. dies a lata sententia ad obtinendum a iudice, a quo appellatur, litteras dimissorias, vulgo *Apostolos*. Regulares quidem de iure prohibentur etiam ad iudices conspetentes appellare: *c. Ad nostram de Appell.* Multi tamen Auctores putant, eos appellare posse, si iniuste graventur, et Superior modum correctionis excedat, quia appellatio est iuris naturalis; per modum autem simplicis querelae ad Superiorem semper recurrere possunt, et eius protectionem contra iniuste gravantem Superiorem inferiorem implorare. 3° Appellatio devolvit causam a iudice inferiore ad superiorem, et suspendit vim prioris sententiae, excepta correctione morum, sententia Excommunicationis, Suspensionis, et Interdicti, et processu criminali. Plura Iuristae. Vid. *Inst. I. E. tom.* 3. § 1151. *et seq.*

## SECTIO V.

### *De Religione.*

### CAP. I.

#### *De Notione Religionis, et Devotione.*

Religio quid? § 777. Iam nunc partes potentiales Iustitiae explicandae restant. Harum prima est *Religio*, quae est virtus, per quam homo Deo tamquam rerum omnium principio debitum cultum exhibet.

Eius proprietates. *Schol.* Religio est vera virtus, quia habentem se, et opus eius bonum facit. Est unica virtus, et ab aliis distincta, quia obiectum eius formale est unicum, et ab obiectis aliarum virtutum distinctum, scilicet, cultus Deo exhibitus ob singularem eius excellentiam, et rationem primi principii creationis, et gubernationis. Non tamen est virtus Theologica, quia Deus non est obiectum immediatum Religionis, sed tantum finis, cui cultus exhibetur; quia tamen Religio propinquius ad Deum accedit, inter omnes virtutes morales maxime eminet.

Devotio quid? § 778. Primus actus elicitus Religionis est *Devotio*, quae est quaedam actualis voluntas prompte tradendi se ad ea, quae pertinent ad famulatum et cultum Dei.

Causae devotionis. *Schol.* Causa extrinseca, et principalis devotionis est ipse Deus, qui auxilio gratiae suae voluntatem illi prompte serviendi inspirat. Causa intrinseca est meditatio tum Divinae bonitatis, et beneficiorum eius, quae excitat dilectionem tamquam causam proximam devotionis: tum meditatio nostrae infirmitatis, quae excludit praesumptionem, illum impedientem, qui suae virtuti innititur, ne se Deo subiiciat. Interim meditatio humanitatis Christi, et eius operum homines sensibilibus assuetos, saepius fortius ad dilectionem, et devotionem excitat, quam subtilior Divinitatis contemplatio. *Effectus* primarius devotionis est laetitia orta ex consideratione Divinae bonitatis, et be-

neficiorum eius: secundarius est tristitia orta ex consideratione nostrae infirmitatis, quae per se tristitiam, per accidens vero laetitiam causat ob spem divinae subventionis. De devotione multa pro Directoribus animarum utilia congessi in meis Institutionibus Theologiae Mysticae *tom.* 1. § 67. *et seq.* ubi etiam damnata illa sententia Michaelis Molinos, ab Innocentio XI. refutata fuit, qui prop. 27. 30. 33. falso docuit: ***Qui desiderat et amplectitur devotionem sensibilem, male facit eam desiderando, et ad eam conando.***

## CAP. II.

### *De Oratione.*

§ 779. Alter actus elicitus Religionis est *Oratio*, quae est petitio decentium a Deo, cum ascensu mentis ad Deum. Oratio quid?

*Schol.* 1. Oratio formaliter est actus intellectus; originaliter vero et praesuppositive, voluntatis: orare enim importat quamdam ordinationem, quia homo per orationem ordinat, et disponit, inducendo Deum, eique suum desiderium manifestando, ut aliqnid faciat, quod spectat ad intellectum: quia vero oratio est actus rationis practicae, quae movetur a voluntate; ideo oratio originaliter est actus voluntatis. Elicitive autem oratio est actus Religionis, quia per eam homo cultum Deo exhibet, se illi subiiciendo, et profitendo, quod illo tamquam bonorum omnium Auctore indigeat (§ 777.). Proprietates eius

*Schol.* 2. Oratio alia est *mentalis*, quae non voce, sed mente formatur, exercendo tres animae potentias, memoriam, intellectum, et voluntatem circa Deum et Mysteria fidei cum familiari ad Deum collocutione, et variis piis affectibus voluntatis, quae etiam dicitur *Meditatio*. Alia est *vocalis*, quae formatur distinctis verbis, internum nostrum pium affectum erga Deum exprimentibus. Oratio vocalis alia est *publica*, quae nomine totius fidelis populi per ministros Ecclesiae Deo offertur, uti fit in Missa et Horis Canonicis, quae necessario debet esse vocalis: alia est *privata*, quam singuli privatim quocumque decenti modo peragunt. Orationis mentalis excellens gradus est *Contemplatio*, seu elevatio mentis in Deum per simplicem intuitum ardentissime affectuosum, quam Theologi Mystici dividunt in *Cherubicam*, seu intellectivam, quae sub se continet contemplationem SS. Trinitatis, Incarnationis, SS. Eucharistiae, Attributorum Divinorum, et orationem quietis et silentii: et in *Seraphicam*, seu affectivam, quae sub se complectitur contemplationem igneam, flammeam, resignativam, nuditatem contemplativam, solitudinem affectivam, soliloquia, nebulam spiritualem, libertatem spiritus, contemplationem obscuram, amorem vulnerantem, contemplationem passivam, mortem mysticam, annihilationem mysticam, illapsum passivum, et transformationem mysticam. Quae omnia fuse et Theologice explicata, et contra Pseudoilluminatos et Quietistas vindicata, non sine fructu legi poterunt in meis Institutionibus Theologiae Mysticae *tom* 1. § 238. *et seqq.* Oratio quotuplex?

Oratio est necessaria ad salutem.

§ 780. Oratio est necessaria ad salutem tum necessitate praecepti, tum etiam saltem communiter necessitate medii. Patet hoc. 1° *Luc.* 18. *v.* 1. *Oportet semper orare, et non deficere. Matth.* 26. *Vigilate et orate ut non intretis in tentationem.* Et S. Aug. *de don. persev. c.* 16. ait: *Constat, alia Deum dare non orantibus, sicuti initium fidei, alia nonnisi orantibus praeparasse, sicuti usque in finem perseverantia.* Et Tridentinum *Sess.* 6. *cap.* 11. *Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet et facere, quod possis, et petere, quod non possis, et adiuvat, ut possis.* Ex quo 2° formatur hoc argumentum: Oratio est necessaria ad obtinendam gratiam: sed sine gratia nequit obtineri salus: ergo oratio est necessaria ad obtinendam salutem; et quidem necessitate medii, saltem ordinarie, quia subinde Deus hominem sine oratione mediis ad salutem necessariis instruit.

Oratio mentalis est necessaria.

*Schol.* 1. Oratio etiam mentalis, sive meditatio, id est studiosa investigatio eorum, quae ad salutem pertinent, omnibus est necessaria: nam *Eccl.* 3. *v.* 22. dicitur: *Quae praecipit tibi Deus, illa cogita semper.* Et *Ps.* 76. *Meditatus sum nocte cum corde meo.* Certe quomodo seria, et viva erit oratio omnibus necessaria, nisi miseriam suam quis cognoscat, ut ad orandum accendatur? Vid. *Inst. Th. Myst. tom.* 1. § 48. *et seqq.*

*Schol.* 2. Pelagiani, sublata necessitate gratiae, orationis necessitatem implicite negarunt. Wicleffistae putabant, orare nihil aliud esse, quam bene operari. Michael Molinos hanc propositionem docuit: *Qui Divinae voluntati resignatus est, non convenit, ut a Deo rem aliquam petat, quia petere est imperfectio.* Quae propositio ab Innocentio XI. damnata fuit. Quippe Deum non oramus, ut aliquid illi occultum proponamus, sed ut nostrum nihilum coram eo, et indigentiam profiteamur, et opem flagitemus, quam Deus vult a nobis exorari.

Deus rogari debet.

§ 781. Solus Deus tamquam Auctor, et principalis causa omnium bonorum orari, et rogari debet: solus enim ille dat *gratiam et gloriam: Ps.* 83. solus ille omnium Auctor, nullusque est in coelo, sive in terra, qui ab alio, quam ab ipso, aliquid boni habere possit.

### Art. 1. *De invocatione Sanctorum.*

Sancti invocari possunt.

§ 782. Nihilominus tamen bonum etiam et utile est, invocare Sanctos, ut pro nobis apud Deum intercedant. Nam 1° *Gen.* 48. Iacob Angelum invocavit super filiis Ioseph: *Angelus . . . benedicat pueris istis.* Et *Iobi* 5. *v.* 1. *Voca ergo, si est, qui tibi respondeat, et ad aliquem sanctorum convertere.* Hic Eliphaz ex communi traditione sui temporis loquitur, nec verba illa per modum interrogationis profert, uti volunt Protestantes; nam Hebraicum מִי (*Mi*), non est interrogativum, et textus Chaldaicus, LXX. ac ipse Lutherus nullum signum interrogationis hic ponunt: et si sermo sit de Angelis ad nos missis, saltem probatur, eos utpote sanctos invocari posse. Deinde 2. *Mach.* 15. Ieremias et Onias dicuntur orare pro Iudaeis. 2° Idem

patet ex Conciliis. In Concilio Ephesino S. Cyrillus invocat S. Ioannem. In Chalcedonensi *act.* 11. de S. Flaviano dicitur: *Flavianus post mortem vivit, Martyr pro nobis oret.* In Nicaeno II. *act.* 4. sancitur, Sanctos esse honorandos, et eorum intercessiones postulandas, ut valentes nos familiares reddere Regi omnium Deo. Et Tridentinum *Sess.* 25. mandat Episcopis, ut fideles diligenter instruant, docentes eos, *Sanctos cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus offerre, bonum atque utile esse, suppliciter eos invocare, et ob beneficia impetranda a Deo, ad eorum orationem, opem auxiliumque confugere.* Ubi tantum definitur, bonum et utile esse, Sanctos invocare; non vero esse ad salutem necessarium. 3° Accedunt Patres: Origenes *hom.* 26. *in Num. Quis dubitat, quod Sancti quique Patrum et orationibus nos iuvent?* Eusebius *l.* 13. *praep. Evang. Nam et eorum sepulchra celebrare, et preces ibi, votaque nuncupare . . . consuevimus.* S. Ambrosius *l. de viduis* ait: *Martyres obsecrandi.* S. Hieronymus fuse hoc probat in *l. contra Vigilant.* S. Augustinus *tr.* 84. *in Ioan.* ait: *Martyres commemoramus, ut ipsi pro nobis orent.* 4° Ratio est: bonum et utile est confugere ad preces instorum in terra: *Orate pro invicem: Iac.* 5. Ergo etiam ad intercessionem Sanctorum, quorum orationes sunt ad impetrandum efficaciores.

*Schol.* 1. Vigilantius, et cum eo Lutherani et Calvinistae negant, Sanctos esse invocandos. I. Quia in Oratione Dominica Christus nil de invocatione Sanctorum tradidit. Et *ad Rom.* 10. *v.* 14. dicitur: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* Ergo sicuti in Sanctos credere non licet, ita nec eos invocare licet. *Resp.* In Oratione Dominica, nec Christus invocandus praescribitur: docetur ibi, quid, non vero, quomodo petere debeamus. Apostolus agit de Infidelibus, qui, cum de Christo nil audierint, nec eum invocare possunt. II. Sancti preces nostras saltem mente fusas non audiunt, quia solus *Deus corda scrutatur:* 3. *Reg.* 8. *v.* 39. Et: *Mortui nihil noverunt amplius: Eccl.* 9. *v.* 5. *Resp.* Solus Deus propria auctoritate corda scrutatur; Sancti vero notitia sibi a Deo concessa, vel quia Deus illis revelat, vel quia in Deo vident. Imo si etiam daremus, Sanctos non audire preces nostras, de quo nihil definivit Ecclesia, illae non essent superfluae, quia satis est, quod a Deo audiantur, apud quem non sunt sterilia mutuae charitatis officia, quibus militantes in terris gratulantur Beatis in coelis, et rogant, ut pro illis intercedant. III. Sic Sanctis officium Mediatoris soli Christo competens tribueretur. *Resp.* Christus Mediator est solutione pretii pro redemptione nostra: Sancti mediatores sunt sola intercessione: ad hos dicimus: *Orate pro nobis:* ad Christum vero: *Miserere nobis.* **Solvuntur obiectiones.**

*Schol.* 2. Quaeritur, an etiam animae in Purgatorio orari possint. Multi respondent negative, tum quia preces nostras non cognoscunt, utpote necdum fruentes visione beatifica; verum saltem alia via per Angelos cognoscere possunt: tum quia non sunt in Purgatorio, ut orent, sed ut patiantur. Verum cum non puniantur nisi a Deo ami- **An animae purgantes orari possint?**

co, cum per dolores ratio eorum non turbetur, per viam simplicis impetrationis, ad quam meritum non requiritur, uti in Beatis patet, pro nobis orare possunt. Probabilius igitur dicitur, animas purgantes orari posse, ut pro nobis Deum rogent; praesertim quia pie credi potest, has animas ob mutuae charitatis obsequium pro iis orare, qui pro illis orant.

ART. 2. *De utilitate Orationis etiam impii.*

Omnes homines orare possunt

§ 783. 1. Omnes igitur homines viatores non solum debent (§ 780.), sed etiam utiliter orare possunt, licet forte sint aliqui impii et peccatores, quorum oratio non est peccatum. Sic 1° 2. *Esdrae* 9. *v.* 26. dicitur: *Provocaverunt Te ad iracundiam . . . et in tempore tribulationis clamaverunt ad Te, et Tu de coelo exaudisti.* Ergo oratio impiorum exaudita est, et consequenter peccatum non fuit. 2° Origenes *hom.* 5. *in Isa.* ait: *Etsi peccatores estis, orate Dominum.* Et S. Augustinus *Serm.* 135. ait: *Qui dixit: propitius esto mihi peccatori, verum dixit, an falsum? Si verum dixit, peccator erat; et tamen exauditus est, et iustificatus est.* Et S. Thomas 2. 2. *q.* 83. *a.* 1. ait: *Orationem peccatoris ex bono naturae desiderio procedentem Deus audit, non quasi ex iustitia, quia hoc peccator non meretur, sed ex pura misericordia.* 3° Impiis praecipitur oratio, qui dicere debent: *De necessitatibus meis erue me:* item ut Missam audiant etc. Ergo oratio eorum non est peccatum.

2. Etiam Beati orare possunt, orant enim pro nobis, et eorum intercessionem implorare possumus. Damnati vero orare non possunt, quia non possunt habere pios motus ad orationem requisitos (§ 779. Schol.), et sciunt, se nihil orationibus suis a Deo consequi posse.

Solvuntur obiectiones

*Schol.* Quesnellus in suis *Reflexionib.* hanc propositionem 59. habet: *Oratio impiorum novum est peccatum; et quod Deus illis concedit, novum est iudicium.* I. Quia *Prov.* 28. *v.* 9. dicitur: *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio eius execrabilis.* Et c. 15. *v.* 8. *Victimae impiorum abominabiles Domino. Resp.* Sermo est de oratione, quae ab impio fit, ut suis malignis desideriis satisfaciat. II. S. Augustinus *in Ps.* 108. ait: *Oratio, quae non fit per Christum, non solum non potest delere peccatum, sed etiam ipsa fit peccatum.* Et S. Hilarius *in Ps.* 54. *Ubi operatio iniquitatis extabit, illico despicitur oratio deprecantis.* Et S. Ambrosius *l. de Cain. c.* 9. *Avertit se Deus a precibus impiorum. Resp.* S. Augustinus supponit, quod impius non oret per Christum; unde utique oratio eius mala est. S. Hilarius loquitur de oratione levi, diffidente, et inutili, uti ex contextu patet. S. Ambrosius loquitur de oratione Caini, quae ex animo maligno, et in fratrem invidente proficiscebatur.

ART. 3. *De Tempore orandi.*

Non est orandum singulis momentis

§ 784. Non tenemur tamen singulis momentis orare; nam certa quaedam dari debent tempora quieti, et aliis negotiis destinata, nul-

lumque adest praeceptum singulis momentis ad orandum nos astringens. Saepius tamen orandum est; id quod ex circumstantiis dependet, maxime vero in periculo mortis, urgente tentatione, et quando proximus est iuvandus. Semper vero orandum est hoc sensu, quod desiderium salutis, tamquam causa orationis, continuum actu, vel virtute in nobis esse debeat.

*Schol.* Euchitae haeretici docebant, semper sine intermissione orandum esse: *Luc.* enim 18 dicitur: *Oportet semper orare, et non deficere: ad Eph.* 6. *Orantes omni tempore*: 1. *ad Thessal.* 5. *Sine intermissione orate.* Verum hi textus iuxta modo dicta explicandi sunt.

*Coroll. Pract.* Praeceptum orationis obligat 1° tempore obligationis, quo peccator tenetur se reponere in statum gratiae. 2° Tempore gravis tentationis, quae alio congruo medio vinci non potest. 3° Tempore manifesti mortis periculi, quam constitutus in illo subire debet. 4° Tempore gravis pressurae reipublicae aut proximi, quae alio modo averti non potest. 5° Quotiescumque aliquod speciale Divinum auxilium ad salutem spiritualem vel corporalem est necessarium. 6° Non desunt doctores non excusantes a peccato veniali eos qui mane ac vespere orare negligunt, tum Deo debitas gratias referendo pro acceptis elapso die beneficiis, tum eius auxilium implorando pro evitandis instantibus periculis. Licet autem in recensitis modo circumstantiis praeceptum orandi determinate obliget; per hoc tamen non tollitur obligatio indeterminata, quae orationem diu differre non permittit, quae ita frequentari debet, ut ad vitam christiane instituendam sufficiat.

Praeceptum orationis quando obliget?

### Art. 4. *De Rebus, pro quibus orandum.*

§ 785. Bona, quibus abuti possumus, conditionate solum a Deo petenda sunt, uti bona temporalia, quae forte saluti aeternae ex malo nostro usu nocere possunt: illa vero, quibus abuti non possumus, uti charitas et beatitudo, absolute a Deo petenda sunt, uti patet ab exemplo Sanctorum, qui salutem aeternam absolute a Deo petierunt: *Ps.* 26. *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini.* Et *Matth.* 6. docet nos Christus absolute orare: *Sanctificetur nomen tuum.*

Quid orandum?

*Schol.* Inter omnes orationes praestantissima est *Oratio Dominica*, tum auctoritate, utpote ab ipso Christo tradita: tum brevitate, quia breviter docet, quid credendum, sperandum, amandum, fugiendum et petendum sit: tum necessitate, quam omnes ex praecepto Ecclesiae discere debent: tum efficacia, quia Deo nihil acceptius esse potest, quam formula precandi a dilecto Filio suo praescripta. Porro septem sunt petitiones Orationis Dominicae. Prooemii loco est: *Pater noster, qui es in coelis*, scilicet maiestatem suam ibi maxime manifestans. Sequitur 1ª petitio: *Sanctificetur nomen tuum;* per quam petimus gloriam Dei. Et 2ª: *Adveniat regnum tuum*; per quam petimus ad gloriam regni eius pervenire. 3° Petimus media ad hoc re-

Explicatio Orationis Dominicae.

gnum perveniendi, inter quae principale est meritum, quo beatitudinem meremur obediendo Deo; unde oramus: *Fiat voluntas tua sicut in coelo, et in terra.* 4° Ad meritum vero instrumentaliter nos iuvat tum panis Sacramentalis, et alia Sacramenta, tum victus et amictus; unde oramus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* 5° Petimus removeri obstacula beatitudinis, qualia sunt, tum peccata; unde oramus: *Et dimitte debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*: tum 6° tentatio, quae nos impedit ab observatione Divinae voluntatis; hinc oramus: *Et ne nos inducas in tentationem*, scilicet ne in ea vincamur: tum 7$^{mo}$ omnia mala spiritualia et temporalia: hinc oramus: *Sed libera nos a malo. Amen.* Id est, fiat, sicut petimus. Vid. Tertullianum et Origenem *de orat.* etc.

### Art. 5. *De Conditionibus orationis.*

Conditiones bonae orationis. § 786. Ut vero oratio impetret id, quod petimus, sequentes conditiones habere debet. 1° Debemus petere proficua, vel necessaria ad salutem, iuxta illud 1. *Ioan.* 5. *Quodcumque petierimus secundum voluntatem eius audit nos.* 2° Pie orandum est, cum Fide, Spe, Charitate, humilitate, attentione. 3° Perseveranter, uti ex parabola amici tres panes commodantis *Luc.* 11. colligitur. Vid. *Inst. Theol. Myst. tom.* 1. § 38. *et seqq.*

### Art. 6. *De Personis pro quibus orandum.*

Pro quibus orandum? § 787. 1. Denique pro omnibus hominibus viatoribus iustis, et iniustis, amicis et inimicis, fidelibus et infidelibus orandum est: 1. *ad Tim.* 2. *Obsecro primo omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro Regibus* (qui ethnici erant)..... *hoc enim bonum, et acceptum est coram Salvatore nostro Deo.* *Matth.* 5. *Orate pro persequentibus, et calumniantibus vos.* Et *Iac.* 5. *Orate pro invicem, ut salvemini.* Ex Patribus sufficiat S. Cyprianus, qui in *exp. orat. Dom.* ait: *Noluit pacis Doctor, ut pro se quis tantum precetur: non enim dicimus: Pater meus; nec: panem meum da mihi: sed: Pater noster: panem nostrum da nobis etc.* Ratio est: quod aliis optare debemus; hoc illis precari debemus: alias non diligimus proximum, sicuti nos ipsos. Sed aliis multa optare debemus. Ergo etiam precari pro illis.

2. Pro Beatis non est orandum; nam iuxta S. Augustinum. *Serm.* 17. *de verb. Apostoli: Iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.* Pro accidentali tamen gloria Sanctorum orare possumus. Sic Ecclesia orat, ut Sacrificium Missae prosit Sanctis ad gloriam.

3. Nec pro damnatis orare licet, quia hi precibus nostris iuvari non possunt, cum ex Inferno nulla sit redemptio. Pro animabus vero in Purgatorio detentis orari posse, patet ex t. 1. § 413.

An anima Traiani oratione ex Inferno *Schol.* Pro damnatis orari posse, videtur probari ex facto S. Gregorii M. qui precibus suis animam Traiani ab Inferno liberasse dicitur a Ioanne Diacono in *Vita S. Greg.* S. Damasceno *in l. de fid.*

*def.* Euchologio Graecorum c. 9. S. Thoma *in Suppl. q.* 71. *a.* 5. *ad* 5. et in *Revel. S. Birgittae l.* 4. *c.* 13. Verum haec historia omnibus notis falsitatis laborat: tum quia incredibile est, S. Gregorium pro Principe Christianorum persecutore, et Sodomita orasse: tum quia narratio Ioannis, tribus saeculis posterioris, nullo veterum testimonio nititur, cuius nec Ven. Beda S. Gregorio summopere addictus meminit, et ipse S. Gregorius *l.* 34. *mor. c.* 16. docet, non licere orare pro diabolo. Oratio *de fid. def.* non est S. Damasceni, ex qua haec fabula in *Euchologium* irrepsit, et Ecclesia Graeca Schismatica alios etiam errores defendit. S. Thomas fidem historiae non discutit, sed supponit, et respondet, finalem sententiam Traiani suspensam fuisse, illumque secundum praesentia demerita in Inferno punitum esse, sed ad vitam revocatum poenitentia acta salutem obtinuisse. Revelationes S. Birgittae non spectant ad fidem Catholicam, et solum dicunt, animam Traiani ad altiorem gradum evectam esse, id est, poenam eius mitigatam esse: imo revelatio S. Mechtildi facta testatur, Deum nolle sciri, quid de anima Traiani statuerit. liberata sit?

## CAPUT III.

### *De Adoratione.*

§ 788. Actus Religionis elicitus tertius est *Adoratio*, quae est honor seu cultus Deo exhibitus propter summam eius excellentiam. Adoratio quid?

*Schol.* Adoratio secundum se non importat actum corporalem, quia etiam Angeli Deum adorant: relate tamen ad nos homines duplex est: una *spiritualis*, quae consistit in actu intellectus, praestantiam obiecti cognoscentis, et actu voluntatis obsequentis, et ob praestantiam obiecti se demittentis: altera est *corporalis*, quae consistit in externa corporis humiliatione, seu signo protestativo excellentiae obiecti. Haec autem signa sunt diversa: Orientales cooperto capite adorant; occidentales nudo et inflexo: alii erecti, alii genuflexi, vel humi procumbentes: alii extensis manibus, alii complicatis, quo spectant *Caeremoniae* Ecclesiasticae. Si adoratio Deo exhibetur, vocatur *Latria:* si vero exhibeatur Sanctis, seu amicis Dei, propter participatam a Deo eorum excellentiam, dicitur *Dulia:* si Beatissimae Virgini Mariae, ob specialem eius excellentiam, dicitur *Hyperdulia:* si hominibus, propter humanam excellentiam, dicitur *cultus civilis*. Actus externi ad interiorem adorationem referuntur, tamquam ad finem, ut illa in nobis excitetur: vel tamquam ad causam, a qua procedunt: vel tamquam ad significatum, quia internam significant. Rursus adoratio alia est *absoluta*, quae in propria rei, quae colitur, excellentia sistit, nec ulterius progreditur: alia est *relativa*, quae ad alium refertur, et ei exhibetur, ob excellentiam illius, quem repraesentat. Quotuplex?

§ 789 Solus Deus cultu Latriae actu etiam externo, non solo interno, est adorandus. Nam 1° Deus hominem non solum quoad animam, Deus etiam externe est adorandus.

sed etiam quoad corpus conservat. Ergo non solum quoad animam seu cultu interno, sed etiam quoad corpus cultu externo homo Deum colere tenetur. 2° Homo tenetur proximum suum ad cultum Creatori suo debitum excitare. Sed hoc fit per adorationem externam. Ergo ad eam homo tenetur. Unde etiam praecepta in veteri lege circa cultum Dei externum data legimus.

ART. 1. *De cultu Sanctorum.*

Cultus Sanctorum est licitus

§ 790. Cultui vero Latriae soli Deo debito (§ 789.) non obstat cultus Duliae Sanctis, et Hyperduliae Beatissimae Virgini Mariae debitus, qui proinde cultus est rectus et laudabilis. Hoc probat 1° Exemplum veterum Patriarcharum, qui Angelos sub humana specie conspicuos religioso cultu venerabantur. Sic Abraham, *Gen.* 18. *v.* 2. et Loth, *Gen.* 19. *v.* 1. adoraverunt Angelos proni in terram: ubi nomine adorationis cultus Latriae inferior denotatur; nam Angelus ipse, *Apoc.* 22. *v.* 9. S. Ioannem docuit, veram adorationem soli Deo deberi: *Deum adora.* Nihilominus tamen Angelus cultum sibi a S. Ioanne exhibitum illicitum esse non dixit, licet eum pro sua in tantum virum reverentia respuerit. 2° Probat hoc Traditio, de qua testatur Eusebius *l.* 7. *hist.* c. 19. *Christiani viros Sanctos ob ipsorum erga Deum amorem debito semper honore venerati sunt, et hactenus venerantur.* S. Hieronymus in *ep. ad Ripar. Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum.* Et S. Augustinus *l.* 20. *contr. Faust.* c. 21. *Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat.* 3° Ratio est: licet cultu politico honorare viros Principes, et scientia insignes; ergo etiam cultu religioso Sanctos, ob dotes eorum supernaturales.

Solvuntur obiectiones.

*Schol.* 1. Manichaei saeculo 3° omnem cultum Sanctorum reiecerunt: eorum errorem saeculo 4° amplexus est Eunomius Arianus in Oriente, et Vigilantius in Occidente, quos modo sequuntur Lutherani et Calvinistae. I. Quia Concilium Laodicenum *can.* 35. cultum Angelorum velut Idololatricum reiicit: certe Sanctos religione colere Idololatria est. *Resp.* Canon Laodicenus prohibet solum, Angelis tamquam Diis minoribus cultum Latriae exhiberi, uti fecerunt Simon Magus et Cerinthus. Item prohibet cultum Angelorum malorum, et Idolorum. Deinde Ecclesia nunquam definivit, Sanctos religione colendos esse sed est quaestio Scholastica, an hic cultus ad Religionem, vel aliam virtutem spectet. Certum est, quod non colamus Sanctos religione proprie dicta, qua Deo ultimo fini religamur, sed improprie dicta, qua propter Deum honoramus eius amicos. II. Catholici Sanctis Templa aedificant, in quibus construunt eis Altaria, Sacrificia et thus illis offerunt, eosque more Gentilium canonizant: ergo idololatriam committunt. *Resp.* Templa, et Altaria ordinantur ad Sacrificium soli Deo debitum, et ideo soli Deo aedificantur: vulgo tamen dicuntur Templa, Arae, et Missae Sanctorum, quorum specialis ibi fit commemoratio: sicuti S. Augustinus *l.* 22. *de Civ. Dei* ait :

*Nos Martyribus nostris non templa sicuti Diis, sed memorias sicuti hominibus mortuis aedificamus: Deo quippe, non ipsis, sacrificat Sacerdos, quamvis in memoriam sacrificet eorum, quia Dei Sacerdos est, non illorum.* Thus Sanctis oblatum solum cultum Duliae significat, et per Canonizationem Sancti non Dii, uti apud Gentiles, sed fideles Dei famuli, et honore digni declarantur. III. Dulia Sanctis exhibita est vera servitus soli Deo debita, quia S. Augustinus *l.* 2. *q.* 9. *sup. Exod. c.* 25: observat, in Graeco legi δουλεύειν, ut intelligatur, quia et Dulia debetur Deo tamquam Domino: Latria vero nonnisi tamquam Deo. *Resp.* Cultus Sanctorum est servitus, sed non omnimoda soli Deo debita. Dulia inferioris ad supremum Dominum soli Deo debetur; non vero Dulia ad aliquem specialibus donis fulgentem, quae Sanctis exhibetur.

*Schol.* 2. Homines vitae sanctitate et martyrii gloria insignes publico et solemni cultu honorari non possunt, quamdiu a Papa vel Ecclesia in numero Sanctorum needum sunt relati: *c.* 1. *de Reliq. et vener. Sanct.* possunt tamen coli cultu privato, ex peculiari devotione colentis: unde etiam imaginem nondum beatificati domi depingere, retinere, et osculari licet; item eorum reliquias privatim asservare, in eorum honorem ieiunare etc. Episcopus tamen nequit in honorem needum canonizati festum, aut officium publicum instituere, Missam propriam permittere, eius reliquias exponere, quae omnia ad cultum publicum spectant: neque templa et altaria erigere, eorum imaginibus laureolas et radios apponere, tabellas votivas publice appendere; quae omnia Papae sunt reservata, uti patet ex decreto Urbani VIII. *t.* 4. *Bullar. Constit.* 39. et videri potest in opere *de Beatific. SS.* Benedicti XIV. * (Verum praedictus Urbanus VIII. noluit in suis decretis comprehendere illos, qui iam colebantur sive per communem Ecclesiae consensum, sive per immemorabilem temporis cursum, sive per Patrum, virorumque Sanctorum scripta, sive denique temporis longissimi scientia, ac tolerantia Sedis Apostolicae, vel Ordinarii. Isti omnes gaudent cultu publico. Haec omnia videri possunt in praedicto opere de Beatific. Benedicti XIV. ). * **Quinam Sancti publice coli possint?**

### Art. 2. *De cultu Crucis Christi.*

§ 791. Eodem modo Crux sive vera, in qua Christus passus est, sive picta, aut sculpta, aut manuum agitatione expressa bene, et laudabiliter colitur. Id quod 1° patet ex usu et praxi Ecclesiae, quae ab anno 326. quo a S. Helena S. Crux inventa fuit, eam singulari honore coluit. Inventionis huius historiam narrant Scriptores saeculi 4ⁱ; et S. Cyrillus Ierosol. qui potuit esse testis oculatus, in *ep. ad Constantinum*, et *Catechesi* 4ª refert, Christianos ex omnibus orbis partibus ad Crucem adorandam Ierosolymam confluxisse, et erogatis in singulas orbis partes S. Ligni particulis, ipsum tamen Lignum integrum semper perstitisse. S. Ambrosius in *orat. Theodos.* addit, Helenam Crucem in capita Regum levasse: et S. Paulinus *ep.* 11. testa- **Crux Christi recte colitur.**

tur, Ecclesiam Festum inventionis S. Crucis instituisse. Eusebius non quidem in *Vita Constantini*, in *Chronico* tamen eam refert, aliique Scriptores eam referentes non in re, sed solum in levibus circumstantiis differunt. 2° Crux etiam picta, et sculpta semper culta fuit, nam teste S. Chrysostomo *hom*. 61, *Crucis effigiem ad praesidium, et honorem in armis, et vestibus Imperatores adhibebant*. Theodoretus *Serm*. 6. *contr. Graec*. ait: *Graeci Crucis signum venerantur*. S. Augustinus *Serm*. 88. *de verb. Dom. Prius honoravit Crucem*. *L*. 1. c. *de Sacr. Eccl*. prohibetur Crux in pavimento conculcanda inscribi; quod etiam Synodus Trullana *can*. 73. sub anathemate vetuit, et ipsi Iconomachi honorem S. Crucis illibatum servaverunt, teste S. Damasceno, *l*. 2. *de Imag*. 3° Crux etiam manibus formari semper consuevit, uti iterum constat ex continua praxi Ecclesiae. Saec. 2. Tertullianus *de Cor. Mil*. ait: *Ad omnem progressum, ad omnem adytum, et exitum, ad lavacra, ad mensas, frontem Crucis signaculo terimus*. Saec. 3° S. Cyprianus *ep*. 58. *Muniatur frons, ut signum Dei incolume servetur*. Saec. 4° S. Athanasius in *Vita S. Antonii* narrat, eum solitum fuisse armari signo Crucis contra daemonum insidias. Saec. 5° S. Basilius *l. de Spir. S. c*. 27. docet, ex traditione haberi, *ut signo Crucis eos, qui spem collocant in Christum, signemus*.

**Solvuntur obiectiones.** *Schol*. Nonnulli, duce Claudio Taurinensi Episcopo, tam veram quam caeteras Cruces conculcarunt, cuius impietas socii in Oriente fuerunt Pauliciani, soboles Manichaeorum; quos secuti sunt saeculo 11.° Henriciani et Petrubussiani, et saeculo 12° Wicleffistae. I. Quia indecens est, ut filius honoret patibulum, in quo Pater interiit. *Resp*. Gentilibus, et Iudaeis sicuti Crux Christi erat nocentis patibulum, sic et scandalum, et stultitia: ipsis autem vocatis Iudaeis et Gentilibus Dei virtus est, 1. *ad Cor*. 1. *v*. 24. Trophaeum Christi victoris, Cathedra docentis, Tribunal Iudicis. II. Si Crucem colere licet, colendus etiam esset asinus, in quo Christus sedit, et os Iudae, cui Christus osculum impressit. *Resp*. Disparitas est, quod res animatae non honorentur, nisi propter excellentiam illis intrinsecam: inanimata vero honorari possunt propter habitudinem, quam habent ad alia honore digna.

### Art. 3. *De cultu SS. Reliquiarum.*

**Reliquiae SS. merito coluntur.** **§ 792. Praeterea Reliquiis Sanctorum licite, et merito religiosus cultus impenditur. Sic *Exod*. 13. *v*. 19. Moyses ossa Ioseph. honorifice transtulit, quae dicuntur prophetasse, *Eccli*. 49. Aquae Iordanis Eliae pallium reverentes dividebantur, 4. *Reg*. 2. *v*. 8. Mortuus suscitatus est contactu cadaveris Elisaei, 4. *Reg*. 13. *v*. 21. Multi sanati sunt per sudaria et semicincta S. Apostoli, *Act*. 19. *v*. 12. Deinde patet ex traditione: Eusebius *l*. 7. *hist*. c. 9. refert, Cathedram S. Iacobi reverenter asservatam esse. S. Hieronymus *contr. Vigilant*. ait: *Male ergo facit Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri et Pauli secundum nos ossa ve-***

*neranda offert Domino sacrificia.* Idem confirmat S. Augustinus *l.* 20. *contr. Faust.* Sane translationes SS. Corporum in Historia Ecclesiastica notissimae sunt. Unde merito Tridentinum *Sess.* 25. statuit: *Affirmantes, Sanctorum Reliquiis venerationem et honorem non deberi, vel eas, aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandae causa SS. memorias frustra frequentari, omnino damnandos esse; prout iam pridem eos damnavit, et nunc etiam damnat Ecclesia.* Rationem dat Concilium: Quia viva membra fuerunt Christi, et Templum Spiritus Sancti.

*Schol.* Sacrarum Reliquiarum olim hostes fuerunt Eunomius et Vigilantius, qui teste S. Hieronymo Catholicos per contemptum Cinerarios et Idololatras vocabant. I. Quia Iudaei a Christo culpantur, quod Prophetarum ossa adornarent. *Resp.* Christus corripit Iudaeorum impietatem, qui Prophetis a patribus suis occisis monumenta erigunt, et interim Prophetas persequuntur, qui eos corripiunt. II. In ossibus mortuorum nulla est excellentia: ergo frustra coluntur. *Resp.* Non est in iis excellentia absoluta, bene vero relativa, propter Sanctos, quibus suo modo servierunt. Solvuntur obiectiones.

### Art. 4. *De cultu SS. Imaginum.*

§ 793. Denique licitum est, et fas, Imagines Christi, Deiparae et Sanctorum habere, et convenienti honore prosequi. Nam 1° S. Scriptura praecipit, venerari res sacras: notum quippe est, quanto in honore Arca fuerit: *Ios.* 3. *Cavete, ne appropinquetis ad Arcam: c.* 7. *Iosue cecidit pronus in terram coram Arca Domini:* 1. *Reg.* 6. Bethsamitae Arcam curiose aspicientes morte percussi sunt. Sed Imagines sunt res sacrae. Ergo eas venerari Deus praecipit. 2° Ita docet Traditio. Saeculo 2° Tertullianus *apol.* 13. refert, Christianos a Paganis Crucicolas vocatos esse. Saec. 4° S. Hieronymus in *Vita S. Paulae* refert, eam ante Crucem prostratam esse. Saec. 5° S. Augustinus *l.* 3. *de Trin. c.* 10. loquens de signis sacris, qualia sunt Imagines, ait: *Honore tamquam religiosa possunt haberi.* Saec. 6° S. Gregorius *l.* 9. *ep.* 52. *ad Secundianum* mittens Christi imaginem, ait: *Et nos quidem non quasi ante Divinitatem, ante illa prosternimur, sed illum adoramus, quem per imaginem aut natum, aut passum, sed et in throno sedentem recordamur.* 3° Ita statuerunt Concilia Nicaenum II. contra Iconomachos expresse convocatum *act.* 7. definiens hanc veritatem subdit: *Sic enim robur obtinet SS. Patrum nostrorum doctrina, id est Traditio S. Catholicae Ecclesiae.* Synodus VIII. *act.* 10. *c.* 3. definit: *Sacram Domini nostri Christi effigiem eadem, qua S. Evangelia, veneratione colendam statuimus..... Eadem ratione intemeratae Genitricis illius effigiem, sanctorumque Angelorum, quemadmodum illos S. Litterarum paginae describunt, ac Sanctorum omnium veneramur, et colimus. Qui aliter sentiunt, anathema sunto.* Denique Tridentinum *Sess.* 25. statuit, *Imagines Christi, Deiparae, et aliorum Sanctorum in templis praesertim habendas, ac retinendas, eisque de-* SS. Imagines honorare licet.

*bitum honorem, et reverentiam impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in iis Divinitas, vel virtus, propter quam sint colendae, vel quod ab iis sit aliquid petendum, vel quod fiducia sit in Imaginibus figenda, velut olim fiebat a gentibus, quae in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant, ita ut per Imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus, et Sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur.* 4° Ratio est: Cultus Imaginum nil mali continet: per eum ad amorem Christi, et Sanctorum imitationem accendimur, et imagines etiam Caesarum cultu civili honoramus. Ergo est licitus.

Usus Imaginum origo.

*Schol.* 1. Deus in veteri Lege usum Imaginum prohibuit, *Exod.* 20. *v.* 4. Sed haec prohibitio fuit tantum iuris positivi, adeoque rescindi potuit; imo *Num.* 21. *v.* 8. iussit Deus, erigi serpentem aeneum: et *Exod.* 25. *v.* 18. iussit, fieri duos Cherubim. In nova Lege nullum erat praeceptum pingendi Imagines, vel non pingendi quod Christus Ecclesiae determinandum reliquit. Hinc primis iam Ecclesiae saeculis aliquis usus Imaginum fuit: nam Eusebius *l.* 7. *hist.* c. 18. testatur, se vidisse statuam Christi, quam mulier a profluvio sanguinis a Christo liberata, illi erexit. Saeculo 2° mos erat sculpendi Christi Imaginem in calicibus sub specie Pastoris ovem errantem portantis, quod Catholici Tertulliano iam Montanistae obiiciebant, *l. de pudic.* c. 7. Rarior tamen eo tempore fuit SS. Imaginum usus tum ne Iudaei offenderentur, tum ut a cultu idolorum Gentiles revocarentur. Hinc etiam periculosis illis temporibus cultus Imaginum interdictus fuit, tum in Concilio Eliberitano, tum in *ep.* S. Epiphanii *ad Ioannem Hierosolym.* A saeculo vero 4° Ecclesia in libertatem vindicata usque ad nostra tempora Imaginum usum approbavit.

In quo consistat cultus SS. Imaginum?

*Schol.* 2. In quonam consistat cultus SS. Imaginum respectivus, non eodem modo explicant Theologi. Nonnulli volunt, Imaginem esse tantum signum institutum in memoriam prototypi, ut illi tantum debeatur cultus exterior ita exhibendus, ut non ad Imaginem, sed ad exemplar terminetur. Verum hoc modo Imagini nullus cultus exhiberetur, quod videtur esse contra Concilia. Alii in Imaginibus exemplaria apprehendunt, ita ut Christus, vel alia effigies, sit simul cum illa figura totale adorationis obiectum; unde Crux cultu Latriae respectivo honoratur: sed hic modus haereticis idololatriae suspicionem movere potest. Alii melius docent, Imaginem Christi, vel alicuius Sancti concipiendam esse, ut eius similitudinem expressam, et ideo nobis pretiosam, quia haec relatio similitudinis est quaedam excellentia a prototypo derivata, propter quam naturaliter amicorum nostrorum imagines honoramus. Cum vero tanta excellentia non sit in imagine, quanta in prototypo, honor excellentiae utrique debitus aequalis esse non potest. Unde cultus Imaginis Christi, et Crucis cum cultu Deo exhibito confundi non debet. Quare S. Crucem sive veram, sive pictam non colimus cultu Latriae ab-

soluto, sed tantum relativo, qui ita ad Crucem terminetur, ut ad Christum transeat, qui utique cultu Latriae adorandus est; quo sensu S. Crux dicitur ab Ecclesia adorari, quae Crucem pro ipso Christo in nonnullis hymnis sumit. Circa usum Imaginum SS. Trinitatis usque ad saeculum $13^{um}$ nihil in Ecclesia auditum fuit; imo nonnulli eas reiecerunt: sensim tamen Ecclesia non refragante invaluit.

*Schol.* 3. Sacras imagines primo oppugnarunt Iudaei ex peculiari Legis instituto. Deinde Manichaei, teste Tharasio Episcopo Constantinopolitano *act.* 4. *Conc.* 7. Sed prae caeteris Leo Isaurus Imperator a quodam Iudaeo deceptus a. 730. publico edicto in SS. Imagines debacchatus est, Iconomachorum Princeps. Eius filius Constantinus Copronymus 338. Episcopos Costantinopoli congregavit, a quibus imagines abrogari iussit anno 754. Legatos etiam misit ad Pipinum Francorum Regem, ut eum in sceleris societatem pertraheret, qui e contrario in conventu Gentiliaci an. 767. habito Imperatorem ab errore suo revocare conatus fuit, licet frustra; nam Constantinus Leonem filium haeresis suae et imperii haeredem reliquit. Iconomachis in Oriente se opposuerunt S. Damascenus, et S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus. In Occidente Gregorius II. in Synodo Romana, Gregorius III. in Concilio 93. Episcoporum an. 732. et Stephanus IV. Tandem Constantinus Pius Imperator cum Irene matre sua cultum SS. Imaginum restituit, celebrato Concilio VII. Generali, quod an. 787. Constantinopoli inchoatum, Nicaeae vero absolutum fuit, dictum Nicaenum II. Praefuit Hadrianus I. per suos Legatos, et in eo statutum fuit, Imagines Christi, et Sanctorum in Templis collocari posse, easque licite coli. Cum vero acta huius Synodi Gallis innotuissent, multorum animos commoverunt, tum ob nomen adorationis, quo Synodus utitur, tum ob ritus quosdam colendi Imagines, apud Gallos inusitatos. Unde Carolus M. quatuor libros scripsit, vel conscribi iussit contra Synodum Nicaenam, qui libri *Carolini* dicti sunt; quin et in Synodo Parisiensi, et Francofurdiensi Graecorum sententia damnata est ex falsa persuasione, Graecos cultu Latriae Imagines adorare: unde usque ad saeculum $12^{um}$ Galli septimae Synodo obstiterunt. Tandem extinctam pene haeresim Iconomachorum rursus excitarunt Claudius Taurinensis Episcopus, Waldenses, Albigenses, Lutherani et Calvinistae: quorum rationes sunt: I. *Deut* 5. *v.* 8. Deus expresse prohibet: *Non facies tibi sculptile.* Et Conc. Eliberitanum *can.* 36. statuit *picturas in Ecclesia esse non debere, ne, quod colitur, et adoratur, in parietibus depingatur. Resp.* Sculptile prohibetur factum, ut adoretur. Concilium Eliberitanum Imagines pictas reiicit, tum ob metum idololatriae, tum ne, si auferri non possent, ludibrio Paganorum exponerentur. II. S. Irenaeus inter haereses Carpocratis ponit cultum Imaginis Christi, et Pauli, *l.* 1. *c.* 24. Tertullianus *l. de Idol.* c. 3. Imaginum artifices a diabolo

Solvuntur obiectiones Iconomachorum

esse asserit. S. Epiphanius *haer.* 79. haereticos esse ait, qui Imaginem B. V. circumferunt, et colunt. *Resp.* S. Irenaeus et Tertullianus cultum idololatricum solum reprobant. Et S. Epiphanius loquitur de Collyridianis, Beatissimam Virginem tamquam Deam honorantibus. III. Duo concilia Constantinopolitana cultum SS. Imaginum reprobarunt. Libri Carolini Synodum VII. cum cultu SS. Imaginum: item Conventus Parisiensis, et Concilium Francofurdiense reprobant. *Resp.* Concilia illa Constantinopolitana fuerunt illegitima. Libri Carolini, et Synodus Parisiensis, ac Francofurdiensis Synodum Nicaenam II. reiecerunt ex errore facti, putantes, cultum Latriae ibi SS. Imaginibus decretum fuisse, et varios modos, thure, luminibus etc. in Gallia non usitatos, honorandi SS. Imagines improbarunt. Cultus vero Duliae aperte SS. Imaginibus asseritur tum in Libris Carolinis *l.* 2. *c.* 23. *Imagines in Ecclesiis habere non renuimus*: tum in Synodo Parisiensi in *ep. ad Ludovicum*: *Imagines Sanctorum stulta praesumptione non sunt confringendae:* tum in Concilio Francofurdiensi, quod Synodum Nicaenam ob infidelem translationem Actorum eius in linguam Latinam, et quia necdum ab Hadriano P. publice pro oecumenica declarata et approbata fuisset, reiecit.

## CAP. IV.

### *De Caeremoniis Ecclesiasticis.*

Caeremonia quid? § 794. Ad cultum Dei externum spectant etiam *Caeremoniae*, quae sunt actus externi Religionis, qui ad ornatum et pompam cultus Divini, ad honorem Dei, Sacramentorum dignitatem, et ad hominum utilitatem referuntur.

Quotuplex? *Schol.* Caeremoniae ratione finis et effectus, 1. aliae sunt institutae *ad iustificationem*, uti Sacramenta, de quibus hic non loquimur: aliae sunt institutae *ad alios effectus spirituales*, v. g. daemones coercendos, uti Exorcismi, Aqua benedicta: aliae *ad ornatum*, et significationem, uti lumina cereorum. 2. Ratione institutoris, seu causae, aliae sunt quasi *ab ipsa natura* institutae, uti tollere manus, et oculos in coelum, dum oramus: aliae *a Deo:* aliae *ab Apostolis* 3. Ratione causae formalis, aliae sunt *immediate cultus Dei*, uti Sacrificium etc. aliae *disponunt ad colendum Deum*, uti Ieiunia etc. aliae sunt *instrumenta cultus Divini*, uti Templa, Calices etc. 4. Ratione obiecti materialis, aliae versantur *circa personas*, uti Exorcismi etc. aliae *circa locum*, uti consecratio Templi: aliae *circa tempus*, uti dies Festi: aliae *circa modum*, uti usus linguae Latinae in administrandis Sacramentis: aliae *circa ipsas res*, uti Benedictio aquae etc. 5. Ratione accidentium, aliae sunt *perpetuae*, aliae *temporales:* aliae *universales*, aliae *particulares:* aliae *liberae*, aliae *praeceptae*. Nos hic praecipue de illis Caeremoniis agemus, quae ad ornatum, et cultum Dei externum praecise pertinent, et ab Ecclesia institutae sunt: et qui-

dem de generalibus, uti sunt: Usus Psalmodiae, cereorum, thuris, et variarum benedictionum. Reliquas Caeremonias in usu Sacramentorum adhiberi solitas, et illas, quae ad Sacramentalia spectant, infra de Sacramentis agentes commodius explicabimus.

ART. 1. *De potestate Ecclesiae instituendi Caeremonias.*

§ 793. Ecclesia habet potestatem instituendi Caeremonias ad cultum Dei spectantes. Sic 1° S. Paulus 1. *ad Cor.* 11. pollicetur, se ordinaturum, quae ad celebrandam SS. Eucharistiam spectant. Item Apostoli *Act.* 15. Gentiles a sanguine et suffocato abstinere iusserunt, mutarunt diem Sabbati in Dominicum, instituerunt Festa Paschatis etc. 2° Tertullianus commemorat varias Caeremonias ab Ecclesia institutas in *l. de cor. mil.* Item *Sacramentale* S. Gregorii M. *Euchologia* Graecorum, scripta S. Isidori, Alcuini, Amalarii, Rabani etc. fidem faciunt, ritus, quos hodie in celebratione Sacramentorum, in officio Hebdomadae Sanctae, et aliarum solemnitatum observat Ecclesia Latina, ante mille annos iam esse institutos. Unde Tridentinum *Sess.* 21. *c.* 2. declarat, *hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione salva illorum substantia ea statueret, quae sumentium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate magis expedire iudicaret.* Et ipsi Protestantes in Confessione Helvetica confitentur: *Semper in ritibus et Caeremoniis Christi Ecclesiae usae sunt libertate.* Et Confessio Augustana docet *art.* 15. ritus, qui sunt humana auctoritate instituti, servandos: ut certae feriae, certae cautiones piae. 3° Omni prorsus aetate certae Caeremoniae pro cultu Dei institutae fuerunt: in lege naturae Noe constructo Altari Deo obtulit; in lege scripta Synagoga nova Festa instituit, *Judith. ult.* 2. *Esdrae.* 9. Ergo etiam Ecclesia novas Caeremonias potest instituere. Ecclesia potest instituere Caeremonias.

*Schol.* 1. Igitur iuvat hic generalium Caeremoniarum antiquitatem nunc ostendere. 1° *Psalmodiae* usus antiquissimus est. *Ad Col.* 3. Apostolus ait: *Docentes et commonentes vosmetipsos, Psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo.* S. Ignatium M. tradidisse Ecclesiae Antiochenae formam alternatim cantandi, demonstrat Ruinart in *Act. Mart.* et confirmat S. Augustinus *l.* 4. *Conf. c.* 6. Item ostendit Cardin. Bona in *Harm. Psall. Eccl. p.* 21. Scriptorum sacrorum et profanorum testimoniis, antiquissimam esse hanc cantandi consuetudinem. Organa tamen et reliqua musica instrumenta, iuxta D. Habert, primis Ecclesiae saeculis videntur fuisse in Ecclesia incognita; eorum tamen saeculo 6° Fortunatus Pictaviensis meminit *l.* 2. c. 1. Sed eorum usus non ita universaliter receptus fuit; quin saeculo 13° visa sunt parum congruere moribus Christianorum; unde S. Thomas 2. 2. *q.* 19. *a.* 2. *ad.* 4. ait: *Huiusmodi musica instrumenta magis animum movent ad delectationem, quam per ea formetur intus bona dispositio. In veteri autem Testamento usus erat talium instrumentorum, tum quia populus erat* Usus Psalmodiae et Musicae.

*magis durus, et carnalis*; *tum quia huiusmodi instrumenta corporalia aliquid figurabant.* Quare nonnullae Congregationes Regulares strictiores organa in suis Oratoriis non admittunt. Musicorum instrumentorum usum in Ecclesiam introduxit S. Vitalianus Papa an. 660. et posteriora Concilia, maxime Tridentinum *Sess.* 22. in Decreto *de vit. in Mis.* tolerarunt, et solum prohibuerunt, ne profana sacris admisceantur, quales sunt concentus, qui magis ad voluptatem, quam devotionem movent, et omnia instrumenta, quae ad choreas, et ludos theatrales, ac saeculi pompam serviunt. Hinc ne fideles per vanam melodiam alio avocentur Concilium Braccarense II. a. 567. statuit, ne quid poetice compositum in Ecclesia psallatur: et a. 633. Concilium Toletanum IV. *can.* 13. versus humano studio compositos reiiciens, excipit eos, quos S. Hilarius, et Ambrosius ediderunt. Item Concilium Mediolanense I. tibias et cornua non adhibenda in Ecclesia statuit.

Cereorum usus. 2° *Candelas et Cereos* ad Officia Divina accensos iam legimus, *Exod.* 25. In Ecclesiis eorum usum antiquissimum esse, patet ex S. Gregorio Naz. *or.* 4. *in Iulian.* S. Hieronymo *l.* 2. *adv. Vigilant.* Prudentio in *Hymno de S. Laurentio.* Constat etiam, olim Clericis curam accendendi cereos demandatam fuisse ex Concilio Carthaginensi 4° a. 398. *can.* 6. Huius usus etiam meminit *Sacramentale* S. Gregorii, Rabanus etc. Eodem modo usum luminarium in vigiliis mortuorum probant Acta proconsularia S. Cypriani apud Ruinart: et cereorum laudabilem usum confirmarunt miracula: arsisse cereos sine diminutione olei in Templo Pictaviensi, narrat S. Gregorius Turonensis *de glor. mart.* c. 5. et plura refert Canisius *de benedict.*

Thuris usus 3° De usu *Thuris*, praeterquam quod eius vetus Testamentum meminerit, habetur eius antiquitas ex *can.* 3. *Apost.* ex Auctore operis *de Eccl. Hier. c.* 3. ex *Actione* 3ª Concilii Chalcedonensis, quae legi possunt apud Card. Bonam *l.* 1. *c.* 25. Testantur etiam perantiqua thuribula, quae laudat Anastasius in Silvestro P. *Sect.* 36. et Leo Ostiensis *l.* 1.

Campanarum usus et benedictio 4° Quantum attinet ad usum *Campanarum*, certum est, quovis tempore fideles ad Ecclesiam aliquo signo convocatos esse. In veteri quidem Testamento tubis argenteis, et ductilibus: primis vero Ecclesiae saeculis incompertum quidem est, quo signo Christiani convocati fuerint, nec unum, et idem ubique forte in usu fuit, signi tamen sonori iam saeculo 4° meminit S. Ephrem *Paraen.* 43. Et Graeci quidem antequam Ursus Participatius Venetorum Dux circa annum 865. campanas quasdam Michaeli Imperatori dono mitteret, plebem convocabant tabula lignea, vel lamina ferrea malleo percussa: de quibus vide Magium *de Tintinnabulis.* At in Ecclesia Occidentali campanarum iam fit mentio in Ordine Rom. in Vita S. Eligii a. 650. scripta *l.* 2. *c.* 21. et a Ven. Beda sub initium saeculi 7ᵐⁱ *l.* 4. *hist. Angl. c.* 23. Quis vero usum campanarum induxerit, incertum est. Polydorus Virgil. *de rer. invent. c.* 12. etc. Ciaconius etc. Sabiniano

P. a. 604. tribuunt: alii campanas referunt ad saeculum $5^{um}$ a S. Paulino Nolano usurpatas, ac *Campanas*, vel *Nolas*, a Nola Campaniae urbe dictas. Solemnis campanarum Benedictio antiquior est Ioanne XIII. P. uti ex Ritualibus probant Bona *l. 1. de reb. Liturg. c.* 22. et Martene *de ant. rit. l.* 2. *c.* 21. Dicuntur autem vulgo baptizari, non quasi gratiae sint capaces, sed quia benedicuntur: imponitur illis nomen, ut quasi voce alicuius Sancti plebs ad laudem Dei convocetur: benedicuntur, et inunguntur, sicuti lapis a Iacob in titulum erectus, quia in Dei cultum consecrantur: adhibentur etiam in nonnullis locis patrini, ut sacrorum signorum praesint custodibus, et hi eas pulsent iuxta Ecclesiae consuetudinem et finem his versibus expressum:

*Laudo Deum verum, plebem voco, congrego Clerum,*
*Defunctos ploro, nimbum fugo, Festaque honoro.*

Admiranda de campanis consecratis refert Gretserus *l.* 2. *de Bened. c.* 45. et Rocca *c.* 7. Immerito ergo Magdeburgenses hanc benedictionem carpunt; et Carolus M. in *Capitular.* solos superstitiosos ritus abrogari voluit.

5° *Templorum* usus antiquissimus est: licet enim primis Ecclesiae saeculis ob furentes persecutiones non ita publice illa erigere liceret; semper tamen pro celebrandis Divinis loca quaedam specialiter eligebantur, uti superior pars domorum, ubi erant Coenacula; vel subterranea oculis impiorum impervia: item Carceres, ubi Confessores Christi includebantur, vel Cryptae, et Coemeteria, et Catacumbae, vel a Graeco κατὰ τύμβοι *iuxta tumbas;* vel a Latino *cymba*, quod instar navis concavae et longae essent dictae. Imo Baronius ad annum 57. Sanctorum Pii I. Eusebii, Optati, et Evaristi, aliorumque profanorum Scriptorum testimoniis probat, in ipso Ecclesiae exordio plura Templa Romae fuisse, quae modo *Dominicum*, modo *Domus Dei*, modo *Basilica*, modo *Memoria*, modo *Martyrium*, modo *Titulus* vocabantur. Sane 1. *ad Cor.* 11. aedes, ad quas Apostolorum aetate fideles conveniebant, a privatis domibus distinguebantur: et Philo apud Eusebium *l.* 2. *hist. c.* 17. de Christianis Alexandrinis refert, eos habuisse in singulis locis consecratam orationi domum, et in ea celebrasse castae vitae mysteria. Post persecutiones nulli dubium est de Templis ex concessione Constantini M. ubique erectis. Templa autem eriguntur, tum ad sacrificandum, tum ad orandum, tum ad Martyrum Reliquias honorifice asservandas, tum ad pascendum populum verbo Dei, et Sacramentis. Dedicationis templorum ritus pariter est antiquissimus: dedicationem Templi Salomonici narrat Regum historia, *l.* 3. *c.* 8. et dedicatio templi etiam recensetur, 1. *Machab.* 4. Romae in Exquiliis Ecclesiam dedicatam testantur antiqua Martyrologia, et Florentinius *Exercit.* 11. S. Caecilia inducias mortis petiit, ut domum suam Ecclesiam S. Urbanus P. consecraret. Eusebius *l.* 10. *hist. c.* 3. commemorat Festivitates Dedicationum: et *l.* 4. *de vita Constantini* dedicationem Ecclesiae

Templorum usus et dedicatio.

Ierosolymitanae refert. S. Gregorius *l.* 3. *dial. c.* 30. narrat in consecratione Templi S. Agathae inde sub porcorum imagine immundos daemones exiisse. Hinc Benedictus XIV. censet, hunc ritum esse iustitutionis Apostolicae; et Card. Bona *l.* 1. *Rer. Liturg. c.* 20. ostendit, enm non excogitasse Evaristum P. qui solum quosdam ritus adiecit.

Benedictio Candelarum. 6° *Benedictio Candelarum* in Festo Purificationis iuxta aliquos a Sergio P. a. 687. instituta fuit. Verum ante illum huius ritus iam meminerunt Sophronius, S. Ildephonsus et Eligius. Alii cum Baronio in *notis ad Martyrol.* Gelasium P. a. 492. eius auctorem statuunt, qui Lupercalia sustulit: sed ille nullam de hac Benedictione mentionem fecit. Benedictus XIV. *de Fest. B. V.* cum Rocca putat, hanc Caeremoniam institutam esse adversus lustrationes Amburbiales quibus Ethnici, ut iusta persolverent Diis Manibus, urbem accensis facibus februabant; tum quia hae lustrationes initio mensis Februarii fiebant; tum quia hoc confirmat Rabanus *l.* 2. *de Inst. Cler. c.* 33.

Benedictio Palmarum. 7° *Benedictio Palmarum* vetustior est, quam credit P. Martene, qui *c.* 20. *de ant. Eccl. disc.* putat, eam modo post saeculum 8[um] incepisse. Nam P. Merati *t.* 1. *p.*2 eam antiquiorem probat ex *Calendario Eccl. Rom. saeculo* 5° ex libro *Sacramentorum* Gelasii Papae, et ex *Sacramentario* S. Gregorii.

Benedictio Cerei Paschalis. 8° Ritum benedicendi *Cereum Paschalem* instituit Zosimus P. a. 417. iuxta Amalarium; eum tamen vetustiorem esse putat Baronius ad an. 418. cum Ennodius circa annum 521. eius, tamquam ritus aetate maiorum recepti, meminerit. Reliquae Caeremoniae suis locis de Sacramentis et Sacramentalibus agentes explicabimus.

Solvuntur obiectiones. *Schol.* 2. Lutherani fatentur 1. aliquas caeremonias necessarias esse. 2. Illas Caeremonias tantum esse adhibendas, quae in S. Scriptura habent mandatum vel exemplum; novas vero extra illas Ecclesiam instituere non posse. I. quia Apostolus in *Ep. ad Coloss.* docet, non esse ab hominibus petendam doctrinam de vero Dei cultu. *Matth.* 15. Christus reprehendit traditiones hominum. *Prov.* 30. dicitur: *Non addas ad verbum Domini.* Et 4. *Reg* 17. Samaritani a feris discerpti sunt, quod novis caeremoniis Deum colerent. *Resp.* Ab hominibus contraria Evangelio docentibus verus Dei cultus peti non debet. Christus reiicit traditiones Pharisaicas inanes, et legi Dei repugnantes. *Prov.* 30. prohibetur solum, aliquid corrumpens legem verbo Dei addere. Samaritani puniti sunt, eo quod una cum vero Deo idola colerent. II. S. Augustinus *ep.* 119. conqueritur, quod multitudine Caeremoniarum Ecclesia onerata sit. *Resp.* S. D. de Caeremoniis privata auctoritate a mulierculis inventis loquitur. III. Usus Caeremoniarum non discriminat veterem Legem a nova, ubi in *spiritu et veritate* Deum adorare oportet, *Ioan.* 4. Et videtur repugnare paupertati, et simplicitati Evangelicae. *Resp.* Discrimen inter Iudaeos, et Christianos quoad Caeremonias est, quod cultus veteris Legis fuerit primario externus et corporalis, et internus a Deo etiam

simul requisitus erat ex gratia Novi Testamenti; cultus vero Christianus est principaliter internus et spiritualis, a spiritu fidei et charitatis tamquam gratia Novi Testamenti procedens. Deinde aurum nostris Caeremoniis usurpari solitum, non est ad ornatum hominis tantum creatum, cum Deus ipse illo tabernaculum suum ornari iusserit.

Art. 2. *De utilitate, et significatione Caeremoniarum.*

§ 796. Caeremoniae sunt utiles, meritoriae, et pars cultus Divini. 1° Utilitas Caeremoniarum patet ex eo, tum quia devotionem internam conservant, nutriunt, et augent: S. August. *l. de cura pro mort. c.* 5. tum quia rudibus sunt loco scripturae, et picturae, et repraesentant iis Redemptionis nostrae mysteria, ne oblivioni dentur: tum quia per eas exercetur fides, et serviunt ad Religionis nostrae splendorem, et discernunt Catholicos ab Haereticis. 2° Caeremoniae sunt meritoriae, quia sunt opera virtutum, scilicet Religionis, et subinde aliarum virtutum, si cum fide et charitate fiant (t. 1. § 383.). 3° Sunt pars cultus Divini, quia externam Deo reverentiam exhibent (§ 789. et § 794.). *Caeremoniae sunt utiles.*

*Schol.* Calvinus putat, Caeremonias nostras Ecclesiasticas esse inutiles. I. Quia Deus sola obedientia mandatorum suorum delectatur: *Ier.* 44. et 1. *Reg.* 15. *Nunquid vult Dominus....victimas, et non potius, ut obediatur voci Domini? Resp.* S. Scriptura obedientiam prae sacrificiis, sed sacrificia etiam vult fieri ex obedientia. II. Caeremoniae Ecclesiasticae a paucis intelliguntur: ergo utiles esse non possunt. *Resp.* Facile intelligi possunt, et rudibus explicantur; imo si etiam non intelligerentur, saltem rebus sacris venerationem apud rudes conciliant. *Solvuntur obiectiones*

§ 797. A primis autem Ecclesiae saeculis Caeremoniis in prima sui institutione mysticus sensus annexus fuit: unde spiritualem etiam significationem habent, non pure litteralem et historicam originem. Nam 1° Deus non solum inspirat, quomodo colendus sit ob sui gloriam, sed etiam ob nostram utilitatem: sed si Caeremoniae non haberent spiritualem significationem, non essent ad nostram utilitatem; ergo eam habent. Unde S. Augustinus *l.* 6. *contr. Faustum* c. 5. ait: *Deus non frustra ea, quibus non indiget, sibi iuberet offerri, nisi aliquid in iis ostenderet, quod nobis et nosse prodesset, et talibus signis praefigurari oporteret.* 2° Patet explicando mysticam Caeremoniarum significationem. *Cantus Psalmorum*, concentus coelestium virtutum, *Sanctus, Sanctus, Sanctus* Deo in coelo clamantium, designat. *Cerei* accenduntur in typum luminis spiritualis, et laetitiae. *Thus* Deo in supremum Latriae cultum adoletur, et monet nos, ut bonus odor virtutum, et orationis nostrae ad Deum ascendat. *Campanarum et Templorum* significatio patet ex dictis (§ 795. Schol. 1.). *Candelae* in Festo Purificationis benedictae, et accensae, Iesum lumen ad revelationem Gentium a Simeon superna illustratione cogni- *Caeremoniae spiritualem significationem habent*

tum, nobis manifestant. *Palmarum* benedictio est commemoratio triumphalis ingressus Salvatoris nostri Ierosolymam, et pacis, ac gratiae, ad quam baptizandi in Paschate properabant. *Cereus Paschalis* accenditur ob Mysterium Resurrectionis Christi, ex Conc. Tolet. IV. *c.* 9. et ob Evangelicae fidei ac gratiae splendorem.

Sententia Claudii de Vert. *Schol.* Claudius de Vert Monachus Cluniacensis in opere Gallico *Explication simple, litterale et historique des Cérémonies de l'Eglise*, contendit, S. Caeremonias ex sui institutione nullam habere significationem spiritualem, sed solum institutas esse ad commoditatem ministrorum, et consuetudinem regionum: v. g. cereos ad illuminanda loca subterranea, ubi persecutionum tempore Sacra fiebant; thus ad purgandum foetorem. Tournely ab errore vindicat Claudium de Vert, eo quod mysticam Caeremoniarum significationem non reiiciat, sicuti ipse de Vert ad Iurium scribens testatur. Eum tamen magno errore deceptum esse, censuit Iosephus Suession Episcopus in Epistola sua pastorali a. 1720. prodiitque adversus Claudium egregium opusculum Parisiis. Et hunc Auctorem nimium ausum fuisse, censet Benedictus XIV. *de Sabb. S. n.* 393. et *de Purificat. B. V. n.* 22. P. Berti putat, Claudium rationes quidem symbolicas in Caeremoniis agnoscere, sed quao ipsarum institutionem modo sunt subsecutae, ita ut primitus naturalem habuerint causam, postea vero ob mysticum symbolum in illis excogitatum usu retentae fuerint.

### Art. 3. *De obligatione Caeremoniarum.*

Caeremoniae sub peccato obligant. § 798. Caeremoniae ab Ecclesia institutae non possunt sine peccato omitti, et obligant ad sui observationem etiam citra scandalum. Nam 1° Ecclesia habet potestatem Caeremonias instituendi (§ 795.). Ergo ei obediendum est; nam leges Ecclesiasticae obligant etiam in foro conscientiao (§ 473.). Undo Tridentinum *Sess. 7. can.* 13. definit: *Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni, aut sine peccato omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse; anathema sit.* 2° Ordo et uniformitas in ministerio Ecclesiastico turbaretur, si cuivis vel novas Caeremonias instituere, vel institutas omittere liceret. Ergo institutae sub peccato observari debent.

Solvuntur obiectiones. *Schol.* Protestantes docent, observationem Caeremoniarum sub peccato praecipi non posse. I. quia S. Paulus, 1. *ad Cor.* 7. ne una quidem in re laqueum iniicere ausus est. Et *ad Gal.* 5. non patitur, ut modo in servitutem fidelium conscientiae redigantur. *Resp.* In primo loco S. Apostolus loquitur de Virginitate, quae utique praecepta non est: et in altero loco de servitute Legis Iudaicae, a qua liberati sumus. II. S. Augustinus in *ep. ad Ian.* scribit, nos habere liberas observationes, et pessime agere, qui Religionem servilibus oneribus premunt. *Resp.* S. D. agit de Caeremoniis, et consuetudinibus accessoriis, privata auctoritate libere observandis, institutis, uti ex contextu patet.

*Coroll. Pract.* 1° Caeremoniae nonnullae urgente necessitate etiam in Sacramentorum administratione, salva eorum materia, et forma, omitti possunt. 2° Non omnis sacrorum rituum transgressio est grave peccatum, seclusa contemptu; sed attendendum est ad Caeremoniarum conditionem: si enim sint valde conspicuae, v. g. sacrae Vestes in Missa, omissio earum est peccatum grave; si vero non sint ita conspicuae, erit veniale. 3° Caeremoniae universales in tota Ecclesia nonnisi a Papa ex gravi ratione mutari possunt: Caeremoniae vero particulares ab Episcopis institutae, ab illis, vel eorum successoribus mutari possunt, nisi sint a Papa confirmatae. Resolvuntur casus

## CAP. V.

### *De Sacrificio.*

§ 799. Quartus actus Religionis elicitus est *Sacrificium*, quod est oblatio rei sensibilis a legitimo ministro Deo facta per realem eius immutationem, ad testandum supremum Dei dominium, nostramque subiectionem. Sacrificium quid?

*Schol.* Ad perfectum Sacrificium requiritur: 1. Ex parte ministri, quod sit Sacerdos, publica, et legitima auctoritate ad sacrificandum destinatus. 2. Ex parte materiae, quod sit res sensibilis. 3. Ex parte formae, quod res illa immutetur. 4. Ex parte finis, quod soli Deo in protestationem supremi dominii offeratur. 5. Ut fiat in Altari. Sacrificia Veteris Legis ratione formae, et finis simul dividebantur in *Holocaustum*, quod totum cremabatur: in *Sacrificium pro peccato*, ubi victima partim cremabatur, partim cedebat usibus Sacerdotum; et pro quibusdam tantum peccatis externis offerebatur: et in *Hostiam pacificam*, ubi victima partim cremabatur, partim usibus tum Sacerdotum, tum offerentium cedebat; haec hostia oblata pro acceptis beneficiis, dicebatur *Sacrificium Eucharisticum*: vel oblata pro beneficio obtinendo, *Impetratorium*. Quotuplex?

§ 800. Porro Sacrificium Deo offerendum est. Quippe S. Scriptura notat in omni statu, Naturae, Legis scriptae, et Gratiae, Sacrificium Deo oblatum esse. Et ratio est, quia naturalis ratio homini dictat, se propter defectus, quos in se experitur, subdi alicui enti supremo, scilicet Deo, a quo eget dirigi, et adiuvari; adeoque illi honorem esse deferendum, et subiectionem protestandam, iuxta modum humanae naturae, qui est, ut ad hoc rebus sensibilibus utatur. Ergo etiam recta ratio dictat, ut homo res sensibiles Deo offerat cum immutatione rei oblatae in signum suae subiectionis, quod fit per Sacrificium. Ex quo infert S. Thomas, oblationem Sacrificii esse iuris naturae, licet modus sacrificandi, vel ex electione hominum, uti in lege naturae, vel ex revelatione Dei, uti in lege scripta, et gratiae, determinandus sit. Porro de Sacrificio Novae Legis suo loco tractabitur. Sacrificium Deo offerendum.

## CAP. VI.

### De Superstitione.

Superstitio quid? § 801. His actibus Religionis modo explicatis per excessum opponitur Superstitio: et per defectum Irreligiositas. *Superstitio* est falsa Religio, vel cultus vitiosus veri, aut falsi Numinis.

Quotuplex? *Schol.* Excessus in cultu Divino non est secundum quantitatem cultus absolute; nam quantumcumque homo Deum colit, nunquam eum pro debito colet, sed excessus est vel secundum obiectum, si alius ut Deus colatur, qui Deus non est; vel secundum modum, et circumstantias, si verus Deus modo indebito colatur. Ideoque Superstitio est vel cultus falsus, aut superfluus Dei, vel cultus indebitus creaturae exhibitus. Superstitio, qua falsus Deus colitur, tres species continet: scilicet Idololatriam, Divinationem, et vanam Observantiam.

Est peccatum. § 802. Superstitio, prout est falsa religio ob excessum ex parte modi colendi verum Deum, pro substrata materia peccatum mortale, vel veniale esse potest. Id quod patebit ex subiecto Corollario.

Resolvuntur casus *Coroll. Pract.* 1° Peccat graviter peccato Superstitionis, qui hodie Deum coleret per Circumcisionem, et caeteras Caeremonias Iudaicas, quae significabant Christum venturum, qui tamen iam venit; unde committeretur mendacium in materia Religionis. 2° Graviter peccat, qui falsas Reliquias publico cultui exponit, miraculum per aliquam Imaginem factum esse fingit, aut falsas revelationes, ut lucrum acquirat. Item si quis ad movendum populum fingat, aliquam historiam, vel miraculum in S. Scriptura reperiri, de se est peccatum mortale, iniuriosum primae Veritati, et auctoritati S. Scripturae mendacium: ignorantia tamen, et simplicitas subinde a peccato gravi excusat. 3° Superstitionem committit, qui colit Deum modo ab Ecclesiae praxi alieno: v. g. qui non vult orare, nisi ante solis ortum, accenso certo candelarum certo ordine dispositarum numero, non audire Missam nisi Sacerdotis, qui vocatur Ioannes, non nere die Sabbati in honorem B. V. cum tamen alia opera servilia faciat etc. quae omnia, absente tamen contemptu, et scandalo, ex simplicitate facta, sunt saltem venialia. 4° Oratio S. Christophori, et S. Coronae ad accipiendam pecuniam, est superstitiosa, et graviter illicita, quia est invocatio daemonis. 5° Non est superstitiosum Sacra, aut orationes certo numero offerre in honorem alicuius Mysterii pie ab Ecclesia recoli consueti, v. g. SS. quinque Vulnerum, nisi huic determinato numero effectus adscribatur. 6° Non est superstitiosum, bibere Benedictionem S. Ioannis, per quem potum indicatur desiderium mutuae charitatis, quam S. Ioannes tantopere depraedicavit: vel significatur votum, ut haustus sit innoxius, sicuti S. Ioannes venenum innoxie bibit; secus foret, si quis per hunc potum vellet honorare S. Ioannem. 7° Ieiunare in die Paschae, non comedere de capite animalis in Festo Decollationis S. Ioannis, sunt devotiones superstitiosae; sed

si ex simplicitate, et indiscretione procedant, plerumque non sunt peccaminosae. 8° Preces, et Cruces, vi quarum aliqui sperant, se fore invisibiles, seu invulnerabiles, etc. sunt superstitiosae, quia haec non sine temeritate a Deo petuntur, nec aliunde hunc effectum habent. Denique moneri debent rudes, ne rebus sacris superstitiosa admisceant, et rebus benedictis humili cum fiducia ita utantur, ut effectum eorum ex opere operato virtuti earum non adscribant.

### Art. 1. *De Idololatria.*

§ 803. Superstitionis prima species est *Idololatria*, quae est cultus soli Deo debitus alicui creaturae exhibitus. Idololatria quid?

*Schol.* Idololatria alia est *materialis*, dum quis sine affectu interno solo metu mortis cultum Latreuticum creaturae exhibet: alia est *formalis*, quae vel est *perfecta*, quando quis cultum Divinum exhibet creaturae, v. g. idolo, cui falso creditur inesse Divinitas; quae proinde coniuncta est cum infidelitate: vel est *imperfecta*, dum quis sciens, nullam creaturae inesse Divinitatem, vel ex odio in Deum, vel desiderio aliquid ab idolo, daemone, vel creatura obtinendi, ei cultum Divinum exhibet. Quotuplex?

§ 804. Idololatria est peccatum mortale gravissimum: *Exodi* 20. *Non adorabis ea* (idola), *neque coles.* Sicuti enim gravissimum in republica crimen est, alium quam legitimum Principem agnoscere, et colere; ita multo magis cultum Creatori debitum creaturae impendere. Est mortale peccatum

*Coroll. Pract.* 1° Idololatria etiam materialis est grave peccatum, utpote mendacium contra Religionem graviter perniciosum, et contra praeceptum fidem externe profitendi (560.). In foro tamen interno ab Excommunicatione immunis est, quia fides in corde retinetur. 2° Cultus externi signa alia sunt Latriae proprie dictae, et soli Deo debitae: uti offerre Sacrificium, erigere Templa, et Altaria: alia sunt indifferentia, uti inclinatio capitis, genuflexio, incensum, quae determinantur ad certum cultum ex determinatione, et intentione agentis. Unde si fiant Deo, spectant ad cultum Latriae: si Beatissimae Virgini, ad Hyperduliam: si Sanctis, ad Duliam: si hominibus, ad cultum politicum. 3° Qui proprio Sanguine, aut aliter se daemoni devovet, et subscribit, speciem Idololatriae committit: item qui daemonis dictis firmam fidem adhibet, nisi circa ea, quae Exorcismis coactus edicit, licet nec tunc illi credendum sit, si dicat, v. g. hanc esse Sagam, quam ex hac causa incarcerare non licet, si alia indicia desint. Resolvuntur casus.

### Art. 2. *De Divinatione.*

§ 805. Altera species Superstitionis est *Divinatio*, quae est significatio occultorum ex pacto cum daemone. Divinatio quid?

*Schol.* Pactum cum daemone vel est *expressum*, quod fit vel verbis, vel expressa daemonis invocatione, aut explicito proposito, seu Quotuplex?

voluntate, aliquid a daemone discendi: aut fit factis, aliquid usurpando, aut agendo, in quo quis scit, vel putat, daemonem respondere, et cooperari. Vel est pactum *implicitum*, quando aliquis intendit quid scire per signa, aut facta, ex quibus occultorum notitia nec naturaliter haberi, nec a Deo, vel bono Angelo sperari potest. Species Divinationis per pactum expressum sunt: 1. *Praestigium*, quando daemon sub hominis, vel alterius animalis specie apparet. 2. *Divinatio per somnia*, dum in somno expectatur revelatio occultorum a daemone. 3. *Necromantia*, dum adhibito sanguine, et certis carnibus, vel aliis signis evocati mortui videntur resurgere, loqui, et ignota docere. 4. *Pythonismus*, quando daemon per homines arreptitios occulta revelat. 5. *Geomantia*, dum daemon per signa apparentia in corporibus terrestribus, ligno, lapide etc. occulta docet. 6. *Hydromantia*, dum per signa apparentia in aqua: 7. *Aeromantia*, dum per signa in aëre: 8. *Pyromantia*, dum per signa in igne: 9. *Aruspicium*, dum per signa in intestinis animalium daemoni immolatorum, occulta docet: quae omnes species solum materialiter differunt. Species Divinationis per pactum implicitum sunt: 1. *Astrologia iudiciaria*, praedicens futura libere contingentia ex astris. 2. *Physiognomia*, quae vel est *Metoposcopia*, ex vultu, et corporis constitutione, vel *Chiromantia*, ex lineamentis manuum futura praedicens. 3. *Divinatio per sortes*.

Divinatio est grave peccatum.

§ 806. Omnis Divinatio per pactum sive expressum, sive implicitum, est per se peccatum mortale: per Divinationem enim cum pacto expresso cum daemone, illi Divinus cultus exhibetur, societas cum infensissimo Dei hoste initur, et adest praesentissimum periculum Apostasiae. Per Divinationem vero cum implicito pacto eodem modo disserendum: quod confirmat Ieremias c. 10. dicens: *A signis coeli nolite metuere, quae timent gentes, quia leges populorum vanae sunt*. Et cau. 25. q. 5. referuntur plures Canones contra Astrologos statuti.

Resolvuntur casus.

*Coroll. Pract.* 1° Divinatio cum pacto implicito fit veniale peccatum per ignorantiam non crassam nec affectatam: vel propter imperfectionem actus, quando certa fides non adhibetur, sed tantum timor, et suspicio futuri eventus habetur: vel quando ioci causa, aut ex levitate eventus futurus inquiritur. 2° Coniectare ex somniis naturalibus corporis complexionem, praesentem valetudinem, aut morbum futurum, item bonam, vel malam animi affectionem, non est superstitiosum, quia inter haec habetur naturalis connexio. Somniis vero casualibus firmam fidem dare, superstitio est, maxime si ex iis futura libere contingentia praedicantur. Non tamen videtur peccare mortaliter is, qui propter somnium praecedens ponit, vel omittit actionem indifferentem ex timore mali in somniis ostensi; quia hoc potius fit ex anxio timore, quam firma fide. Ille tamen graviter peccaret, qui ita a somniis dependeret, ut plerasque actiones suas secundum illa disponeret. Somniis a Deo immissis fide adhibenda est: so-

mniis vero a diabolo excitatis credere, est peccatum mortale, quod dupliciter committi potest: 1. Desiderando per somnium a daemone doceri, et ideo certo corporis situ decumbendo. 2. Ex somnio futura contingentia libera temere coniiciendo. Somnium a Deo immissum a diabolico discerni potest: si ad bonum, et fugam peccati cum humilitate, et timore Dei provocet, a Deo: si ad malum, vel indiscretionem, a daemone esse teneri potest. In dubio praestat iudicare esse a daemone, vel casuale. 3° Ex motu, situ, et oppositione astrorum licet certo praedicere effectus naturales necessario futuros, v g. Eclipses: item probabiliter licet praedicere eventus contingenter futuros, v g. pluvias, tempestates, fertilitatem etc. item generaliter licet coniectare temperamentum, et propensiones naturales prolis ex aspectu astrorum in puncto nativitatis; quae tamen coniectura ad effectus particulares se extendere non debet, cum inclinatio naturalis ope Divinae gratiae per virtutes vinci possit. Astrologia vero iudiciaria, praedicens ea, quae ex libertate hominis, et Dei arbitrio mere dependent, plane superstitiosa est, et graviter peccat, qui ex Astrologia, seu revolutione syderum certo praedicere vult pacis, et belli vicissitudines: ex Genethliaca futuros in vita eventus, v. g. Matrimonium cum tali persona: ex Astrologia electionum, quid singulis horis agendum sit, ut res bene succedat. A gravi tamen peccato excusatur, qui non ex solis astris, sed ex aliis simul circumstantiis, et qualitatibus personae contingenter futurum probabiliter praedicit. Nec graviter peccat, qui ex vano timore potius, quam firma fide ob praedictionem Astrologi unam, vel alteram actionem indifferentem ponit, vel omittit: adeoque qui facit sibi futura a Cingaris praedici, si tantum curiositatis et risus gratia faciat, peccat tantum venialiter, licet raro absit peccatum scandali, inducendo alterum ad divinationem: si quis vero firma fide hoc faciat, graviter peccat. 4° Metoposcopia, et Chiromantia, si probabiliter tantum coniectat de corporis valetudine, et temperamento, et consequenter de ingenio, et animi propensione, licita est, quia haec cognosci possunt; si vero praedicat futuros eventus liberos, est graviter peccaminosa. 5° Sortes divisoriae adhibitae in electionibus, haereditatibus, et litibus, ut sciatur, quid cuique tribuendum sit, licitae sunt: quia sunt contractus, per quem partes aequale ius ad rem habentes ex mutuo consensu subeunt aequalem conditionem acquirendi, et perdendi: non tamen licent in electionibus Ecclesiasticis, *c. Ecclesia, de Sortil.* imo etiam tempore pestis per sortes determinari potest, quisnam Sacerdos, vel Medicus infirmorum curam suscipere debeat, Sortes consultoriae ad indagandam Divinam voluntatem licitae sunt, si usurpentur ex speciali instinctu Spiritus S. uti *Act.* 1. *v.* 26. vel si nullum aliud auxilium suppetat in re, necessaria, et gravissimi momenti; alias sunt illicitae, quia Deus non vult sortibus suam voluntatem indagari, sed per doctrinam Ecclesiae, et hominum prudentum. Sortes divinatoriae, quibus rei occultae manifestatio, vel consilii directio expresse, vel tacite a daemone implo-

ratur, sunt omnino illicitae, Usns tamen sortium, vulgo *Lotterie*, est licitus, dummodo absit dolus, et servetur iustitia, quia est pactum mutuum, et spontaneum. 6° Ars punctatoria, si ad quaestiones arte humana non resolvendas se extendat, est superstitiosa: non vero illa, quae hodie inventa est, ubi resolutio quaestionis qualiscumque in ipsa clave iam contenta ope calculi eruitur. 7° Graviter peccat, qui iubet praedici, vel ea credit, quae ex speculis magicis praedicuntur, quorum usus omnino superstitiosus est, nec naturaliter hanc vim habet.

### Art. 3. *De Vana Observantia.*

Vana observantia quid? §. 807. Tertia species Superstitionis est *vana Observantia*, quae est applicatio medii non proportionati, vel naturaliter non connexi nec a Deo, nec ab Ecclesia instituti, ad consequendum aliquem effectum.

Quotuplex? *Schol.* Vanae Observantiae tres sunt species. 1. *Ars notoria*, per quam adhibitis certis signis, variae scientiae absque labore comparantur. 2. *Observantia sanitatum*, quando per benedictiones inusitatas, incantationes, insufflationes, scripturas, ligaturas etc. quae vim naturalem medendi non habent, sanitas et immunitas a vulnere obtinetur. 3. *Observantia eventuum*, qua quis ex observatione rerum impertinentium mala vel sibi vel aliis eventura coniicit, ideoque aliquid facit, aut omittit.

Est per se mortale § 808. Vana Observantia ex genere suo est peccatum mortale; quia plerumque in illa intervenit occulta et interpretativa daemonis invocatio, cum medium ad effectum omnino improportionatum adhibeatur.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Ars notoria ob tacitam daemonis invocationem, est peccatum mortale: licitum tamen est, uti scientia de naturali virtute alicuius herbae ope daemonis acquisita, dummodo conservatio huius virtutis, et usus scientiae actualem daemonis concursum non requirat. 2° Observantia sanitatum est graviter peccaminosa: dignoscitur autem, si verba inepta, aut ignota, vel characteres peregrini adhibeantur: item si inserantur fabellae de febri, et spasmo Christi: item si circumstantiae ad sanitatem conferendam omnino inutiles, tamquam per se efficaces, adhibeantur. Huc pertinet abusus rerum sacrarum, et cultus superstitiosus Sanctorum, v. g. portare secum thalerum icone S. Georgii insignitum, ad vitandum periculosum lapsum ex equo: apponere stramen in forma Crucis ad sistendum fluxum sanguinis ex naribus etc. si quis tamen haec, et alia faceret ex mera devotione erga S. Georgium, vel S. Crucem sine alia superstitiosa caeremonia, nec infallibiliter ex sola applicatione effectum expectaret, non peccaret. 3° Observantia eventuum, si firma fides accedat, est peccatum mortale: v. g. si quis occurrente lepore recedat ab itinere etc. a simplicibus tamen saepe venialiter solum peccatur, tum propter ignorantiam, tum propter fidem firmiter non adhibitam, tum

propter defectum seriae intentionis. 4° Si quis prudenter credat, medicum aliquem, vel chirurgum, alias suspectum de mediis superstitiosis, scire etiam media licita, licet eos consulere, sed cum animo utendi nonnisi mediis licitis. Si dubitetur, an res applicanda habeat vim naturalem, necne, accedentibus gravibus rationibus pro licito eius usu, dubium deponi potest, et res applicari; cum multarum rerum virtutes nobis sint incognitae: cum protestatione tamen, se nolle effectum, si subsit vis diabolica. Si vero satis constet, virtutem non esse naturalem, sed dubitetur, an sit a Deo vel a daemone; praesumendum est, esse a daemone, quia Deus tales effectus non operatur, nisi in Sacramentis, et Sacramentalibus, nec temere ab eo expectandum est miraculum.

## Art. 4. *De Magia.*

§ 809. Ad vanam Observantiam pertinet *Magia* superstitiosa, quae est ratio efficiendi mira, daemonis ministerio, per signa ad hoc instituta ex pacto cum daemone. Magia quid?

*Schol.* 1. Magia superstitiosa, seu diabolica, de qua etiam egimus (t. 1. § 208. cum Schol.), differt a magia naturali, quae per causas naturales mira ex arte efficit. Si effectus Magiae superstitiosae transit in damnum proximi, vocatur *Maleficium*: si ad excitandum carnalem amorem, vel odium erga alium, dicitur *Philtrum*, seu *Veneficium*. Quotuplex?

*Schol.* 2. Magorum potentiam, et Sagarum artes veluti inania phantasiae deliramenta multi moderni Doctores derident, de quorum opinione egimus (tom. 1. § 208. cum Schol.); propter malam tamen persuasionem et intentionem opem a daemone efflagitandi, eiusmodi homines graviter peccant, et poenis etiam coerceri possunt. Interim tamen magna prudentia et circumspectione Confessarii hac in materia procedere debent, nec nimium proclives esse ad iudicandum, hunc aut illam esse a daemone obsessos, insolitos morbos a maleficiis proficisci etc. nec sibi vel aliis rudibus persuadeant, tantam esse daemonis, Magorum et Sagarum potestatem ad mala fidelibus inferenda, aut nimium faciles sint ad Exorcismos, coniurationes, et nescio quae media a nonnullis contra daemones excogitata. Quippe ex nimia facilitate haec credendi et Exorcismos passim usurpandi, multa absurda consequuntur; nam rudis plebs praesertim mulierculae eiusmodi rebus facile fidem praebent, et maritos suos, filios vel filias, iumenta et pecora a Magis et Sagis veneficio esse infecta credunt, unde temeraria iudicia, detractiones, inimicitiae, et alia gravia damna et peccata sequuntur. His igitur omnibus pro viribus Ecclesiae ministri se opponant, caveantque, ne a perversis hominibus lucro inhiantibus, vel male credulis mulierculis decipiantur, quod iam multoties contigisse non sine scandalo Fidei nostrae adversariorum, experientia docuit. Nihilominus quia iuxta dicta (tom. 1. § 208. cum Schol.) Magia non est omnino impossibilis, vel quia perversi quidam homines opem a daemone subinde implorant; hinc Corollarium Practicum Quomodo cum magis agendum?

seqnenti Paragrapho subnexum Confessario necessariam pro hac materia instructionem suppeditabit.

Est peccatum mortale. **§ 810. Magia ex genere suo est peccatum mortale, quia continet societatem cum daemone, Dei infensissimo hoste,**

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract* 1° Magi a Confessario praecipue interrogandi sunt de vitiis Magiae annexis, scilicet de Haeresi, dum Magi eredunt, daemonem non esse damnatum: de Idololatria, dum daemoni cultum Divinum per sacrificia exhibent; de Apostasia, dum Christum abnegant, et Baptismo renuntiant: de Blasphemia in Deum, Christum, Beatissimam Virginem, et Sanctos: de Sacrilegio, dum SS. Eucharistia, et rebus sacris saepe abutuntur: de Luxuria: de damnis proximo illatis, homicidiis, morbis, caedibus animalium, vastationibus segetum. 2° Maleficium duobus modis tolli potest: 1. Destruendo simpliciter signa, ex quibus maleficium per daemonis pactum dependet; qui modus est licitus, quia amovens signa non intendit daemonem invocare, cum nullum pactum eum daemone ineat, sed potius pactum rescindere. 2. Per novum maleficium; qui modus nunquam est licitus: unde non licet petere a malefico, ut maleficium novo maleficio dissolvat, quia sic petens eo ipso cum daemone communicaret: secus foret, si maleficus sine maleficio maleficium dissolvere posset: hinc licet Sagis abradere capillos, si illis relictis non sentiant torturam. Item licet reperentere Sagam, a qua quis percussus est, ne noceat. In dubio vero, an Magus maleficium novo maleficio tollat, non licet dissolutionem ab eo petere, sicuti nec si adsit suspicio, ob periculum peccandi per commercium cum daemone: de auctore tamen maleficii facilius praesumi potest, cum signa a se posita sine novo maleficio destructurum, ad quod ex iustitia tenetur, et verberibus etiam cogi potest. Si autem suspicio sit, quod alter modum licitum dissolvendi maleficia sine novo maleficio didicerit, ab eo peti potest, ut dissolvat, quia arte bona, quam male didicit, bene uti potest. 3° Remedia contra maleficia alia sunt naturalia, petita vel a pharmacis, vel destructione pacti, remotis signis: alia sunt supernaturalia, uti fiducialis sui commendatio in Divinam Providentiam, et custodiam S. Angeli Tutelaris: Exorcismi Ecclesiae: devotus usus Aquae benedictae: et S. Benedicti, ac S. Ignatii numismata: oleum S.Walpurgis; Cerae Innocentianae: Devotio erga Beatissimam Virginem Immaculate Conceptam etc. 4° Magus, si pactum cum daemone habeat, debet illud prius dissolvere et eiurare, antequam absolvatur; non tamen necesse est, ut poenitens petat sibi reddi chirographum a daemone, in quo se forte illi subscripsit: si tamen poenitens aliud chirographum apud se habeat, illud destruere, et comburere debet. 5° Subinde simpliciores se accusant, se esse Sagas, propter nonnulla magica exercitia, quae didicerunt, sine expresso pacto cum daemone; tales vere poenitentes facilius absolvi possunt, cum consilio, ut frequenter Sacramenta Poenitentiae, et SS. Eucharistiae suscipiant, et actus Fidei, Spei et Charitatis eliciant. 6° Si quis pecuniam a daemone acceperit,

nec constet, a quo eam daemon surripuerit, illam retinere potest, quia ex fundo maris, vel occulto thesauro ad neminem spectante a daemone accipi potuit: si vero dominus constet, illi restitui debet, nec licet ea uti, si sit adulterina. Item si Magus alicui operam suam magicam praestitit, accepta mercede, ad restitutionem non tenetur, quia opera est pretio aestimabilis. Ita censet P. Layman, cui bene contradicit Ill. D. Godean; quia si talis Magus ad restitutionem non teneretur, ars magica ad captandum lucrum sine iusto titulo servire posset.

## CAP. VII.

### *De Tentatione Dei, et Blasphemia.*

§ 811. Religioni per defectum opponitur *Irreligiositas* (§ 801.), seu defectus cultus Deo debiti. Alia directe tendit ad irreverentiam Dei, uti Tentatio Dei et Blasphemia. *Tentatio Dei* est, quando quis aliquid dicit aut facit, per quod absque iusta causa explorat, an Deus habeat hanc vel illam perfectionem. *Vitia religioso cultui Dei per defectum opposita. Tentatio Dei quid?*

*Schol.* Tentatio Dei alia est *expressa*, et *formalis*, quando quis expresse dubitans de aliqua perfectione Dei, aliquid facit, vel dicit ex animo illam explorandi: v. g. quis dubitat de articulo Fidei, et petit miraculum a Deo pro eius confirmatione vel praecipitat se ex turri, ad explorandam omnipotentiam Dei in se conservando. Alia est Tentatio Dei *implicita* et *interptetativa*, quando quis nec dubitans de perfectione Dei, nec explorare volens, aliquid petit, aut agit, quod ex se extraordinarium Dei auxilium requirit: v. g. negligendo medicinas in infirmitate, et temere a solo Deo sanitatem expectando: vel in grave periculum non sine peccato evadendum se coniiciendo. *Quotuplex?*

§ 812. Tentatio Dei per se est peccatum mortale. Nam tentans Deum vel dubitat de aliqua Dei perfectione, et ideo quaerit experimentum, ut certificetur; et sic agit contra reverentiam Dei: vel de Deo praesumit, et contemptis mediis ordinariis a Deo institutis, ab ipso miraculose expectat effectum, quem intendit, quod est audacius, et irreligiose ac irreverenter cum Deo agere. Ergo graviter peccat. *Est per se mortale.*

*Coroll. Pract.* 1° Tentatio Dei formalis semper est peccatum mortale, nec datur in ea parvitas materiae. Tentatio vero implicita, per se quidem est peccatum mortale; saepe tamen est veniale, tum ob imperfectionem actus, ignorantiam, et simplicitatem: tum ob levitatem periculi, quod quis adit. Nullum vero est peccatum, si ex gravi causa cum humili in Deum confidentia aliquid tentetur: proinde ut eiusmodi temeritates sint peccata, tacite semper sine ulla utilitate, et necessitate extraordinarium Dei auxilium implorari debet. 2° *Purgationes vulgares*, per apprehensum ferrum candens, aquam ferventem etc. probando suam innocentiam sunt graviter prohibitae, *l.* 5. *decret. t.* 38. sunt enim tentationes Dei, nec iudex ex talibus sententiam ferre potest. 3° Tentat graviter Deum, qui temere, et sine iusta *Resolvuntur casus.*

causa se offert ad Martyrium, quia exponit se periculo lapsus: tunc autem est iusta causa, si adsit praeceptum Martyrii subeundi ad servandam multorum fidem, et salutem, vel ad blasphemias vitandas: vel si adsit consilium Martyrii, quando scilicet nil aliud sequitur, et expectatur, quam gloria Dei, et simul sentitur specialis instinctus. 4° Non tentat Deum, qui in gravi necessitate humiliter rogat Deum, ut sibi voluntatem suam vel per Confessarium, vel per internam illustrationem indicet; non tamen debet petere signum externum, quod iam est aliquid extraordinarium.

Blasphemia quid? § 813. Ad irreverentiam Dei directe etiam tendit *Blasphemia*, quae est verbum contumeliae adversus Deum.

Quotuplex? *Schol.* Blasphemia, 1. alia est *cordis*, alia oris. 2. Alia est *directa*, quae Deum in seipso inhonorat: alia est *indirecta*, quando quis advertenter loquitur verba, quae ex modo proferendi et circumstantiis continent imminutionem Divini honoris, licet homo eam non intendat: uti si quis irrisorie vel detestative contra Sacramenta, Sanctos, et cultum Dei loquatur, vel in Sanguinem Christi, et res sacras contumelias effundat. 3. Blasphemia alia est *haereticalis*, quae haeresim continet, v. g. Deum esse iniustum: alia est *imprecatoria*, qua quis Deo malum imprecatur.: v. g. pereat Deus: alia est simpliciter *dehonestativa*, quando quis verá de Deo, sed ex ira et odio in Deum dicit, uti illa Iuliani Apostatae: *Vicisti Galilaee:* vel quando quis creaturis aliquid tribuit, quod Deo competit: v. g. daemon est Deo fidelior.

Est mortale. § 814. Blasphemia ex genere suo est, peccatum mortale: *Lev.* 24. *v.* 16. *Qui blasphemaverit nomen Domini morte moriatur: lapidibus eum opprimet omnis multitudo.* Ratio est, quia omnis blasphemia infinitam Dei Maiestatem positive dehonorat: ergo ex se est gravis iniuria Dei, adeoque peccatum grave.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Blasphemia haereticalis specie differt, quia opponitur etiam Fidei: item blasphemia in Deum, quae cultui Latriae, et blasphemia in Sanctos, quae etiam cultui Duliae opponitur, probabiliter specie differunt. 2° Ad quaevis obvia SS. Nomina Iesu et Mariae proferre, non est blasphemia, sed tantum vana usurpatio Divini Nominis, adeoque absente contemptu, tantum veniale. Assumptio ergo Divini Nominis licita est, si fiat ad exprimendum Dei dominium, fiduciam, amorem et devotionem erga Deum: illicita vero est, quando sine omni reverentia, necessitate vel utilitate ex sola consuetudine profertur: in quo errant illi, qui fere ad singulos sensus addunt: *apud Deum Deus: scit: puniat me Deus.* Haec plerumque fiunt indeliberate, adeoque raro sunt mortalia. Graviter vero peccatur, si Nomen Dei in contestationem malae passionis, ex desperatione, odio Dei, vel ad confirmandum falsum per iuramentum assumatur. 3° Pronuntiare nomen daemonis sine imprecatione, et gravi scandalo, est tantum veniale, quia est contra decentiam Christianam: magis tamen dedecet personas sacras frequens daemonis appellatio

ob scandalum. 4° Si poenitens se accuset: blasphemavi: attendat Confessarius, 1. An verba sint blasphema, quia saepe maledicta, imprecationes, iuramenta cum blasphemia a rudibus confunduntur. 2. An cum indignatione, et irreverentia sint prolata. 3. An sint prolata ex animo Deum inhonorandi, et quidem cum advertentia blasphemiae, ubi graviter peccatur. 4. An sine advertentia ex consuetudine sint prolata, quam poenitens non curat emendare; ubi tot mortalia committit, quot verba blasphema profert, quia voluntarie causam ponit: secus foret, si studeat se emendare; ubi indeliberatae blasphemiae non sunt mortalia. Si poenitens dicat, quod affectum indignationis nullo modo ad Deum extendere voluerit, sed tantum ad hominem vel iumentum, ad verba attendi debet: si enim talia, vel tali modo prolata sint, ut enormem contumeliam Dei, et Sacramentorum significent: v. g. *bestiae Sacramentales*, aut *Sacramenta bestialia*, *mille Sacramenta*, *infernalia*, *diabolica Sacramenta*, *mortalia Sacramenta*, excusari nequit a mortali; nisi ex defectu advertentiae et voluntarii; et absolvi non debet, nisi firmo emendationis proposito concepto: si vero verba tantam contumeliam non contineant, v. g. simpliciter nominando Sacramenta etc. venialiter solum peccavit, et sub gravi obligatione tenetur deponere malam consuetudinem ob periculum blasphemiae formalis. 5° Non peccat graviter per se loquendo, qui verba sacra immutat, dicendo: *Sacerment*, nisi forte audientes non intelligentes scandalizentur. 6° Qui indignatur tempestati, sine indignatione in Deum, solum venialiter peccat. Qui dicit: videtur Deus mei oblitus esse, absque eo, quod ita sentiat, plerumque solum venialiter peccat, quia haec verba solum vehementiam doloris sui significant. Item qui diei nativitatis suae maledicit, sine indignatione in Deum, non blasphemat. 7° Haec verba: *heu Domine Deus!* non sunt blasphema, sed signa admirationis: sicut et haec *heu centum*, *Domine Deus*, *Sacramentum Dei*, *Crux Dei*, *Vulnera Dei*, *Sanguis Dei*, sine animo asserendi centum Deos, vel blasphemandi, sunt tantum irreverentia Divini Nominis, et leviter peccaminosa: saepe tamen sunt peccata gravia ob periculum graviter blasphemandi et scandalum. Haec verba vero: *ut te Deus castiget*, *stupret te Deus*, *Deus Sacramenta stupret*, *meretrix Sacramentalis*, *aut Sacramentum meretricium*, *sanguinolentum Sacramentum*, *fulminosum Sacramentum*, *fulmen dissipet Sacramenta aut res Sacramentales*, sunt formales blasphemiae, et graviter peccaminosa. Ad eradicandam denique malam blasphemandi consuetudinem, iuvat poenitenti certas preces iniungere, vel suadere, toties recitandas, quoties in posterum blasphemaverit.

## CAP. VIII.

### *De Iuramento.*

§ 815. Quintus actus Religionis elicitus est *Iuramentum*, quod est invocatio Divini Nominis in testimonium alicuius rei. Iuramentum quid?

Quotuplex? *Schol.* Iuramentum dividitur 1. In *solemne*, coram testibus et Notario: et in *simplex*, quod fit sine solemnitate. 2. In *contestatorium*, quo Deus simpliciter in testem vocatur: v. g. Deum testor: et *execratorium* et *imprecatorium*, quo Deus simul in testem et vindicem vocatur: v. g. puniat me Deus, nisi ita sit. 3. In *assertorium*, quo iuratur aliquid esse, aut non esse, aut non fuisse: et in *promissorium*, quo aliquid futurum promittitur; quod duo affirmat, unum de praesenti, quod scilicet iurans habeat seriam voluntatem id faciendi, quod iurat: alterum de futuro, quod suo tempore sit impleturus id, quod promittit. Denique iuramentum *comminatorium* est, quo quis cum iuramento minatur, se aliquid facturum.

Iuramentum est licitum. § 816. Iuramentum est actus Religionis, eoque uti licet, si debitae conditiones concurrant. Nam 1° Deus ipse iuravit: *Ps.* 109. *Iuravit Dominus.* Et *ad Hebr.* 6. *v.* 13. *Quoniam neminem habuit, per quem iuraret, maiorem, iuravit per semetipsum.* Item iuramento usi sunt Sancti non solum veteris Testamenti, uti Abraham, *Gen.* 21. Isaac, *c.* 26. Iacob, *c.* 31. Moyses, *Deut.* 3. et 4. sed etiam Sancti Legis Evangelicae, uti S. Paulus *ad Rom.* 1. et 2. *ad Cor.* 1. *Testem Deum invoco.* Quod confirmat praxis Ecclesiae, quae saepe exigit iuramentum vel in iudicio, *tit. de iureiur.* vel ad abiurandam haeresim, et Fidem profitendam. 2° Ratio est: origo et finis iuramenti sunt bona, et licita: origo enim est fides, qua homines credunt, Deum esse infallibilem veritatem, et habere rerum omnium cognitionem; finis vero est terminandi obortas controversias. Ergo iuramentum est licitum.

Solvuntur obiectiones *Schol.* Apostolici, Cathari, Wicleffistae, et Anabaptistae negarunt, usum iuramenti esse licitum. I. *Matth.* 5. *v.* 34. Christus ait: *Ego autem dico vobis, non iurare omnino.* Et: *Sit autem sermo vester: est, est: non, non: quod autem his abundantius est, a malo est. Resp.* Prohibetur hic solum iuramentum temerarium sine necessitate, et utilitate. II. S. Hieronymus *in c.* 5. *Matth.* et Tertullianus *de Idol.* docent, iuramentum in se malum esse. *Resp.* Loquuntur de iuramento temerario. III. Iuramentum est res ordinis superioris, sive cultus Dei: ergo nequit ordinari ad quid inferius: imo si sit cultus Dei, expedit saepe iurare, ad cultum Deo exhibendum. *Resp.* Iuramentum non ordinatur ad inferius tamquam ultimum finem, sed ultimato in Deum refertur: ut vero sit cultus Dei, debet habere debitas circumstantias, quae tamen rarius adsunt.

### ART. 1. *De Requisitis ad licite iurandum.*

Requisita ad iuramentum § 817. Igitur ad licite iurandum, requiritur, 1. Veritas, ut nimirum res vera sit. 2. Iudicium, ut ex iusta causa necessitatis, vel utilitatis iuretur. 3. Iustitia, ut materia sit honesta. Ita *Ier.* 4. decernit Deus: *Iurabis: vivit Dominus, in veritate, et in iudicio, et in iustitia.*

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Ad Iuramentum essentialiter requiritur, ut fiat per

**Deum vel directe, seu expresse invocando Deum in testem: v. g. iuro per Deum: Deus sit Testis: quam vere Deos vivit: vel tacite et** indirecte, quando per creaturas relative ad Deum, quatenus in iis perfectiones Dei specialiter relucent, iuratur: v. g. iuro per coelum. Eodem modo iuratur per Crucem in ordine ad Christum: item per S. Evangelia: si quis vero per creaturas ignobiles, v. g. per paleas iuraret, iuramentum iocosom censeretur. 2° Circa formulas iurandi, inspicienda est intentio poenitentis, an per eas vere iurare voluerit: sic hae formulae: Re vera: Profecto: quam vere vivo: in rei veritate sim fur, si non ita est: tam verum est, quam sol lucet; non sunt iuramenta, nisi quis per conscientiam erroneam illa pro iuramentis haberet, sed tantum comparationes, quae si res falsa sit, mendacium committitur. Item hae: quod dico, est Evangelium: est instar fidei: tam verum est, quam Deus est: quam Christus est in Venerabili: tam innocens sum, quam Beatissima Virgo Maria: plerumqoe tantum ex intentione proferentis sunt comparationes, non vero iuramenta: cavendae tamen sunt. Hae vero formulae: per animam meam: Deus scit: coram Deo loquor: per conscientiam, per fidem meam: fide Principis: fide Sacerdotali: de se loquendo non sunt formulae iurandi, sed solum exprimunt, rem ita veram esse, quam vere anima est in corpore etc. unde si absit intentio iurandi, et hae ab altero in nonnullis circumstantiis ut iuramenta non exigantur, obligant quidem ex virtute iustitiae, et fidelitatis, non vero ut iuramenta ex virtute Religionis. Hae autem formulae, sub meo iuramento, sicuti nunc meum iuramentum facio: sic me Deus adiuvet: iuro per Deum, per Sanctos, Evangelium, Vulnera, Crucem Christi: nollem venire ad Deum: Deus in me non habeat partem: daemon me, vel te auferat: subito moriar, si non sit verum; sunt vera iuramenta, ubi tamen semper ad intentionem proferentis respiciendum est. Iurare tamen per falsos Deos, vel falsam Religionem, non est quidem iuramentum; est nihilominus peccatum mortale, si serio fiat, quia honor soli Deo debitus, daemoni, vel falsae Religioni tribuitur. 3° Materia iuramenti assertorii est omne factum, quod ex certa causa sine prudenti formidine coram Deo verum iudicatur; de incognitis enim et dubiis iurare impium est. 4° Qui iurat deficiente veritate etiam in re levi, semper graviter peccat, iuxta prop. 24. ab Innocentio XI. damnatam, quia Deum in testimonium falsi adducit. Excusantur tamen a gravi peccato mercatores, quando cum iuramento affirmant: non possum, per Deum iuro, merces minoris vendere, tanti constant, si absit mendacium, nec intendant decipere emptores, quia communiter omnes norunt, quod lucrum et expensas negotiationis simul computent; plerumque tamen venialiter peccant, quia sine necessitate iurant. Item a mortali excusatur, qui invitatus ad convivium iurat, se non occupaturum primum locum, tum quia tacita conditio intelligitur: nisi vincar alterius comitate: tum quia saepe non intenditur iuramentum. Item

excusantur a mortali parente, et domini iurantes, se talem poenam subditis inflicturos, si postea eam non infligant: quia in iuramentis his comminatoriis tacita conditio subintelligitur: nisi maius incommodum nascatur: nisi emendatio sequatur: nisi aliud expediens fuerit: praesertim non obligat iuramentum, si parens ex zelo indiscreto poena inordinata se filios castigaturum iuraverit. Peccari tamen potest in his iuramentis, quia sine necessitate, et cum scandalo fiunt. 5° Qui iurat ex defectu iudicii sine necessitate seu utilitate, venialiter peccat, modo absit scandalum. Qui vero inveteratam consuetudinem iurandi habet, sive res vera, sive falsa sit, peccat graviter, si ex magna negligentia omittat investigare veritatem, ob periculum falso iurandi. 6° Si res mortaliter mala facienda iuramento confirmetur, est peccatum mortale: si venialiter mala, est veniale, et peccatum seu malum volitum in Confessione exprimi debet. Qui iurat, se non facturum ea, quae sunt consilii, peccat venialiter, et iuramentum eius non obligat. 7° Non licet iurare ficte, seu cum animo non iurandi, ex prop. 25. ab Innocentio XI. damnata, quia taliter iurans a mendacio excusari nequit. Hinc qui iurat falsum sine animo iurandi in materia gravi, vel levi, semper graviter peccat, quia Deum in testem falsi adducit: qui autem iurat verum sine animo iurandi, sine damno tamen proximi, tantum venialiter peccat, quia non est graviter Deo iniuriosum, cum iuramentum super fictionem non cadat. Si tamen iudex vel Superior praecipit iurare, aut quando gravis contractus, vel promissio iuramento firmari debet, tenetur quis sub mortali vere ex animo iurare. Porro iuramentum fictum, si dolosum sit, non quidem ex virtute Religionis, bene tamen ex iustitia et ratione scandali orituri, obligat ad id, quod ficte et dolose iuratum fuit; alias enim alteri iniuria fieret: si vero absit dolus, damnum et scandalum, nulla obligatio oritur. 8° Ex gravi causa licet petere iuramentum ab eo, quem timeo peieraturum, quia utor iure meo, et alter a periurio abstinere potest: non autem licet alium inducere, ut aliquid tamquam verum ab eo habitum iuramento confirmet, si inducens sciat esse falsum, quia hoc periurium ex parte iurantis materiale, ex parte inducentis esset formale.

Art. 2. *De Conditionibus, et Obligatione Iuramenti promissorii.*

Conditiones et obligationes iuramenti promissorii.

§ 818. Iuramentum promissorium validum debet 1. Esse de re honesta et licita, quia iuramentum nequit esse vinculum iniquitatis. 2. Debet esse de se possibili; alias foret nugatorium, et gravis irreverentia erga Deum. 3. Non debet esse in praeiudicium vel damnum tertii, quia esset peccaminosum. 4. Si soli Deo fiat, debet esse de meliori bono, uti infra de voto dicetur. Sub his conditionibus iuramentum promissorium vim obligandi habet: *Matth.* 5. *Reddes Domino iuramenta tua.* Haec tamen obligatio solum est gravis in materia gravi; levis vero in materia levi: sicut enim nullum est peccatum, non implere iuramentum de re mala; sic solum veniale erit, si fuerit de re bona, sed levi.

*Schol.* Dices I. Periurium ex defectu veritatis praesentis est mortale: ergo etiam ex defectu veritatis de futuro. *Resp.* Disparitas est: quando deest veritas de praesenti, Deus invocatur, ut testificetur falsum pro vero: quando vero deest veritas in futurum, seu executio rei promissae, Deus invocatur ad testificandum verum, quia non invocatur in testem executionis iuramenti, sed in testem sincerae promissionis, et sequentis obligationis. II. Qui promissionem iuratam violat, facit dictum suum praeteritum, scilicet, se aliquid esse facturum, falsum. Ergo facit, ut Deus in confirmationem falsi adductus fuerit; alias iuramentum promissorium falsum non esset periurium. *Resp.* Qui promittit, se aliquid facturum, non affirmat se vere, et re ipsa facturum esse, cum hoc ob varia impedimenta, quae obstare possunt tempore executionis, nesciat, sed tantum se obligat ad faciendum: unde iuramentum promissorium falsum, est tantum improprie periurium, quatenus illi deest conformitas dicti cum facto, cui opponitur infidelitas. **Solvuntur obiectiones.**

*Coroll. Pract.* 1° Effectus Iuramenti promissorii libere facti est obligatio Religionis erga Deum, quae est personalis, et non transit ad haeredes iurantis: et obligatio iustitiae erga illum, cui aliquid iurato promittitur, si acceptaverit, quae est realis, et transit ad haeredes, qui rem promissam promissario dare tenentur. Ex iuramento de re indifferenti non oritur obligatio, quia talis foret otiosa actio, adeoque mala (§ 438. Schol. 2.). Si vero actio in specie indifferens ordinetur ad finem honestum, oritur obligatio, quia induit honestatem alicuius virtutis. 2° Si iuramento promissorio desit animus implendi, peccatur graviter ex defectu veritatis requisitae, etsi res levis fuerit. Si promissio sit de re mala, et vana, adeoque non implenda, et tamen impleatur, quasi Deo placeret, committitur blasphemia: si impleatur, quasi ex obligatione iuramenti, est superstitio, et zelus sine scientia, quae in Confessione explicari debent. 3° Si iuramentum promissorium sit de re levi, non implendo, leviter: si de re gravi, graviter peccatur. Si tantum modica pars non impletur, non est mortale. Si quis alteri pro re turpi patranda iurato v. g. ducatum promisit, ea commissa, eum solvere debet, quod nihil mali est. Iuramentum de non petenda relaxatione iuramenti invalidum est, quia ex causa eam petere melius est, quam non petere. 4° Iuramentum gravi metu iniuste incusso extortum, v. g. a latrone ad dandam pecuniam, est validum, et obligat, utpote simpliciter voluntarium: facile tamen rescindi, et dispensari potest, etiam sine consensu eius, cui praestitum est, in poenam tum criminis, tum iniuriae illatae. 5° In quovis iuramento promissorio tacitae hae conditiones imbibuntur: si potero: salvo iure Superioris: si promissarius obligationem non remittat: si res notabiliter non mutetur: si gravissima incommoda non obstent. **Resolvuntur casus.**

**Art. 3.** *De Mendacio, et Periurio.*

Mendacium quid? § 819. Iuramento opponitur Periurium, quod cum sit Mendacium, de hoc prius agendum est. *Mendacium* igitur est locutio contra mentem, seu sermo prolatus cum intentione dicendi falsum.

Quotuplex? *Schol.* Mendacium ratione finis, aliud est *iocosum*, quod causa propriae vel alienae voluptatis dicitur: aliud est *officiosum*, quod causa propriae, vel alienae utilitatis profertur: aliud est *perniciosum*, Restrictio mentalis. quod alicui iniuste nocet. *Restrictio mentalis*, est actus mentis, quo dum loquimur, verba restringimus, aut detorquemus ad aliud quid, quam significant. Restrictiones aliae sunt *pure*, et *stricte mentales*; quae tantum sunt in mente, et per verba nullo modo manifestantur: aliae sunt *late tales*, quae aliquo modo ab audientibus ex signis externis cognosci possunt.

Periurium quid? § 820. *Periurium* est Iuramentum falsum, seu est mendacium iuramento firmatum.

Mendacium et Periurium est peccatum § 821. 1. Mendacium sive verbis sive factis, sicut et Periurium in nullo casu est licitum: *Exod.* 23. *Mendacium fugies.* Et S. Augustinus integrum librum scripsit *contra Mendacium*, occasione Christianorum, qui putabant, sibi licere, se Priscillianistas simulare, ut veros Priscillianistas detegerent. Ratio est, quia omne mendacium per se potest audientem in errorem inducere, et si mendacium liceret, nullus alteri crederet, quo modo fraudibus lata via aperiretur; et Periurium est contra reverentiam Deo debitam: ergo est illicitum.

2. Etiam non licet uti restrictione pure mentali, uti patet ex prop. 26. ab Innocentio XI. damnata. Quippe restrictiones pure mentales sunt mendacium, quia sunt locutiones contra mentem, et mendaciis laxam viam patefaciunt. Ergo non licent.

Solvuntur obiectiones. *Schol.* Dices I. Verba loquentis sumenda sunt iuxta intentionem loquentis, non vero audientis. *Resp.* Verba sumenda sunt iuxta intentionem sine dolo loquentis, ita ut intentionem eius significent. II. Verba restrictione utentis concordant eius menti; nam eius mens est dicere, quod ipsa concipit. *Resp.* Sed actu non dicit, quod concipit. III. Licet celare suam mentem, quod facit utens restrictione. *Resp.* Licet celare, sed sine mendacio.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Mendacium iocosum, et officiosum ex genere suo sunt tantum peccata venialia; perniciosum vero pro gravitate, vel levitate damni illati, mortale, vel veniale esse potest. 2° Restrictio pure mentalis iuramento stipata, est grave peccatum: si vero non sit pure mentalis, et sensus ex signo, et circumstantiis cognosci possit, urgente causa gravissima vitandae mortis, vel poenae aequivalentis; salvandi secreti Principis, aut sigilli Confessionis, ea uti licet, quia est tantum occultatio veritatis: si tamen index omnem restrictionem excluderet, non liceret ea uti. Porro de dispensatione in Iuramento, infra de Voto agemus.

## CAP. IX.

### *De Voto.*

§ 822. Sextus actus Religionis elicitus est *Votum*, quod est promissio deliberata Deo facta de meliori bono, id est, quod per se loquendo melius est, quam eius oppositum. Votum quid?

*Schol.* Votum 1. aliud est *absolutum*, aliud *conditionatum*. 2. Aliud est *solemne*, quod fit cum solemnitate, vel per susceptionem S. Ordinis, vel per Religiosam Professionem: aliud est *simplex*, quod fit sine his solemnitatibus. 3. Aliud est *reale*, quando v. g. pecunia, vel alia res pretio aestimabilis Deo promittitur: aliud est *personale*, quando actio humana, vel eius omissio Deo promittitur, v. g. ieiunium, abstinentia a lusu: aliud est *mixtum*, quando res, et actio promittuntur, uti peregrinatio cum oblatione calicis. Quotuplex?

§ 823. Votum est actus Religionis; et statui Legis Evangelicae conveniens: nam promissio et testificatio nostrae observantiae erga Deum est actus Religionis (§ 777.). Sed Votum est talis promissio etc. (§ 822.). Ergo est actus Religionis; et consequenter etiam statui Legis Evangelicae conveniens. Votum est actus Religionis

### Art. 1. *De requisitis ad Votum.*

§ 824. Ad Votum requiritur, 1. Deliberatio (§ 822.). 2. Promissio inducens obligationem, ut differat a proposito. 3. Ut Deo fiat, quia est actus Religionis, et Latriae (§ 823.). Requisita ad Votum

*Coroll. Pract.* 1° Nullum est Votum, quod fit sine animo promittendi, se obligandi, et cum ignorantia invincibili obligationis. Ea vero deliberatio ad Votum sufficit, quae sufficit ad peccatum mortale, ut nimirum quis sciat obligationem Voti, et advertenter iudicet, materiam esse Voto competentem, et Deum honorare velit. Unde Vota ebrii, dormientis, et amentis nulla sunt. 2° Si quis ex metu auferente usum rationis ad vovendum coactus fuerit, iure naturae Votum est irritum. Metus vero ab intrinseco, et causa naturali ortus Votum non invalidat, quia est voluntarium. Metus ab extrinseco incussus, v. g. a latrone, non tamen ad extorquendum Votum, illud non invalidat, quia sponte, ut medium evadendi, eligitur: si vero metus iniuste et directe incussus sit ad extorquendum Votum, est quidem iure naturae, et Divino validum, sed a iure Ecclesiastico Vota religiosa, imo etiam iuxta P. Sanchez omnia Vota irritantur. 3° Non valet Votum indirecte tantum in causa volitum, nisi quis ante positam causam in obligationem consenserit. De Votis dubiis dictum est (§ 443. Coroll.). 4° Vovens B. V. Mariae, vel Sanctis, censetur implicite vovere Deo coram Sanctis, et in honorem Sanctorum: quo modo communiter censentur rudes vovere, nisi vellent expresse vovere Sancto, nil cogitando de Deo; quod Votum non esset proprie dictum, obligaret tamen, et ab Episcopo dispensari posset. Resolvuntur casus.

Materia Voti. § 825. Ad materiam voti requiritur, 1. Ut sit voventi possibilis. 2. Ut sit moraliter bona vel in se, vel ex fine voventis, vel ex circumstantiis 3. Ut sit de meliori bono (§ 822.), quia Deo magis placet maius bonum, quam minus, qui proinde minus non acceptat, ne homo se obliget ad omittendum maius bonum.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Invalidum est votum de facto alieno, sed solummodo eatenus valet, quatenus obligat ad illud procurandum: sic parentes, voventes filios suos certo Ordini Religioso, tenentur persuadere illis, ut eum ingrediantur: filii autem hoc Voto non tenentur, nisi illud adepto usu rationis ratificent. Invalidum etiam est Votum de re physice, vel moraliter impossibili, v. g. vitandi omnia venialia, ad quod specialissima gratia requiritur. Valet tamen Votum vitandi venialia plene deliberata, vel venialia in certa specie, v. g. non mentiendi. 2° Materia Voti sunt omnes actus positive boni, virtutes, consilia Evangelica, praecepta. Res vero indifferentes in specie non sunt materia Voti, et eas vovens peccans, peccat venialiter. Vovens vero rem mortaliter, vel venialiter malam, vel propter finem malum, graviter peccat ob gravem irreverentiam, et Votum non obligat. 3° Melius bonum, quod est materia Voti, debet sumi comparative ad oppositum: unde quia melius est servare consilia Evangelica, quam non servare, non valent Vota illis opposita, de non ingredienda Religione, de ineundo Matrimonio etiam cum paupere sub titulo pietatis: valet tamen hoc Votum conditionatum, si matrimonium inire voluero, contraham cum hac paupere. 4° Invalidum est Votum, si ignorantia, vel error etiam culpabilis circa substantiam, circumstantias magni momenti et causam finalem Voti subsit, quia deest voluntarium, et his cognitis, Votum factum non fuisset: valet vero Votum, si error sit circa mera accidentalia exigui momenti, nisi intentio primario illis alligata fuerit; vel circa causam mere impulsivam, nisi faciat Votum conditionatum.

### Art. 2. *De obligatione Voti.*

Votum obligat. § 826. Omne Votum validum obligat ex virtute Religionis ad id praestandum, quod promissum est: adeoque eius transgressio ex genere suo est peccatum mortale: *Eccl.* 5. *Quodcumque voveris, redde, multoque melius est non vovere, quam post Votum, promissa non reddere.* Ratio est: Omnis promissio iure naturae obligat (§ 698.). Sed Votum est promissio (§ 822.). Ergo obligat.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Votum obligat secundum intentionem voventis, quia est lex privata sibi imposita. Excipiuntur Vota solemnia, quae in materia gravi graviter, in levi leviter obligant. In reliquis vovens se obligare potest sub veniali, etiam in materia gravi, vel sub sola poena: ad levem vero materiam nequit se obligare graviter, quia Deus ob periculum animae hoc non acceptat. Si de intentione voventis non constet, Votum in materia gravi, a lege Divina vel Ecclesiastica sub peccato gravi praecipi solita, graviter, in levi leviter obligat; si nec

ex intentione, nec verbis, nec materia dubium solvi possit, vovens minus eligere potest, quia libertas est in possessione, quod tamen alii probabilius negant. 2° Si vovens certum tempus non designavit, debet implere Votum, quamprimum moraliter loquendo sine notabili incommodo implere potest: si sit spes, ut utilius, et devotius impleat, differre potest. Si certo diei impletio Voti praecise alligetur, eo die impleri debet; non implendo peccatur, et obligatio postea implendi extinguitur: si autem non sit affixa certo diei praecise ob specialem rationem, obligatio cum die non expirat, licet peccetur, quia virtualiter sunt duo Vota, faciendi, et non differendi; unde postea adhuc impleri debet: dilatio tamen executionis Voti non excedit veniale, nisi sit periculum non implendi. Si Voto nullus terminus praefigatur, censetur esse perpetuum. 3° Qui vovit singulis diebus anni ieiunare, non tenetur diebus Dominicis, et in Festo Nativitatis Domini, nec quando ob senii infirmitates excusatur, nisi expresse aliter intenderit. 4° Si una pars Voti fiat impossibilis, debet servari altera, quando partes Voti divisim sine dependentia unius ab alia promissae sunt: si vero per modum unius ob naturalem connexionem sunt promissae, quando una pars fit impossibilis, cessat obligatio quoad alteram, ob praesumptam voluntatem voventis. Cessante principali in Voto, cessat accessorium, nisi aliter vovens intenderit; non vero vicissim. Vovens peregrinationem praecise, eques, vel pedes, vel aliorum negotiorum causa iter faciens, eam implere potest. 5° *Votum poenale*, vel tantum ad poenam obligare potest ex intentione voventis, vel ad rem, et poenam simul: et quando quis excusatur a Voto, excusatur etiam a poena, ad quam, si sit gravis, non tenetur, si leviter solum contra Votum peccet, ex defectu intentionis se obligandi: imo si poena gravissima fuerit, quae iterari non solet, censetur vovens solum prima vice se ad eam obligasse; secus, si sit moderata, quam toties subire debet, quoties peccat. Qui vovet absolute non ludere, non cogitando de lusu non moderato, vel moderato, non tenetur a moderato abstinere, nisi hoc expresse vovisset. 6° *Votum conditionale* non obligat, nisi conditione impleta, quae conditio si pendeat ab arbitrio voventis, sine peccato, nisi sit praecepta, ab illo omitti, et non poni potest: si alterius arbitrio sit commissa, adhuc impediri potest, modo fraus, vis, metus non interveniat, quia aliquis non vovit, ne conditionem licitis mediis impediat. Si conditio dependet a voluntate voventis, debet expectari, donec probabiliter sit futura. Vota hominibus rudibus non facile suadeantur, nec ab iis fiant sine consilio viri prudentis.

ART. 3. *De causis tollentibus obligationem Voti.*

§ 827. Obligatio Voti tollitur 1° per *notabilem mutationem materiae:* si enim haec ab initio occurrisset, Votum factum non fuisset; adeoque rationabiliter praesumi potest, quod ad eam intentio voventis se non extenderit. **Obligatio voti tollitur per mutationem materiae.**

*Coroll. Pract.* 1. Si materia fiat impossibilis, illicita, indifferens, **Resolvuntur casus.**

et maioris boni impeditiva, obligatio Voti tollitur. Si maior difficultas non oriatur ex ipsa re, sed ex malitia voventis, obligatio Voti non cessat, quia vovens eam tollere potest. Si vero ex propria culpa materia Voti facta est impossibilis omnino, vel inutilis, obligatio Voti cessat, et sufficit, de culpa dolere. 2° Obligatio Voti cessat per cessationem finis et motivi principalis.

Per Irritationem. § 828. Obligatio Voti tollitur 2° per *Irritationem*, quae est annullatio Voti facta proprio nomine ab eo, a cuius potestate dominativa dependet vel voluntas voventis, vel res, de qua fit Votum: si enim vel persona vovens, vel res devota alteri subiecta sit, non potest sine domini consensu firmiter obligari; adeoque eiusmodi Vota includunt hanc conditionem, si dominus meus consentiat. Ergo illo non consentiente, obligatio voti tollitur.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Maritus potest irritare Vota uxoris iuri coniugali, educationi prolium, et gubernationi domus praeiudiciosa, quia in his uxor viro est subiecta; non vero in aliis, v. g. moderata eleemosyna de bonis propriis, ieiunio, oratione, etc. licet, si maritus etiam haec iniquius ferat, Vota illa, utpote maioris boni, seu pacis impeditiva, obligare desinant. 2° Uxor Vota mariti iuri matrimoniali praeiudiciosa irritare potest; personalia quidem, quae iuri suo derogant, v. g. longas peregrinationes, excepta peregrinatione Ierosolymitana in subsidium Terrae Sanctae: realia vero, si cedant in detrimentum dotis. Vota tamen haec irritata vel potius suspensa reviviscunt, quando desinunt alteri praeiudicare. Votum non petendi debitum alter coniux irritare nequit; non enim tenetur quis petere debitum, sed reddere: subinde tamen ad vitandas discordias Votum hoc non obligat. Si coniuges mutuo consensu castitatem voverint, mutuo consensu Votum relaxare non possunt; sicuti nec si unus licentiam alteri absolute ad hoc dederit, quia cesserunt iuri suo, nisi forte una pars reservando sibi ius suum hoc solum permisisset. 3° Pater, Tutor, Curator potest directe irritare omnia Vota personalia et realia etiam reservata, et in favorem tertii emissa a prolibus ante pubertatem; post pubertatem vero sola Vota realia irritari possunt, quia tunc proles quoad personam est sui iuris. 4° Dominus indirecte tantum illa Vota servi, et ancillae irritare potest, quae servitium sibi debitum impediunt; quae tamen finita servitute denuo obligant. 5° Superiores Regulares possunt directe irritare Vota suorum Religiosorum, exceptis votis substantialibus, et voto transeundi ad Religionem strictiorem. 6° Irritatio voti sine iusta causa valida est, sed illicita, quia quis iure suo abutitur.

Per Dispensationem. § 829. Obligatio voti tollitur 3° per *Dispensationem*, quae est totalis relaxatio obligationis ex Voto contractae, facta ex iusta causa nomine Dei ab eo, qui in voventem habet iurisdictionem spiritualem.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Ad validam dispensationem requiritur iusta causa, v. g. imperfecta deliberatio, turbatio, metus, dolus, error in vovendo occurrens. Item damnum spirituale vel corporale, maxima dif-

ficultas in implendo voto, et maius bonum ex dispensatione oriturum: si de iustitia causae dubitetur, dispensationi coniungenda est commutatio Voti; et si quis bona fide, putans causam esse iustam, dispensarit, quam postea insufficientem esse cognoscit, praesumere potest, Deum infinite bonum dispensationem acceptare. 2° Ad dispensationem requiritur potestas ordinaria, vel delegata. Ordinariam habet Papa in tota Ecclesia: Episcopus in sua dioecesi, exceptis votis Papae reservatis: Praelati Ordinum exemptorum cum suis Regularibus etiam Novitiis circa Vota in Saeculo, vel Novitiatu facta: Superiores locales respectu suorum Religiosorum, qui omnes etiam secum ipsis dispensare possunt, dando iurisdictionem suo Confessario. Delegatam habent, quibus ab Ordinariis concessa fuit. 3° Vota Papae reservata, sunt: 1. Votum castitatis perpetuae, et integrae: non vero Votum castitatis ad tempus, nec Votum non nubendi, nec Votum non petendi debitum, nec Votum non fornicandi, quia non sunt Vota castitatis perfectae, et integrae. 2. Votum ingrediendi Ordinem Religiosum ab Ecclesia approbatum: non vero Votum ingrediendi strictiorem Ordinem, quod ab Episcopo relaxari potest, ut quis minus strictum ingrediatur: nec reservatur votum poenale, alternativum, et metu iniusto etiam levi extortum. 3. Votum peregrinandi Ierosolymam ad S. Sepulchrum. 4. Peregrinandi Romam ad limina SS. Apostolorum Petri et Pauli. 5. Peregrinandi Compostellam ad S. Iacobum: scilicet devotionis causa. 4° In votis Papae reservatis Episcopus dispensare potest, si urgeat necessitas, et difficilis sit Romam accessus. 5° Dispensatio Romae petitur a S. Poenitentiaria, et litterae dispensationis ad Oratorem mittuntur, qui clausas debet tradere Confessario, cui inscribuntur, qui debet esse Doctor Theologiae, et causas dispensationis discutere, an subsistant, et opera ibi praescripta Oratori intimare: deinde excepta eius Sacramentali Confessione, et Absolutione data, subiungat: Item auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata tibi Votum N. quod emisisti, in opera pietatis, quae tibi praescripsi, dispensando commuto, in nomine P. et F. et S. S. Deinde litterae comburi debent, ne serviant pro foro externo. Vid. *Theol. mor.* R. P. Voit.

§ 830. Obligatio Voti tollitur 4° per *Commutationem*, quae est substitutio alterius operis honesti in locum illius, quod promissum est, sub eadem obligatione. **Per Commutationem.**

*Coroll. Pract.* 1° Commutatio Voti est triplex: 1. Operis promissi *in melius*, quae potest fieri sine alia causa ab ipso vovente; exceptis Votis reservatis, quae nonnisi in ingressum Religionis mutari possunt, et exceptis iis, quae cedunt in praeiudicium tertii, qui per acceptationem ius in promissum acquisivit. 2° Commutatio fit in *opus aequale*, quae probabilius ab ipso vovente fieri nequit, quia est actus iurisdictionis Ecclesiasticae. 3° Commutatio fit in *opus minus bonum*: ad quam requiritur tum rationabilis causa, tum legitima potestas in commutante, ordinaria, vel delegata. Si opus sit notabiliter minus, **Resolvuntur casus.**

intervenit in commutatione dispensatio. 4° Qui possunt dispensare, possunt etiam commutare, sed non e contra: unde qui potest commutare, non autem dispensare, debet commutare in aequale; quae aequalitas moraliter accipi debet secundum prudens iudicium, nec parvus defectus pro culpa reputandus est. Commutatio tamen fieri potest extra Confessionem, iuxta P. La Croix, quia nullibi in Confessione facienda praescribitur. Hucusque dicta de Voto valent etiam de iuramento.

## CAP. X.

### *De Statu Religioso.*

Status Religiosus quid? § 831. Inter reliqua vota praecipua sunt tria Vota solemnia Religiosa, de quibus nunc agendum est. Igitur *Status Religiosus*, est fidelium ad Christianae Charitatis perfectionem tendentium, editis Votis perpetuae Paupertatis, Castitatis et Obedientiae, stabilis in communi vivendi modus ab Ecclesia approbatus.

Origo eius. *Schol.* 1. Nomen Religiosi derivatur a Religione, et significat Dei cultorem: strictius sumptum appropriatur illis, qui abdicatis rebus omnibus Divino cultui se totos mancipant, et antonomastice *Religiosi*, Graece *Therapeutae*, id est Dei cultores, et *Ascetae* vocantur. Nomen vero *Monachi*, solitarium significat; vere enim solus est, qui relinquit scipsum, et caetera, ut soli Deo vacet. Nomina ergo Religiosi et Monachi sunt synonima, et promiscue a Veteribus usurpantur: usu tamen, et consuetudine nunc Monachi nomen iis tribuimus, qui a frequentia hominum separati vitam solitariam ducunt, uti Benedictini, Cistercienses, Carthusiani etc. Religiosos vero vocamus, qui in populo versantur, et Pastorum sunt adiutores in concionibus, et Sacramentorum administratione, uti Mendicantes, Canonici Regulares: a Regula autem, sub qua vivunt, tam Monachi, quam Religiosi vocantur *Regulares*. Prima Monasticae vitae incunabula in Oriente saeculo 3° statuit D. Calmet *Com. in Reg. S. Ben.* ubi S. Nicon habitum Monasticum de manu Theodori Ciziceni Episcopi suscepit. Circa an. 200. S. Paulus eremum petiit, et circa an. 270. S. Antonius Monasticae vitae fundamenta posuit, quem sub initium saeculi 4ᵘ S. Hilarion secutus fuit, et inter annum 340. et 350. S. Pachomius Monasterium Tabannense fundavit. In Occidente circa medium saeculi 4ᵘ innotuit institutum vitae Monasticae occasione S. Athanasii Romae commorantis, et ad illud plures permoventis. Hoc S. Eusebius Vercellensis an. 350. in Cathedralem suam Ecclesiam introduxit, quem deinde alii in extruendis Monasteriis sunt secuti. Primis illis saeculis Monachi nullam certam Regulam profitebantur, sed quidquid ad eorum profectum necessarium erat, a Superioribus ordinabatur, et illis pro Regula erat. Hinc veterum Patrum Regulae fuerunt tantum institutiones privatae, et ipsa Regula S. Augustini ad unius Parthenonis, cui soror sua praefuit, institutionem, extempo-

ranea scriptio fuit. Ideo antiquae Regulae passim mutatae, et plures subinde in uno Monasterio observatae fuerunt. Verum S. Benedictus vagam illam Regularum observantiam, et mutandi licentiam prudenter correxit, dum formulae Professionis observationem S. Regulae suae inseruit, a qua recedere non liceret. Cum ergo antiquae Monachorum Regulae a voluntate Superiorum dependerent, mirum non est, si in iis nec Papae, nec Episcoporum confirmatio habeatur, quam modo Innocentius III. *c. fin. de Rel. dom.* exhibuit. Illud etiam notandum, quod nulla olim usque ad saeculum 11$^{um}$ Religiosorum Ordinum diversitas fuerit, ubi modo ob vestium, et Regularum diversitatem maior Monachorum distinctio facta fuit. Denique saeculo 12° Auctore S. Francisco Seraphico Ordines Mendicantium inceperunt.

*Schol.* 2. Status Praelatorum Ecclesiae est perfectior Statu Religiosorum, et maior sanctitatis perfectio requiritur in Praelatis, Episcopis et Parochis, quam in Religiosis. Nam *Ioan.* 10. 11. lex Pastoribus imponitur, ut animam suam ponant pro ovibus, cum tamen caeteris fidelibus etiam Religiosis tantum praecipiatur, ut diligant proximum sicuti semetipsos. 2. Ita tenent PP. S. Chrysostomus *l.* 6. *de Sacerdot.* ait: *Si talem mihi aliquem adducas Monachum, qualis, ut secundum exaggerationem dicam, Elias fuit, non tamen illi comparandus est, qui traditus populis, et multorum ferre peccata compulsus, immobilis perseverat et fortis.* Et S. Augustinus *ep.* 60. scribit, nonnisi probatiores inter Monachos in Clerum solere assumi, cum aliquando etiam bonus Monachus vix bonum Clericum faciat. 3. Ratio est ex S. Thoma 2. 2. *q.* 187. *a.* 7. quia nobilius et perfectius est, dare, quam accipere, agere, quam pati, quia actus est ultima rei perfectio: sed Monachorum status est ad accipienda Divina, Praelati vero se habent, ut Monachorum perfectiores: ergo horum status est perfectior. Non obstat I. quod Religiosi, non vero Praelati observent illud *Matth.* 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quae habes.* Et quod vita contemplativa Monachorum praeferatur vitae activae Praelatorum, *Luc.* 10. *Maria optimam partem elegit. Resp.* In abdicatione actuali rerum temporalium perfectio essentialiter non consistit, sed illa est tantum instrumentum, non quidem absolute necessarium, sed valde idoneum ad acquirendam perfectionem: abdicatio vero temporalium in praeparatione animi, ita ut quis paratus sit, omnia dimittere, si opus fuerit, essentialiter spectat ad perfectionem, quam etiam Praelati habere debent. Deinde officium Pastorale pertinet ad vitam activam simul et contemplativam, non vero ad activam tantum, quae utique non est melior vita contemplativa. II. Si Praelati in Saeculo inter honores, et opes viventes essent Monachis sub arcta disciplina degentibus meliores et perfectiores, Monachi merito cum Psalmista gemere possent, *Psalm.* 72. *Ergo sine causa iustificavi cor meum... et castigatio mea in matutinis. Resp.* Non dicimus, Praelatos omnes esse Monachis actu perfectiores, cum multi Monachi eos sanctitate superent; sed tantum dicimus, statum Praelatorum maiorem sancti-

Status Praelatorum perfectior est statu Religioso

tatem exigere, quam statum Monachorum. III. Perfectius est Deum diligere, quam proximum: sed status Monachorum tendit ad dilectionem proximi: ergo est perfectior. *Resp.* Status Praelatorum tendit ad dilectionem proximi ex ferventiori charitate in Deum.

### Art. 1. *De Votis Monasticis.*

Vota Monastica sunt licita.

§ 832. Vota Monastica sunt licita, et statui Legis Evangelicae convenientia. Nam 1° *Marci* 10. *v.* 29. Christus laudat eos, qui propter cum patrem et matrem, domus et agros reliquerunt. Et *Matth.* 19. vult, ut dives omnia bona vendat, et det pauperibus. Et 1. *ad Cor.* 7. Apostolus Virginitatis, et castitatis votum commendat. Et 1. *ad Tim.* 5. illud non servantibus dicit: *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Obedientiam vero passim S. Scriptura commendat. Ergo sunt de meliori bono, adeoque Vota de iis facta sunt licita (§§ 822. 823.). 2° Haec Vota ab ipsa Religiosorum institutione semper approbata, et laudata fuerunt. Ex veteribus S. Augustinum *in Ps.* audivisse sufficiat: *Sunt etiam vota propria singulorum: alius vovet Deo castitatem . . . alius vovet relinquere omnia distribuenda pauperibus, et ire in communem vitam, in societatem Sanctorum: magnum votum vovet.* 3° Ratio est: per tria Vota Religiosa tolluntur praecipua impedimenta Christianae perfectionis: per Votum Castitatis, voluptas carnalis: per Votum Paupertatis, cupiditas habendi; et per Votum Obedientiae, superbia; quae sunt omnium vitiorum radices. Ergo haec Vota tamquam de meliori bono sunt licita, et valida, et consequenter etiam obligant (§ 826.).

Solvuntur obiectiones.

*Schol.* Lutherus et Calvinus reiiciunt Vota Monastica, et docent, ea nullam obligationem inducere. I. Vota Monastica supponunt, nos per professionem Evangelii non esse perfectissime Deo obstrictos: et Apostolus *ad Col.* 2. reiicit omnem cultum a Deo non praescriptum, et praecipue Vota Monachorum, quae sunt rationem habentia sapientiae in superstitione, et humilitate (hoc est sui deiectione), et non ad parcendum corpori, cui per fictas austeritates subrahuntur necessaria ad victum, et vestitum. Et 1. *ad Cor.* 7. ita ad Virginitatem hortatur, ut nolit aliquem obligare. *Resp.* Praeter praecepta dantur etiam consilia Evangelica, ut perfectius praecepta impleantur: ad haec Votis se obstringere bonum est, ne fragilitas nostra labatur. Vota ergo Monastica fundamentum suum habent in S. Scriptura, et Evangelio. In Epistola vero *ad Col.* S. Paulus refutat haereticos Simonianos, qui Angelos Christo praeferebant, et docebant, per eos accessum ad Deum patere, et ideo ad illos confugiendum esse: sicque novam Religionem commenti, a vino, carne, et venere abstinendum esse dicebant: ita S. Clemens *l.* 5. *strom.* Virginitas ante emissum Votum est tantum consilium, sed Voto emisso, ceu lege privata sibi ipsi imposita obligat. II. Admissis Votis Monasticis, non servatur Evangelium eo modo, quo servari debet; per Vota enim consilia Evangelica fiunt

praecepta, cnm tamen Christus ad consulendnm melius saluti nostrae voluerit, nt consilia remanerent. Certe omne opus vel honnm est, adeoque praeceptum; vel malum, adeoque prohibitum. Ergo voveri nequit. *Resp.* Evangelium non prohibet, ut consilia ad maiorem salutis nostrae securitatem voveamus, quo modo voventibos solnm ex lege privata sibi imposita fiunt praecepta, et respectu Evangelii non praecipientis, ut voveantnr, sed hoc libero nostro arbitrio relinquentis, consilia manent. Praeter bonum datur maius bonum, quod non praecipitur, sed tantum consnlitur, quod voveri potest; imo etiam praecepta voveri possunt. III. Panpertas media subtrahit, pauperibns snbveniendi: Castitas in incontinentibus mala est: Obedientia a melioribus officiis retrahit: Solitudo ad officia reipublicae, et animarum saluti praestanda ineptum hominem reddit. Ergo Vota Monastica non valent. *Resp.* Per divites in mundo satis adhuc pauperibus provideri potest; et nonne Religiosus omnibus suis bonis renuntians, sat amplam eleemosynam vel pauperibus, vel Monasterio pro alendis Christi pauperibus erogat? Castitatis votum infirmi emittere non deberent; quod si emiserint, utantur mediis praeseriptis, et votum servabunt. Obedientia ad meliora etiam hominem promptum reddit: et vita Claustralis ad officia sacra reipnblicae, et saluti animarum praestanda optime disponit. Qnot Pontifices, Episcopos et Apostolos Ecclesiae Status Religiosns dedit? Ubinam Divina celebrantnr ferventius, conciones fiunt, Confessiones excipiuntur, studia sacra floreut, quam apnd Religiosos? qui ad omnia officia paratos se sistunt, si a Superioribus vocati fuerint. Reliqui domi in Monasterio pro publicis necessitatibus orant, Divina in Choro celebrant, gemunt pro peccatoribus, student, se humiliant, laborant in opere sibi iniuncto. Qnomodo ergo D. Schubert dicere audet, Religiosos sibi solis, et non aliis aeternam gloriam promereri posse, et violare officia sibi, reipnblicae, et proximo debita, quae sane a nullo melius, quam a Religiosis expleri possunt?

### Art. 2. *De requisitis ad Statum Religiosum.*

**§ 833. Ad Statnm Religiosnm hae conditiones requiruntur. 1° Tria Vota snbstantialia Panpertatis, Castitatis et Obedientiae. 2° Ut per haec Vota vovens constituatur sub alterius, scilicet Religionis, potestate; et ut Religio hanc traditionem acceptet, quia status firmus esse debet, ad quod mutua inter Religionem et Religiosum obligatio esse debet. 3° Ut haec vota fiant in Religione ab Ecclesia approbata: *c. Ne nimia, de Rel. dom.*** Requisita ad Statum Religiosum

***Coroll. Pract.* 1° Ad essentiam Status Religiosi requiritnr, ut Vota sint solemnia. 2° Qni in ordinibus militaribus castitatem coniugalem tantum vovent, vel qni editis Votis Paupertatis, et Castitatis Obedientiam Episcopo vel confessario praestandam vovent, non snnt Religiosi.** Resolvuntur casus

**§ 834. Ante Professionem praemitti debet annus integer Novitiatus. Ita Tridentinum *Sess. 25. de Regul. c. 15. et 16.*** Novitiatus requiritur

Resolvuntur casus, maxime de voto ingrediendi Religionem.

*Coroll. Pract.* 1° Decens est, ut liberi consilium parentum pro ingressu Religionis exquirant: quem si parentes malitiose impediant, iis invitis eam ingredi possunt, *c. Cum virum*, *de Regul.* quia quoad statum sunt sui iuris. In necessitate vero extrema vel gravi parentibus subvenire, et ingressum differre debent, nisi manifesto peccandi periculo in Saeculo se exponerent; tunc enim amor propriae salutis praeponderat. 2° Vovens ingredi Religionem determinatam, si non recipiatur, non obligatur ad aliam, si indeterminatam voverit, et post supplicationem ad 5. vel 6. Monasteria admissus non fuerit, extra regionem suam pro admissione confugere non debet. Item vovens Religionem strictiorem peccat, ingrediendo laxiorem, licet Professio sit valida, *c. Qui*, *de Regul. in* 6. et liberatur a Voto, quia Religio laxior ius in eum acquisivit. 3° Non satisfacit Voto, qui ingreditur Religionem, et statim egreditur, sed experiri debet, an possit manere: si vero deinde ex iusta causa egrediatur, satisfecit Voto, nisi forte ex culpa sua dimissus fuerit. 4° Novitii Regula Ordinis sui sub culpa non obligantur; debent tamen obedire Praepositis suis: gaudent privilegio fori, et Canonis: excommunicari possunt a Superiore, et nonnulla eorum peccata Praelatus reservare potest. Renuntiare bonis suis Novitius nequit, nisi duobus ultimis mensibus, Vide *Inst. I. E. tom.* 2. § 293. *et seqq.*

Requisita ad Professionem.

§ 835. Ad Professionem validam requiritur, 1. Capacitas personae voventis. 2. Consensus et acceptatio Religionis, et eius, ad quem spectat. 3. Ut Professio fiat sponte, gravi metu non cogente. Ita Ius Canonicum *de Regul.*

Resolvuntur casus.

*Coroll. Pract.* 1° Ad validam Professionem requiritur, ut quis anno integro completo in Novitiatu steterit, et annum 16. aetatis compleverit, nec ullum impedimentum ab Ordine arcens habeat. 2° Metus gravis, et iniustus ipso iure infirmat Professionem, ita ut nulla oriatur obligatio, *c. ult. Qui Clerici*. Item Professus intra quinquennium reclamare potest; postea vero non amplius auditur. Quod si Professio ipso iure irrita fuerit, subsequente tamen expressa vel tacita ratificatione convalescit. Vide *Inst. I. E. tom.* 1. § 297. *et seqq.*

**Art. 3.** ***De Obligatione Religiosorum tendendi ad perfectionem.***

Religiosus tenetur tendere ad perfectionem.

§ 836. Quilibet Religiosus vi Professionis suae sub peccato mortali tenetur tendere ad perfectionem: quippe Status Religiosus est status perfectionis acquirendae ex natura sua (§ 831.). Ergo Religiosus vi illius tenetur tendere ad perfectionem.

Resolvuntur casus.

*Coroll. Pract.* 1° Religiosus non tenetur tendere ad perfectionem per omnia opera consiliorum, et supererogatoria, sed tantum per illa, quae sunt secundum Regulam, et observantiam suae Religionis, quia ad aliam perfectionem se non obligavit: unde haec obligatio non est distincta ab obligatione servandi Vota, et observantias regulares suae Religionis, sed in ea imbibita; ideoque non committit duplex pecca-

tum Religiosus in Confessione detegendum, qui contra Votum et hoc praeceptum delinquit, quia obligatio una est. 2° Religiosus peccat mortaliter contra obligationem tendendi ad perfectionem, si consilia et media sui status ad perfectionem conducentia ex contemptu, vel animo nolendi se legibus suae Religionis subiicere, vel quia illa inutilia reputat, omittit; non vero si omittat subinde, vel quia videt, ea non esse absolute necessaria ad salutem, vel non graviter praecipi, vel alia passione vincitur. 3° Religiosus peccat mortaliter, quando transgreditur Regulam, vel aliam observantiam sub veniali obligantem, eo fine, ut impediat perfectionem. Item quando proponit, nullo modo curare perfectionem, vel non progredi ad perfectionem: item quando pravo suo exemplo alios inducit ad Regulae relaxationem. Non tamen erit mortale transgredi obligationes, et consuetudines Religionis in materia levi ex pravo usu, quia leviter solum a perfectione avertunt; nec est mortale aliquod praeceptum Regulae non obligans sub mortali, sine contemptu, et scandalo saepius frangere, si per observantiam reliquarum ad perfectionem tendatur. 4° Religiosus volens servare omnia in sua Religione sub mortali obligantia, omittens tamen ex prava consuetudine leviter obligantia, vel proponens ea non curare, iuxta multos graviter peccat, tum ob contemptum virtualem, tum ob praeceptum Tridentini *Sess.* 25. *c.* 1. *de Regul.* Salmanticenses quidem putant, eum non peccare graviter, quia eo ipso quod vult exequi omnia Vota, et praecepta gravia, vult ire ad perfectionem vitae, et multa consilia observare, quae licet suppositis Votis videantur esse praecepta, quia tamen libere ad ea se obligavit, absolute sunt consilia, ad quae alii Christiani non obligantur: item quia per hoc propositum leviter solum deficit quis ab obligatione tendendi ad perfectionem, cum perfectio essentialis in observatione Votorum, et aliorum sub mortali obligantium consistat. Interim tamen ordinarie talis Religiosus in dicto casu peccat mortaliter, tum ob scandalum, et relaxationem disciplinae, quam causat: tum ob manifestum periculum transgressionis Votorum, et formalis contemptus. Unde cum P. Sanchez tenendum est, moraliter esse impossibile, in proposito casu, haec abesse; adeoque talem Religiosum communiter peccare mortaliter. Vide meas *Inst. Theol. Mysticae tom.* 1. § 21. *et seqq.*

### Art. 4. *De Voto Paupertatis.*

§ 837. Ad perfectionem Religiosus potissimum tendit per tria Vota substantialia: quorum primum est *Votum Paupertatis*, sive promissio Deo facta, nihil in posterum proprium habendi: *c. Cum ad Monasterium, de statu Monach.* Votum paupertatis quid?

*Schol.* Quaeritur, an Voto Paupertatis repugnet, si Religiosus habeat peculium, seu depositum a voluntate Superioris dependens, et ad nutum revocabile. Affirmat P. Concina: sed contraria sententia negativa est probabilior. 1. Quia Religiosus nullum habet in illud dominium, asservatur plerumque in loco communi, proprietas est penes An depositum Religioso rum liceat?

Monasterium, usus eius a voluntate Superioris dependet, et ad eius nutum est revocabilis, est ad bonum Communitatis, consulitur per illud indigentiae Religiosorum a Monasterio alias sublevandae, et ad solos honestos usus permittitur. Ergo Voto Paupertatis non repugnat. Certe Tridentinum, quando *Sess.* 25. *c.* 2. statuit: *Nemini licere bona tamquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere, vel tenere; sed statim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur;* solum loquitur de usu irrevocabiliter concesso, et solum confirmat ius antiquum, secundum quod solum erat prohibitum peculium ex levi causa concessum vel indifferenter, et generaliter ad omnes usus, vel quod ad nutum Superioris non erat revocabile. Sane Benedictus XIV. in opere *de Canoniz.* probat, hoc depositum, quando in aliquo Monasterio est in usu, non officere Servo Dei ad obtinendam eius Beatificationem.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Religiosus nequit habere proprium nec in bonis mobilibus, nec immobilibus, ita ut de illis libere disponere possit: retinet tamen dominium famae et honoris, et suorum manuscriptorum, et capax est iuris eligendi, praesentandi, et Beneficiorum Regularium. 2° Religiosus peccat contra Votum Paupertatis, si rem aliquam domi vel foris, etiam quae ad victum, et vestitum spectat, sine consensu Superioris expresso, tacito, vel praesumpto accipiat, retineat, occultet, absumat, permutet, vel alteri donet. Sufficit vero consensus tacitus Praelati, si sciat, subditum aliquid accipere etc. et non prohibeat. Unde si in aliqua Religione vigeat consuetudo aliquid recipiendi vel expendendi, non petita licentia Superioris, excusari potest in rebus levibus Religiosus per tacitam licentiam. Item si Superior subdito donet, vel ab aliis donata permittat Rosaria etc. quibus scit, eum non indigere, spectata eorum natura, dat tacite licentiam, ea pro more aliis donandi. Consensus praesumptus sufficit, quando quis ob iustam causam sibi persuadet, si Praelatus sciret, se talem rem accipere, cum contentum fore. Licet vero subinde Praelatus sit invitus, quod clam eo quid accipiatur, et absumatur, si tamen non sit invitus quoad rem ipsam, quam rogatus facile concederet, peccatur quidem venialiter, sed non contra Votum Paupertatis. 3° Religiosus peccat contra Paupertatem, si comestibilia sine licentia Superioris accipiat et absumat; imo si quid clam e rebus Monasterii accipiat, furtum committit, ad quod tamen maior quantitas requiritur, quia non dominium, sed solum usum sibi vindicat. Eodem modo est contra Paupertatem usum alicuius rei, v. g. libri, sine licentia Superioris sibi arrogare, vel alteri concedere, aut commodare, ubi tamen parvitas materiae ex tempore usus aestimanda saepe a mortali excusat. In depositum vero rem alienam accipere, non repugnat quidem Paupertati; est tamen contra eius perfectionem. 4° Permutare res magni momenti sine licentia Praelati, tamquam actus dominii, est peccatum mortale, nisi forte Praelatus quoad solum modum sit invitus. Item peccatum est, pecuniam ad certum usum concessam

in alium convertere, res ad usum concessas per negligentiam destruere, donata ab aliis sine licentia retinere, ea abscondere, ne Superior libere illa auferre, vel si ab eo acceperit, revocare possit; quia haec omnia sunt actus dominii Religioso prohibiti. 5° Peccant OEconomi Religiosi, si rem aliquam domestico vel extraneo contra Regulam et voluntatem Praelati largiautur. Ipsi etiam Praelati peccant, si bona Monasterii contra Regulam, et consuetudinem expendant; et donatio, vel alienatio est irrita, ac restitutioni obnoxia, quia non sunt domini, sed tantum administratores. Materia vero gravis contra Votum Paupertatis est determinanda, sicuti in furto, iuxta P. Layman. 6° Regulari Beneficium Ecclesiasticum legitime obtinenti competit administratio reddituum, quos ad sui decentem sustentationem et pias causas applicare potest: residuum ad Ecclesiam, cui deservit, spectat. Regularis extra Monasterium in peregrinatione, vel Universitate degens licentiam habet, pecuniam in sui sustentationem et moderatas eleemosynas expendendi. 7° Licet Praelatus concedere possit, ut ex rebus Monasterii vel largitione parentum Religioso pro victu, et vestitu annui redditus, a Praelato tamen revocabiles, assignari possint; hoc tamen sine gravissima causa, iuxta Tridentinum *Sess.* 25. *c.* 2. practicandum non est: et melius semper est, si pecunia Religioso ad honestos usus concessa apud priorem deponatur. 8° Praelatus non potest concedere, ut Religiosus bona sibi quocumque titulo obvenientia in vanos, superfluos, et pretiosos usus statum suum dedecentes expendat; sed tum Praelatus, tum subditus contra Votum Paupertatis peccant, et donatio, ac alienatio est irrita, ac restitutioni obnoxia; poenas tamen Canonicas retinens cum licentia non incurrit. 9° Religiosus non peccat contra Votum Paupertatis, si donationem pecuniae sibi factam non acceptet, quia nullum dominium sine acceptatione in eum transfertur: imo etiam donare volentem rogare potest, ut alteri suo consanguineo donet, quia sic merus est internuntius: item potest pecuniam a divite accipere, ut eam nomine divitis pauperibus distribuat, quia sic est merus eleemosynarius. Si vero rem donatam sine Superioris licentia, licet in favorem alterius acceptet, peccat contra Votum Paupertatis, quia ius pretio aestimabile, et dominium in se transfert, et post acceptationem nequit petere, ut alteri detur, vel libere pauperibus donare. 10° Praelatus Religioso usum rei irrevocabilem concedere nequit; ideoque si etiam promittat, se non revocaturum, tamen revocare potest. 11° Voluntas testatoris relinquentis Monacho haereditatem, vel legatum, ea lege, ut ad ipsum, non vero ad Monasterium spectet, ita explicari debet, uti servari potest, scilicet, ut usus cum dependentia a consensu Praelati ad Religiosum pertineat: quod si igitur Praelatus non consentiat, corruit legatum; si consentiat, dominium iuris Monasterio acquiritur. Legatum vero ita relictum, ut dominium Monacho sine dependentia a Praelato proprium sit, nullum est; plerumque tamen talis modus impossibilis pro non adiecto haberi potest, si de mente testatoris dubi-

tetur. 12° Poenae Religiosi proprietarii sunt; ut in loco sacro non sepeliatur, si impoenitens decesserit, sed in sterqnilinio una cum sua pecunia: *c. Monachi*, *de statu Mon.* Deinde ut vivus e Monasterio expellatur, vel hodie in carcerem Monasterii detrudatur: *c. Cum. ad Monasterium*, *de stat. Mon.* Deniqne ut biennio activa et passiva voce sit privatus: Trident. *Sess.* 25. *c.* 2. *de Regul.* Sed hae poenae tantum incurruntur a retinentibus proprium, non vero ab iis, qui sine Superioris licentia aliqnid alienat, vel absumunt, licet contra Votum Paupertatis peccent.

### Art. 5. *De Voto Castitatis, et Obedientiae.*

Votum Castitatis. § 838. Alterum Votum substantiale Religionis est *Votum Castitatis*, seu promissio Deo facta, abstinendi ab omni delectatione venerea interna et externa, in et extra Coningium.

*Schol.* Quomodo hoc Votum violetur, patet ex dictis (§ 650. et seq.), et dicendis infra de Matrimonio.

Votum Obedientiae. § 839. Tertium Votum est *Votum Obedientiae*, seu promissio Deo facta Superiori suo, iusta praecipienti obediendi.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Religiosus violat Votum Obedientiae, si non praestet ea, quae Superior praecipit cum volnntate sub culpa obligandi, dummodo directe, vel indirecte sint Regulae conformia: animus vero obligandi ex verbis colligitur, si addat: In virtute S. Obedientiae etc. 2° Si Regula Ordinis obliget sub peccato, eius transgressio est contra Votum Obedientiae; secus, si non obliget: ubi tamen Superior potest transgressori poenam statuere, cum obligatione eam ex Voto Obedientiae suscipiendi. Qui autem Regulam sub peccato non obligantem transgreditur, plerumque ob teporem, et pravum affectum venialiter peccat; imo mortaliter, si ob datum scandalum disciplina relaxetur. 3° Regulares Professi non tenentur acceptare novam Regulam, vel arctiorem vivendi modum, quem nec implicite nec explicite professi sunt, nisi hic esset medium necessarium ad observationem Votorum substantialium: unde Regularis cogi non potest ad amplectendam strictioris primaevae Regulae observantiam, si a tempore immemoriali non sit observata; qnia praesumitur, quod voventes Regulam observare voluerint, sicut tunc eius observatio cum approbatione Superiorum in usu erat. Si vero strictior Regulae observatio necessarium medium foret ad conservationem Ordinis, ob Vota neglecta, scandalum publicum, et studium perfectionis assequendae neglectum, alias dissolvendi; tenentur Professi reformationem acceptare, vel maxime, si a maiore parte Capituli, vel Summo Pontifice fiat.

### Art. 6. *De Indissolubilitate Status Religiosi.*

Status Religiosus est indissolubilis. § 840. Status Religiosae Professionis per se est indissolubilis: nam in Professione Religiosa intervenit mutuus contractus, quo Religiosus se Religioni tradit, et Religio traditionem acceptat, et se

mutuo obligat ad eum alendum, docendum, et gubernandum. Sed hic contractus ex neutra parte mutuo etiam consensu dissolvi potest, cum resultet novus status fixus, et permanens, scilicet status Religiosus, qui quoad essentiam suam est immutabilis (§ 851.). Ergo status Religiosae Professionis est indissolubilis.

*Schol.* Quaeritur, an Summus Pontifex in Votis substantialibus Religiosorum dispensare possit. Respondetur affirmative. Nam 1. Summi Pontifices iam dispensarunt: uti Alexander III. cum Iustiniano Veneto Benedictino: Benedictus IX. cum Casimiro Monacho Cassinensi ut pro bono regnorum nuberent. 2. Nil obstat, quin dispensare possint: nil ex parte Voti, quia etiam in aliis Votis dispensare possunt: nil ex parte solemnitatis, quia est introducta ab Ecclesia. Ergo dispensare possunt. Non obstat I. S. Thomas 2. 2. *q.* 8. *a.* 11. docens Papam posse dispensare cum Sacerdotibus in Voto Castitatis, non vero cum Religiosis. *Resp.* S. D. solum vult, quod Papa non possit dispensare cum Monacho in Voto Castitatis, ita ut simul Monachus maneat: quo sensu etiam intelligitur Innocentius III. c. *Cum ad Monasterium, de statu Monach.* ubi dicit: *Abdicatio proprietatis, sicut et custodia castitatis adeo est annexa Regulae Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.* II. Res uni tradita nequit alteri concedi: sed Religiosus per Vota Deo est traditus, et Religioni: ergo nequit per Matrimonium alteri concedi. *Resp.* Papa nomine Dei et Religionis obligationem remittere potest, III. Res semel consecrata nequit amittere consecrationem: ergo nec Religiosus. *Resp.* Res Deo consecrata si destruatur, amittit consecrationem, et eodem modo Monachus, si desinat esse Monachus.

An Papa in votis Religiosis dispensare possit?

*Coroll. Pract.* 1° Religiosus ad Episcopatum promotus non absolvitur a tribus Votis substantialibus: unde nequit de ullis bonis testari: ad eas vero observantias regulares tantum tenetur ex decentia, quae non pugnant cum statu suo, nec eum dedecent, et in vestibus saltem colorem sui Ordinis servare debet. 2° Religiosus e Religione ob culpam eiectus manet verus Religiosus, et votis adstrictus, et rerum, quas acquirit, administrationem tantum, et usum habet; dominium vero vel ad Ecclesiam dioecesanam, ubi Beneficium habet, vel si nullum habeat, ad Romanam Ecclesiam pertinet: Religiosi vero fugitivi bona ad Monasterium spectant, quia quidquid acquirit Monachus, Monasterio acquirit. Hodie eiectio e Monasterio ob plurimas inconvenientias non est in usu, sed incorrigibiles in Monasterio incarcerantur. 3° Religiosus a Religione minus stricta ad strictiorem transire potest: et Religiosus in uno Monasterio professus ob iustam causam cogi potest, ut transferat se ad aliud Monasterium eiusdem Ordinis; modo monasteria sint sub eodem Generali Ordinis; secus; si singula subsint Abbatibus suis sub Episcopo, ubi cogi nequit, quia obedientiam in hoc solum Conventu vovit. Si vero Monachus in aliud Monasterium transferatur, ibi perpetuo mansurus neque dos priori Monasterio allata, neque haereditas iam acquisita, vel ante Profes-

Resolvuntur casus

sionem in altero Monasterio Monacho accedens ad hoc secundum Monasterium, sed ad prius illud spectat. Plura de Regularibus spectantia ad Ius Canonicum vide in meis *Inst. I. E. tom. 1. toto tit. 15.*

## CAP. II.

### *De Observatione Dominicae et Festorum.*

Observatio Dominicae et Festorum. § 841. Actus Religionis elicitos primarios hactenus consideravimus: nunc ad secundarios pergimus, qui sunt media ordinata ad priorum exercitium, et sunt observatio diei Dominicae et Festorum, Primitiae, Oblationes, Decimae, Beneficiorum dotatio, et Immunitas Ecclesiastica. *Observatio diei Dominicae et Festorum* est actus Religionis, quo Diem Dominicum, vel Festum specialiter cultui Dei consecramus.

Origo Dominicae. *Schol.* 1. Observatio diei Dominicae praecipitur, *Exodi* 20. *v.* 8. *Memento, ut diem Sabbati Sanctifices.* Hoc praeceptum prout praecipit tempus aliquod impendi cultui Divino, est naturale; quatenus vero diem septimum designat, est caeremoniale, et in novo Testamento abrogatum, in quo Ecclesia mox Apostolorum tempore loco Sabbati diem Dominicum instituit, in memoriam mundi eo die creati, et a Christo recreati, qui hoc die natus est, et ab inferis resurrexit: unde *Act.* 20. legimus, fideles convenisse ad frangendum panem *una Sabbati*, id est, prima die hebdomadae, iuxta phrasim Hebraicam. Praecipua inter Dies Dominicas est *Dominica Resurrectionis*, Pascha dicta. Circa tempus celebrandi Festum Paschae controversia orta est A. C. 170. inter Anicetum Papam et S. Polycarpum Smyrnensem Episcopum discipulum S. Ioannis Evangelistae, quem S. Anicetus adducere non potuit, ut abiiceret morem Ecclesiarum Asiae, Pascha luna 14ta quacumque die occurrente cum Iudaeis celebrantium, quia sic S. Ioannes Evangelista celebraverat: vinculum tamen charitatis ruptum non fuit. Saeculo 2° sub Victore P. haec controversia magis exarsit inter hunc Papam, et Episcopos Asiae, maxime Policratem Ephesiorum Episcopum, et in variis Conciliis statutum fuit, ut Pascha die Dominica proxime sequente lunam 14tam post aequinoctium vernum celebraretur: id quod tandem Concilium Nicaenum I. definivit. Haec controversia non ad Fidem, sed disciplinam spectabat, et *Quartadecimani* non vocabantur haeretici ideo, quod Pascha luna 14ta celebrarent, sed quia contra definitionem Ecclesiae agentes praesumebantur Nazarenos sectari, qui legis observantiam cum Evangelio coniungebant: vel nomen haeretici latius pro qualibet secta ab Ecclesia quocumque modo dissidente usurpabatur.

(Margin: Celebrandi Paschatis tempus.)

Festa quis instituat? *Schol.* 2. Praeter Diem Dominicam Ecclesia rationabiliter instituit alia Festa, ad recolenda Redemptionis nostrae beneficia, vel Sanctorum merita et exempla. Instituere autem Festa pro tota Ecclesia potest Papa, et Episcopus in sua dioecesi, qui olim consensum populi ad hoc requirebat, ne nimium Festis gravaretur, quod tamen

hodie abrogatum est: Episcopus tamen sine consensu populi Festa abrogare potest. Interim Festa nova ab Episcopo instituta etiam Regulares exempti observare tenentur, iuxta Trident. *Sess.* 25. *c.* 12. *de Regul.*

*Schol.* 3. In observatione Diei Dominicae, et Festi duo sunt considerandа: primum finis, qui est cultus Divinus: alterum remotio impedimentorum a cultu Divino, qualia sunt opera servilia. Ecclesia ergo merito in Nova Lege determinavit, observationem Diei Dominicae, et Festorum fieri debere per auditionem Missae; de quo praecepto agemus inferius *de Sacrif. Missae:* et per cessationem ab operibus servilibus; de quo praecepto hic agimus. *Opera* autem *servilia* illa dicimus, quae versantur circa materiam externam, et vel mechanica, aut illiberalia sunt, vel laborem corporis tantum requirunt, et a mercenariis vel servis fieri solent. Quid Dominica, et Festo praecipiatur?

Art. 1. *De Prohibitione Operum servilium Diebus Festis, et Dominicis.*

§ 842. Omnes fideles tenentur sub peccato mortali vacare integro Die Dominico, et Festo ab omnibus operibus servilibus. Ita patet ex propositione 52. ab Innocentio XI. damnata: *Praeceptum servandi Festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.* Ratio est, quia haec obligatio ex virtute Religionis ad debitum Dei, et Sanctorum cultum est imposita. Ergo sub gravi peccato obligat. Die Dominico et Festo prohibentur opera servilia

*Coroll. Pract.* 1° Abstinendum est ab operibus servilibus Die Dominico, et Festo, toto die naturali ab ora 12ma nocturna, usque ad horam 12mam noctis sequentis: datur tamen parvitas materiae, et temporis, adeoque venialiter solum peccat, qui absente scandalo, et tumultu per duas tantum horas laborat, quia non censetur esse pars diei notabilis: ultra eas vero laborare, peccatum mortale erit. 2° Suere, fabricare, arare, metere, fodere etc. sunt opera servilia, adeoque prohibita: opera vero liberalia, uti legere, scribere, docere etc. et opera media inter servilia, et non servilia, ut iter facere pedibus, equo, curru, vel navi, iumenta sine onere ducere, non sunt prohibita: prohibetur tamen currus iumentis ducere, vel naves mercibus onustas; licet, si tale iter ante Festum inceptum fuerit, ob damnum emergens, vel publicam utilitatem in Festo continuari possit. 3° Licita sunt die Festo opera, ad quotidianum usum, necessitatem, victum, et dispositionem corporis, vestium, et domus necessaria, v. g. coquere cibos, sternere lectum, verrere conclave. Item licitum est transcribere, quod est opus Grammaticae, et pingere, vel recreationis causa, vel sine apparatu et magno labore, quod perinde ac scribere in ducendis lineis, et formandis figuris consistit, non vero colores terere. Item licet Typographis characteres ordinare, non vero chartae imprimere; imo multi Doctores probabilius etiam ordinationem characterum illicitam esse docent. 4° Saltem per consuetudinem licitum est die Festo sine strepitu et apparatione venari; et Barbi- Resolvuntur casus

tonsores barbam radere, et venam secare possunt: pessima tamen est consuetudo, quod Barbitonsores, Laniones, Pistores, et capillorum concinnatores toto matutino tempore diei Festi laborent. 5° Opus die Festo licitum, v. g. instrumento musico ludere, per hoc non fit illicitum, quod fiat lucri gratia, quia sic non fit opus servile.

Actiones iudiciales prohibentur.

§ 843. Praeter opera servilia, diebus Dominicis et Festis prohibentur actiones iudiciales, quae spectant ad decisiones causarum civilium, et criminalium, saecularium, et Ecclesiasticarum, et quae fiunt cum strepitu iudiciali: item mercatus, et negotiatio strepitosa: ex *c. 1. et ult. de Feriis*. Haec enim valde distrahunt animum, et hominem a cultu Divino avocant.

Resolvuntur casus.

*Coroll. Pract.* 1° Non licet die Festo citare reum, examinare testes, exigere iuramentum iudiciale, proferre, et exequi sententiam, quae erit irrita: in causa tamen necessitatis, et pietatis, iudicia institui possunt, quales casus sunt: causae alimentorum, carceratorum, pupillorum, viduarum, miserabilium personarum, et quae moram non patiuntur. Latro etiam de fuga suspectus potest capi die Festo, et incarcerari. Item in parvis oppidis agitari possunt causae civiles, si aliis diebus rustici convenire non possint. 2° Licet ferre Excommunicationem in aliquem die Festo, nec prohibentur actus extraiudiciales, v. g. si Advocatus die Festo iudicem informet, si arbiter, non procedens ut Iudex, arbitrium suum dicat. 3. Mercatus prohibetur die Festo: permittitur tamen distractio quarumdam rerum ad victum quotidianum necessarium. Consuetudo etiam in quibusdam locis licitas facit solemnes nundinas diebus Dominicis et Festis; quas tamen moderari oportet, et maxime, ne anto peractam rem Divinam incipiant.

### Art. 2. *De causis excusantibus ab hoc praecepto.*

Causae excusantes ab hoc praecepto.

§ 844. Causae excusantes a praecepto abstinendi ab operibus servilibus, sunt: Dispensatio Episcopi, et Parochi, quando non datur facilis accessus ad Episcopum, vel consuetudo hanc facultatem ei tribuit. 2. Consuetudo a Praelatis cognita et tolerata. 3. Pietas in Deum. 4. Charitas erga proximum. 5. Necessitas publica vel privata, propria vel aliena.

Resolvuntur casus

*Coroll. Pract.* 1° Per consuetudinem in quibusdam locis licet molere die Festo; non tamen frumenta advehere, vel farinam avehere. Item die Dominica sub vesperam tempore messis parare necessaria pro labore sequentis diei, v. g. acuere falces etc. 2° Ob pietatem in Deum licita sunt opera proxime ad cultum Dei spectantia, v. g. pulsare campanas, circumferre Imagines, Cruces et vexilla in Supplicatione: ornare vero Altaria, vel Templa verrere etc. debent anticipari; si vero differantur in Festum, sunt tantum venialia. 3. Ob charitatem erga proximum licet succurrere infirmis, fodere sepulchrum pro mortuo, illo die sepeliendo. 4° Ob publicam necessitatem licet reficere pontes, fontes, vias publicas, parare ea, quae spectant ad

publicam populi festivitatem, et adventum magni Principis, foenum et frumentum demessum domum avehere ob periculum, ne ob pluviam corrumpantur; ubi tamen semper tutius venia a Parocho petitur. Excusantur etiam Chirurgi, et Pharmacopolae laborantes pro aegrotis, conflatores vitri, coctores calcis, et laterum, quorum opus semel ceptum sine damno interrumpi nequit. 5° Si opifex, v. g. Sartor culpa sua, vel ob alios labores non necessarios se in necessitatem coniecerit, ut nonnisi die Festo promissas vestes conficere possit, et ideo in Festo laboret, peccat graviter: si vero bona fide putavit, se eas ante Festum adhuc conficere posse, nec se commode excusare potuerit, non peccat graviter, si ad notabile damnum vitandum die Festo conficiat: certo vero excusatur, si vestes sint necessariae pro funere, nuptiis etc. ubi lex non obligat. 6° Ancillae si aliis diebus ob negotia et voluntatem domini eis non liceat vestes suas reficere, non peccant reficiendo diebus feriatis ob necessitatem privatam: Domicellis vero non licet die feriato acu pingere, nere etc. nisi forte aliter gravis tentatio vinci non possit. 7° Famuli et Ancillae non peccant, si iubeantur ab hero die feriato laborare, si sine gravi incommodo imperium detrectare non possint: si tamen saepius fieret, deberent dominum deserere, si alium invenire possint. Herus vero iubens, graviter, vel leviter peccat, pro notabili parte temporis, quo laborem praecipit, quem ne quidem famulo haeretico, vel infideli iniungere potest, quia labor domino imputatur; imo si sex famulis mandaret, ut singuli una hora laborent, ita ut sex horis successive labor perficeretur, peccaret mortaliter; si vero una hora a sex famulis perficeretur, probabiliter tantum venialiter peccaret, quia non videtur graviter dehonorari dies feriatus. 8° Ut opus servile die Festo in dictis casibus liceat, debet fieri sine scandalo, et si causa excusans sit manifesta, non requiritur dispensatio; secus vero, si dubia fuerit.

## CAP. XII.

### *De Primitiis et Decimis.*

§ 845. Alter actus Religionis elicitus secundarius sunt *Primitiae*, seu primi fructus agrorum, vinearum, hortorum, arborum etc. Deo in signum gratitudinis erga illum oblati. De his nullum quidem adest Ecclesiae praeceptum, per consuetudinem tamen introduci possunt. Primitiae quid?

§ 846. Tertius actus Religionis elicitus secundarius sunt *Oblationes*, seu dona, quae sine sui immutatione offeruntur; immediate tamen Deo, seu cultui Divino deputanda, vel usibus ministrorum. Oblationes.

*Coroll. Pract.* 1° Ad Oblationes, licet de se sint liberae, aliquis ex quatuor causis obligari potest. 1. Ex contractu, concedendo alicui Ecclesiae fundum, ut certis temporibus Oblationes faciat. 2. Ex deputatione, ratione legati, et haereditatis acceptae. 3. Ex necessitate Ecclesiae. 4. Ex consuetudine. 2° Oblationes a populo Deo factae spectant ad Sacerdotes, ut eas fideliter dispensent partim in cultum Divinum, partim in proprios usus, partim in usus pauperum. Resolvuntur casus.

Decimae quid? § 847. Quartus actus Religionis elicitus secundarius sunt *Decimae*, quae sunt decima pars bonorum mobilium iuste quaesitorum Ecclesiae ministris solvenda: *c. Transmissae, de Decim.*

Quotuplices? *Schol.* Decimae aliae sunt *praediales*, quae proveniunt ex agrorum, et praediorum fructibus: uti vino, tritico etc. Aliae sunt *personales*, quae proveniunt ex lucro per laborem, et industriam acquisito, ex negotiatione, opificio etc. Aliae sunt *mixtae*, quae partim ex labore, et industria, partim ex praediorum fructibus proveniunt, uti foetus animalium, lac, butyrum, etc.

Cuius iuris sint? § 848. 1° Decimae materialiter, et secundum substantiam spectatae, quatenus sunt necessarium stipendium ministrorum Ecclesiae, a iure naturali et Divino descendunt. Ita definivit Concilium Constantiense *Sess.* 8. contra Wicleffum. Ratio enim naturalis dictat, ut illis, qui cultui Divino ad salutem totius populi ministrant, populus necessaria pro sustentatione ministret. Hinc Apostolus, 1. *ad Cor.* 9. *v.* 11. ait: *Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* Et *v.* 14. *Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Et *Luc.* 10. Christus ait: *Dignus est operarius mercede sua.*

2° Quod si tamen Decimae spectentur secundum determinationem, et aliquotam, in Veteri Lege erant iuris Divini, in Nova vero sunt tantum iuris Ecclesiastici. Quoad veterem Legem, patet ex *Exod.* 22. et *Lev.* 27. ubi statuitur, ut duodecim Tribus decimam partem suorum proventuum Levitis darent, tum ut prae paupertate ab aliis non despicerentur, tum ne populus ex avaritia legem naturalem de substentandis ministris Dei violaret. Sed in Lege Nova Decimas quoad quotam esse tantum iuris Ecclesiastici, ex eo patet, quia in hac Lege nullum adest praeceptum de decima parte solvenda, sed tantum de sustentatione ministrorum Ecclesiae, sive decima pars sit, sive alia; unde etiam Ecclesia pro varietate temporum aliam, quam decimam partem determinare potest, et de facto in nonnullis locis undecimam, in aliis decimamtertiam determinavit. Certe primis Ecclesiae saeculis saevientibus persecutionibus Decimae solutae non fuerunt. Saeculo 4° Patres populos ad solvendas Decimas multum hortabantur; nullum tamen de iis praeceptum aderat. Saeculo 6° in Ecclesia Orientali Episcopi ad solvendas Decimas sub poena Excommunicationis fideles cogebant, *l.* 39. *Cod.* ubi hic mos improbatur, et consuetudo non solvendi Decimas apud Graecos invaluit, et alia tributa pro Sacerdotum sustentatione instituta fuerunt, *Nov.* 3. In Ecclesia Latina modo saeculo 5° aliqua obligatio solvendi Decimas imposita fuit; et saeculo 6° Synodus Matisconensis *can.* 5. praeceptum hoc clare expressit, et Capitularia Regum Francorum idem expresse statuerunt. Saeculo 8° eamdem obligationem Principes urgebant, nec tamen omnes populi ubique obedierunt. Tandem saeculo 10° decreta de solvendis Decimis generalia, a Summis Pontificibus edita fuerunt, et sub Censuris Decimarum solutio praecepta fuit.

3° Ex quibus colligitur, eum etiam contra iustitiam peccare, qui Decimas defraudat: ita Tridentinum declarat *Sess.* 25. *c.* 12. *de ref. Omnibus, cuiuscumque gradus et conditionis sint, ad quos Decimarum solutio spectat, praecipit, ut eas, ad quas de iure tenentur.... integre persolvant. Qui vero eas subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta, absolvantur.* Ratio est, quia Decimae sunt iustum stipendium Ecclesiae ministris pro sustentatione assignatum. Ergo eas defraudare non solum est contra Religionem, quia Decimae Deo in ministris suis consecratae sunt; sed etiam contra iustitiam.

*Schol.* Dices I. *c. Tua, de dec.* et *c. Tua nobis*, dicitur, Decimas Divina constitutione deberi: et Deum praecepisse, Decimas sibi solvi in signum universalis dominii. Et *cau.* 16. *q.* 1. *c. ult.* dicuntur esse iuris Divini. *Resp.* Quoad congruam ministrorum sustentationem, non vero quoad quotam; quoad hanc enim ab Ecclesia statutae sunt ad imitationem legis Divinae olim Iudaeis datae. II. Christus cum *Matth.* 23. dixisset: *Decimatis mentham, et anethum;* subiungit: *Oportuit haec facere, et illa non omittere. Resp.* Hoc dictum est eo tempore, quo vigebat lex Mosaica. III. *Matth.* 5. Christus iubet, ut iustitia nostra plus abundet, quam illa Pharisaeorum: sed hi solvebant Decimas: ergo et nos solvere debemus. *Resp.* Iustitia nostra debet esse maior, non in solvendis Decimis, sed in reformandis affectibus internis. Solvuntur obiectiones

*Coroll. Pract.* 1° Qui decimas defraudat, contra Religionem, et iustitiam peccat, et tenetur ad restitutionem. 2° Decimae solvi debent secundum locorum consuetudinem, et non satisfaciunt, qui deteriores portiones offerunt; sed solvi, sicut bona fide occurrunt, debent. Resolvuntur casus.

ART. 1. *De obligatis ad solvendas Decimas.*

§ 849. Omnes, et soli illi tenentur ad solvendas Decimas, qui praedia, fundos, vel alias res frugiferas titulo non spirituali possident, quae Decimae de iure communi solvendae sunt propriis Parochis; *c. Cum sint, de Dec.* nam Decimae dantur tamquam stipendium pro spirituali cura et ministerio fidelibus exhibito, quod ad Parochos pertinet. Quinam teneantur ad Decimas?

*Coroll. Pract.* 1° Iudaei, et alii non baptizati; item Papa, Episcopi et Parochi per se debito personali ad Decimas non obligantur; nam Infideles a Praepositis Christianis nil recipiunt, et Papa, Episcopi et Parochi ipsi sunt Pastores: nec Religiosi ex terris, quas propria industria modo coluerunt, cum antea essent steriles, quae vocantur *Novalia*: *Gloss. in c. Commissum, de Dec.* 2° Ad Decimas praestandas ex debito reali orto ex re Decimis obnoxia, antequam ad alterius possessionem deveniret, omnes cuiuscumque status, et ordinis, etiam Papa, Episcopi, et Parochi in aliena Parochia titulo temporali praedia possidentes, et Religiosi, imo et Infideles obligantur, nisi iusto titulo eximantur. 3° Pauperes, qui deductis Decimis se, et suos alere non possunt, dilationem solutionis Decimarum petere debent, Resolvuntur casus.

et in extrema necessitate ab omni obligatione liberantur. 4° Parochi super perceptione Decimarum habent fundatam in iure intentionem adversus quemcumque, cui incumbit onus probandi, quod ius Decimarum aliunde habeat. 5° Decimae praediales solvendae sunt illi Parochiae, ubi praedia sita sunt, quia hoc onus est reale: Decimae mixtae illi Parochiae debentur, ubi pecora pascunt, accubant, et dormiunt. 6° Clerici ex redditibus Ecclesiasticis Beneficiorum ad Decimas non obligantur, tum quia Ecclesia vult, ut hi redditus illis sine diminutione proveniant; tum quia novum genus exactionis est, ut Clerici a Clericis Decimas exigant.

Art. 2. *De modo acquirendi ius Decimarum, et immunitatem ab iis.*

Modi acquirendi ius Decimarum et immunitatem ab iis.

§ 850. Ius Decimarum a personis Ecclesiasticis per Permutationem, Transactionem, Compromissum, cum auctoritate Ordinarii acquiri potest. Immunitas vero a solvendis Decimis, per Privilegium, Consuetudinem, Praescriptionem, et Transactionem, vel Remissionem obtineri potest. Ita patet. ex *tit. de dec.*

Resolvuntur casus.

*Coroll. Pract.* 1° Ius Decimarum, si sumatur proprie, prout est fundatum in spirituali officio, sine Simonia vendi, vel cum re temporali permutari non potest: si vero spectetur materialiter pro sola utilitate fructuum percipiendorum, praecisum a spirituali iure, ac titulo, vendi, locari, et personae laicae concedi potest, nisi a S. Canonibus prohibeatur, quia sic est quid temporale. Hinc Papa redditus Decimarum ex iusta causa Principibus in remunerationem Beneficiorum, vel cum onere dotandi, et fundandi Ecclesias concedere potest, dummodo Parochis de congrua sustentatione provideatur. Item omnes Beneficiati, et Rectores Ecclesiae Episcopis etiam inferiores ius habent, temporales Decimarum proventus vendendi, vel locandi dummodo dominium ab Ecclesia non alienetur. 2° Episcopi, et Praelati inferiores proventus Decimarum Ecclesiae suae olim laicis in Feudum perpetuum concedere poterant; quod tamen prohibitum fuit in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. a. 1580. Hinc laicus Decimas post hoc Concilium ab Episcopo in Feudum perpetuum concessas restituere debet: si vero eas a tempore immemoriali possideat, in dubio praesumitur, eas ante Concilium hoc acquisivisse: imo hodie adhuc Episcopi laicis Decimas in Feudum ad dies vitae concedere possunt; nam sola concessio in Feudum perpetuum est prohibita. 3° Ius Decimarum a quibuscumque Clericis, aut Conventu Religioso contra proprium Parochum praescribi potest, cum titulo spatio 40. annorum, sine titulo vero tempore tam longo, ut nulla initii extet hominum memoria: *c. Ad aures, de Praescript.* Laici vero non possunt per praescriptionem acquirere Decimas etiam tempore immemoriali, uti P. Layman colligit ex c. *Causam, de Praescript.* tanti tamen temporis possessio cum bona fide facit praesumptionem tituli, quae tamen praesumptio cessat, si constet, ius Decimarum sine titulo, id est, legitima Praelati Ecclesiastici concessione, translatum fuis-

se ad laicum. 4° Immunitas a solvendis Decimis obtinetur per privilegium, c. *Tua*, *de Decim.* quo religiosi eximuntur a Decimis de Novalibus, quae propriis sumptibus, et manibus excolunt, de hortis, et foetibus animalium suorum. Item immunitas a solvendis Decimis etiam praedialibus non solum a Clericis, sed etiam a laicis praescribi potest, cum titulo annis 40. sine titulo tempore immemoriali. Et in *c. Ex multiplici, de Dec.* ac. *c. Statutum, de Transact.* transactio super decimis; et c. *Quocirca, de priv.* remissio decimarum approbatur. 5° Dantur etiam *Decimae* mere *laicales*, seu profanae, quae sunt genus quoddam tributi, quod olim domini temporales praediis suorum subditorum imponere solebant. Reliqua ad Canonistas spectant, et videri possunt. in *Inst. I. E. tom.* 2. *tit.* 13.

## CAP. XIII.

### *De Beneficiis Ecclesiasticis.*

§ 851. Quintus actus Religionis elicitus secundarius est dotatio Beneficiorum Ecclesiasticorum. Est autem *Beneficium Ecclesiasticum* ius perpetuum recipiendi redditus ex bonis Ecclesiae ratione spiritualis officii, Ecclesiastica auctoritate constitutum. Beneficium Ecclesiasticum quid?

*Schol.* Materia de Beneficiis a Canonistis fuse pertractatur, et videri potest in *Inst. I. E. tom.* 2. *toto tit.* 12. Quantum ad Theologos spectat, notandum, primis Ecclesiae saeculis bona Clericorum fuisse communia, dispensatione penes Episcopum relicta. At vero crescente numero Clericorum, Summi Pontifices iusserut, haec bona in quatuor portiones dividi, quarum 1ma Episcopo, 2a Clero, 3a fabricae Ecclesiae, 4a pauperibus assignata fuit; *caus.* 12. *q.* 2. *c. Concesso.* Beneficium Ecclesiasticum 1. aliud est *Saeculare,* quod Clericis Saecularibus: aliud *Regulare*, quod Regularibus competit. 2. Beneficium aliud est *duplex*, quod aliquam eminentiam, iurisdictionem, et administrationem habet, uti Papae, Episcopi. Si habeat praeeminentiam cum iurisdictione fori exterioris, dicitur *Dignitas*, uti omnis Praelatura Saecularis, et Regularis, et Vicariatus generalis: si habeat praeeminentiam in Ecclesia, et Choro, sine iurisdictione fori exterioris, dicitur *Personatus*: si habeat administrationem, sine iurisdictione fori exterioris, dicitur *Officium*, quale habet Custos, Thesaurarius, Primicerius. Aliud est Beneficium *simplex*, quod nec iurisdictionem, nec praeeminentiam, nec administrationem habet, uti Canonicatus. 3. Aliud Beneficium est *curatum*, quod curam animarum annexam habet. 4. Beneficium aliud est *titulare*, quod in titulum perpetuum confertur, et non ad nutum, sed ex gravi causa tantum est auferibile: aliud est *manuale*, quod ad nutum conferentis est auferibile. 5. Beneficium aliud est *Electivum*, quod per electionem: aliud est *Patronatum*, quod per collationem Patroni: aliud libere *Collativum*, quod per liberam collationem confertur. Quotuplex?

ART. 1. *De Modis acquirendi Beneficia.*

Modi acquirendi Beneficia. § 852. Beneficia Ecclesiastica quatuor modis licite acquiri possunt: 1. Electione et confirmatione. 2. Postulatione et confirmatione. 3. Praesentatione Patroni praevia, cum subsequente institutione. 4. Libera Collatione. *Electio* est Personae idoneae ad Ecclesiam vacantem per vota Capitularium seu eligentium canonica vocatio.

Electio quid?

Disciplina circa electionem. *Schol.* Varia olim fuit Ecclesiae disciplina circa ministrorum suorum electiones. Primis temporibus populus cum Clero ad electionem concurrebat; praecipuas tamen partes in electione Episcoporum semper habuit Metropolitanus, et Comprovinciales Episcopi, qui etiam electum a populo ob crimina reiicere, imo sine populi electione Episcopum ordinare poterant; unde electio populi nullum ius ad rem tribuebat Episcopo, sed potius erat postulatio. Sed populo nimium excrescente, et turbas in electionibus movente, circa saeculum 12$^{um}$ populus exclusus fuit: imo iam antea in nonnullis Ecclesiis Reges et Principes loco populi postulabant, maxime eum Imperatores multa Regalia Episcopatibus concessissent, et Episcopos tamquam Principes Imperii, et suos Vassallos tractassent, ita ut etiam per baculum, et annulum eos investirent: qua de re, et cum saepe personae indignae instituerentur, graves discordiae inter Sacerdotium, et Imperium exarserunt, et per Callistum Papam, et Henricum V. Imperatorem tandem conventum fuit, ut nonnisi per solum sceptrum ab Imperatore investitura fieret, non vero per annulum, et baculum, quae sunt signa potestatis spiritualis. Populo igitur excluso, electio penes Clerum mansit; sed hoc etiam nimium aucto, et tumultus excitante, ius electionis ad Capitula Cathedralia, seu Canonicos cum suo Episcopo in communi regulariter viventes saeculo 13$^{o}$ devolutum fuit, sicuti iam saeculo 12$^{mo}$ ius eligendi Papam ad Cardinales devenit. Hoc ius apud Capitula Cathedralia permansit usque ad tempora Bonifacii VIII. Clementis V. Ioannis XXII. Benedicti XII. ubi hoc ius Papae reservatum fuit: in Extrav. *Ad regimen.* Sed huic reservationi opposuit se Natio Germanica, et Gallica, donec tandem a. 1516. Concordata inter Leonem X. et Franciscum I. Galliae Regem erecta fuerunt, in quibus abrogatis reservationibus nominatio Episcoporum Regi, confirmatio Papae delata fuit. Sed et inter Nicolaum V. Papam et Fridericum III. Imperatorem concordata Germaniae inita sunt, vi quorum in Germania Capitulis Cathedralibus, et Monasteriis, etc. competit ius eligendi, reservata Papae confirmatione.

Forma electionis. *Schol.* 2. Forma electionis praescribitur in iure Canonico: scilicet, exequiis defuncti Praelati celebratis, die electionis ab Ordinario assignato, celebratur Missa de Spiritu S. sub qua eligentes celebrant, vel communicant, et dicto hymno de Spiritu S. pergunt ad locum electionis; quae fit vel per *inspirationem*, persona a Deo visibili signo demonstrata: vel per *quasi inspirationem*, si omnes subito sine praevio tractatu in unum conclament: vel per *scrutinium*, quando

vota singulorum per tres scrutatores secreto exquiruntur, in scripto notantur, et ille pro electo habetur, in quem maior pars eligentium convenit: vel per *compromissum*, quando eligentes facultatem eligendi in unum, vel plures transferunt.

*Schol.* 3. Electionem sequitur *Confirmatio*, quae olim usque ad saeculum $12^{um}$ ad Metropolitanum simul, et Concilium Provinciale pertinuit: saeculo $13^{0}$ ad solum Metropolitanum: saeculo $14^{0}$ ad Papam devoluta est. Praxis confirmationis Romae est. Examinata electione et persona electi, et Protocollo una cum voto Nuntii Apostolici Romam misso ad Consistorium Cardinalium, fit novus processus. Deinde res proponitur in Consistorio Papali, referente Cardinale, et votum suum addente, sicque in $1^{o}$ Consistorio fit tantum *Praeconizatio* electi: in $2^{0}$ vero Consistorio Cardinalis referens Papam et Cardinales de qualitatibus promovendi informat, vocaturque *Praesentatio*: qua facta, Papa votis Cardinalium collectis cum Episcopum pronuntiat dicens: Auctoritate Dei Omnipotentis P. et F. et S. S. et BB. Apostolorum Petri et Pauli, ac nostra, Ecclesiam N. providemus N. ipsique illum in Episcopum praeficimus, et Pastorem, curam, et administrationem eidem in spiritualibus, et temporalibus committimus. Forma confirmationis.

Art. 2. *De Consensu populi ad electionem.*

**§ 853. Ad electionem iure Divino non requiritur consensus populi. Nam nullibi in S. Scriptura praecipitur convocatio populi ad electionem ministrorum Ecclesiae; siquidem in electione S. Matthiae et septem Diaconorum habetur solum exemplum, non vero praeceptum. Certe S. Matthias a solo Deo electus fuit: *Ostende quem elegeris:* et electio septem Diaconorum ab Apostolis fideli populo commissa fuit: *Considerate ergo fratres, viros, ex vobis.* Ergo iure Divino populo non competit. Deinde ex dictis (§ 852. Schol. 1.) constat, variam fuisse veteris Ecclesiae circa electiones disciplinam; electio quippe ad Metropolitanum, et Comprovinciales Episcopos spectabat, postulatio ad populum, vel subinde ad Principes; imo Apostoli, et eorum discipuli irrequisito Magistratu Episcopos elegerunt. Certe si iure Divino electio ad populum, et Principes pertineret, tot mutationes subire non potuisset. Vid. Van-Espen *Ius. Eccl. de elect.*** Electio iure Divino ad populum non spectat.

***Schol.* Protestantes docent, ius eligendi ministros Ecclesiae ad plebem totam, vel saltem Principes saeculares spectare. I. Quia hoc ius iam olim Imperatores, et Reges Francorum exercuerunt, uti patet in Carolo M. donec tandem a Gregorio VII. sub praetextu Simoniae illis ablatum fuit. *Resp.* Imperatores ius nominandi Episcopos a Papa acceperunt; tota certe historia probat, olim penes Clerum, et populum postulantem ius electionis fuisse. Simoniam autem in collatione Episcopatuum tempore S. Gregorii VII intervenisse, omnes norunt; unde merito illis Imperatoribus hoc ius nominandi ablatum fuit. II. Hadrianus I. ius eligendi Summum Pontificem Carolo M. concessit, uti patet ex *c. Hadrianus, d.* 63. quod idem Leo** Solvuntur obiectiones.

VIII. Othoni Imperatori, eiusque successori concessit: *d.* 63. *can.* 23. *Resp.* Hadrianus Carolo M. hoc ius nunquam concessit, cum nec Carolus, nec eius filii hoc iure usi fuerint, nullusque antiquus huius concessionis meminerit, excepto Sigeberto, licet eum Papa ob auxilium contra Desiderium Longobardorum Regem sibi latum Romae honorifice exceperit; adeoque citatus Canon est spurius. Leo VIII. fuit Antipapa, et Canonem citatum ab eo latum non fuisse, Baronius in *Annal.* solide probat.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Illi soli habent vocem activam, seu eligere possunt, qui sunt membra Capituli: *c.* 16. *de Elect.* Extraneae tamen personae Ecclesiasticae vel ex privilegio Papae, vel per compromissum unanime Capitularium, vel per ius Patronatus, vel per praescriptionem 40. annorum, etiam sine titulo ius eligendi acquirere possunt: laici vero huius iuris, utpote spiritualis, sunt incapaces, et admisso laico electio nulla est, et eum admittentes per triennium ab officio, et Beneficio, et iure eligendi suspenduntur, c. 43. *de Elect.* ex privilegio tamen Papae laico ius eligendi competere potest. 2° Novitii, laici Conversi in Conventu Sacerdotum, et qui non sunt Subdiaconi ordinarie loquendo, iuxta Trident. *Sess.* 22. *de ref.* c. 14. excommunicati, suspensi ab officio, interdicti personaliter, denuntiati, et vitandi, Religiosi proprietarii per biennium, eligentes indignum, pro illa vice, eligere non possunt: *tit. de Elect.* Item absentes a loco electionis, nisi iusta causa subsit, ubi per Procuratorem de Capitulo eligendum, vel apud Regulares per litteras, vel per Procuratorem, sine speciali tamen mandato ad certam personam, quia apud Regulares sub poena nullitatis vota debent esse secreta, iuxta Trid. *Sess.* 25. *de Reg.* c. 6. Absentes autem vocari debent, si non sint nimis remoti: *c.* 42. *de Elect.* et aliquis non vocatus de contemptu agere, et electionem irritare potest: c. 28. *de Elect.* 3° Capitulares eligere non possunt, si tempus electionis a iure praescriptum lapsum fuerit, scilicet 3. mensium in Ecclesiis Cathedralibus, et Regularibus; et 6. mensium in aliis Collegiatis: c. 41. *de Elect.* et c. 2. *de Praeb.* ubi ius eligendi ad Episcopum, seu Superiorem confirmantem devolvitur. Currit autem hoc tempus a die scientiae mortis defuncti; et si electio ex iusta causa effectum non habuerit, de novo currere incipit. Vid. P. Engl. in *Coll. Iur. Can.* et *Inst. I. E. tom.* 1. § 176. *et seqq.*

### ART. 3. *De Postulatione.*

Postulatio quid? § 834. Alter modus acquirendi Beneficia est *Postulatio*, quando persona aliquo impedimento laborans, et propterea dispensatione opus habens, postulatur a Superiore dispensare valente.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Postulatio differt ab Electione, quia postulatus non simpliciter, sed sub conditione dispensationis obtinendae consentire potest: deinde Electio post publicatum scrutinium mutari nequit; bene vero Postulatio. 2° In Electione sufficit, ut maior para

Capituli in electum consentiat: Postulatio vero, si concurrat cum Electione, dum aliqui postulant, alii eligunt, requirit duas tertias postulantium: c. 40. *de Elect.* si vero omnes postulent, maior pars sufficit. Vid. *Inst. I. E.* tom. 1. § 190. *et seqq.*

ART. 4. *De Iure Patronatus, et Collatione.*

§ 855. Tertius modus acquirendi Beneficia est per Praesentationem Patroni. Est autem *Patronatus* ius nominandi, seu praesentandi aliquem instituendum ad Beneficium Ecclesiasticum. Ius Patronatus quid?

*Schol.* 1. Nomen Patroni, prout hodie sumitur, multis saeculis ignotum fuit; non tamen res hoc nomine significata. Veteres nomine Fundatoris utebantur, cui eadem iura, quae hodie Patronis, competebant, et eorum nomina saeculo 5° Ecclesiis inscribebantur; unde dicebatur, v. g. Basilica Constantiniana. Deinde certum est, quod iam tempore Iustiniani Imperatoris ius praesentandi administratores, Praefectos, et Presbyteros Monasteriorum, et Xenodochiorum ad Fundatores laicos spectaverit, *Leg.* 46. *de SS. Eccl.* quod ipsum ad eorum etiam haeredes transiit, quibus etiam Fundatoribus ius petendi alimenta ex fundatione fuit, si quando ad egestatem redacti fuissent. Praeterea Fundatores eorumque haeredes loca a se fundata defendere poterant, unde nomen *Advocati*, *Patroni* et *Defensoris* sortiebantur; licet praeter illos alii etiam defensores potentiores constituerentur. Nulla autem olim inter Ius Patronatus Ecclesiasticum, et Laicum differentia fuit; sed modo saeculo 9° in Synodo VIII. aliquod distinctionis vestigium deprehenditur. Ius Patronatus Laicum ortum est ex Oratoriis, et Sacellis, quae Nobiles circa suos fundos, vel in suis aedibus exstruebant, ne ad Parochialem Ecclesiam longius ire cogerentur: his pro Sacris faciendis cum consensu Episcopi certos Presbyteros praeficiebant; quae Oratoria tandem in Beneficia simplicia, vel etiam Parochias mutata fuerunt; quin et subinde pro persolvendo Officio Divino Monasteria, vel Ecclesias Collegiatas addiderunt, et ius praesentandi apud illos Nobiles permansit. Origo eius.

*Schol.* 2. Ius Patronatus aliud est *haereditarium*, quod transit ad haeredes etiam extraneos; aliud est *familiare*, quod transit in solam familiam Fundatoris. 2. Aliud est *activum*, quo quis potest praesentare; aliud *passivum*, quo aliquis ex certa familia praesentari debet. 3. Aliud est *reale*, quod certo loco, seu praedio etc. aliud *personale*, quod certae personae adhaeret. 4. Aliud est *Ecclesiasticum*, quod competit personae Ecclesiasticae, ratione dignitatis, Ecclesiae aut Beneficii Ecclesiastici; aliud est *Laicale*, quod alicui Laico, vel Clerico competit, ratione proprii patrimonii, vel successionis paternae, aut alterius tituli saecularis: aliud est *mixtum*, quod partim nomine Ecclesiae ad Clericum, partim ex alio titulo ad eum spectat; v. g. si aliqua Ecclesia fundavit aliam, quam deinde Laicus dotavit. Quotuplex?

*Coroll. Pract.* 1° Ius Patronatus acquiritur ex *fundatione*, dando solum fundum; *aedificatione*, suis sumptibus Ecclesiam etiam colla- Resolvuntur casus.

psam extruendo, c. *Quoniam*, *de iur. Patr. dotatione*, Ecclesiae redditus sufficientes assignando; *praescriptione* contra Ecclesiam patronatam 40. annorum, contra liberam tempore immemoriali, et ex privilegio a Papa concesso: c. 2. *De reb. Eccl. non alien. in* 6. 2° Ius Patronatus transit in haeredes secundum stirpes: *Clem.* 2. *de iur. Patr.* Item in alium transfertur *Donatione*: *arg. c. nullius*, *de iur. Patr.* ubi tamen requiritur consensus Episcopi, si laicus donet laico; non vero si loco Ecclesiastico, vel Compatrono; c. *un. eod. Permutatione*, *arg. c. Nemini*, 16. *q.* 7. ubi iterum requiritur consensus Episcopi, si fiat in laicum; secus, si in Ecclesiam. *Venditione* universitatis, v. g. si totum castrum habens Ius Patronatus vendatur; quod tamen ideo carius vendi non potest: *c. de iur. eod.* 3° Ius Patronatus fundatoribus, aedificatoribus, et dotatoribus Ecclesiarum debetur ex iustitia. Eius capaces sunt non solum Clerici, sed etiam laici masculi, et foeminae: c. *Cum autem*, *eod.* sed cum hoc discrimine, quod patronatus Ecclesiasticus a die notitiae sex, laicus vero quatuor tantum, *c. un. de iur. Patr. in* .6. mixtum vero ius etiam sex menses ad praesentandum habeat. Deinde si Patronus Ecclesiasticus idoneum praesentavit, variare nequit; bene vero laicus saltem accumulative, ut Episcopus unum seligat: *c. Pastoralis*. Item Patronus Ecclesiasticus indignum praesentans ea vice iure suo privatur, non vero laicus: *arg. Cum vos*, *de off. iud.* 4° Patrono quatuor iura competunt: ius praesentandi: honor praecipuus in sessionibus, et processionibus: alimenta in casu inopiae ab Ecclesia recipiendi: denique Ecclesiam defendere, eiusque curam gerere debet. Vide *Inst. I. E. tom.* 2. § 491. *et seqq.*

**Collatio quid?** § 856. Quartus modus acquirendi Beneficia est per *Collationem*, quae vel ad Papam, vel Episcopum, et alios Collatores spectare potest. Vide *Inst. I. E. tom.* 2. § 475.

### Art. 5. *De subiecto Beneficii Ecclesiastici.*

**Subiectum Beneficii.** § 857. Electores, Patroni, et Collatores Beneficiorum maxime curatorum tenentur in conscientia ad praeferendum inter dignos digniores; nam hoc exigit favor Ecclesiae, et animarum, quibus in quantum fieri potest, consulendum est. Unde propositio 47. docens, Tridentinum per digniores excludere tantum indignos, non vero dignos, ab Innocentio XI. damnata est.

**Resolvuntur casus.** *Coroll. Pract.* 1° Ut quis sit idoneus ad Beneficium Ecclesiasticum simplex, requiritur 1. Ætas 14. annorum: pro dignitate et personatu non curato 22. pro Beneficio curato 25. pro Episcopatu 30. annorum. 2. Torus legitimus. 3. Status Clericalis, adeoque saltem prima Tonsura. 4. Coelibatus, nisi quis forte consentiente coniuge perpetuam castitatem voverit, nec bigamus sit. 5. Absentia censurae, et irregularitatis. 6. Probitas morum, et debita scientia. 7. Intentio Status Clericalis, et carentia alterius Beneficii incompatibilis. 2° Peccat mortaliter, qui Beneficium indigno confert, et si ex defectu alicuius

requisiti invalida sit provisio, provisus etiam ante sententiam iudicis Beneficium resignare debet, nisi dispensationem, et tituli revalidationem obtineat: invalide tamen provisus, qui per tres annos Beneficium bona fide possedit, postea in conscientia tutus erit. 3° Beneficium conferre digno, praetermisso digniore, peccatum est, maxime in Beneficio curato, licet collatio ob bonum pacis subsistat: maior vero dignitas non praecise ex maiori doctrina, et probitate, sed utilitate desumenda est, quia attendenda est relate ad bonum commune. Vide *Inst. I. E. tom.* 2. § 511.

ART. 6. *De obligationibus Beneficiatorum, et pluralitate Beneficiorum.*

§ 858. Obligationes Beneficiatorum sunt: 1° Habitus, et Tonsurae Clericalis gestatio. 2° Recitatio Horarum Canonicarum, de quibus inferius *de Sacram. Ordinis* agemus. 3° Residentia, quae in Beneficiis curatis est de iure Divino, Ecclesiastico, civili et naturali. Esse de iure Divino, patet ex Tridentino *Sess.* 23. *cap.* 1. ubi ait: *Cum praecepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere .... quae omnia nequaquam ab iis praestari et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, sed mercenariorum more deserunt.* Unde multi in Tridentino institerunt pro definienda hac sententia, sed Italis reclamantibus res expresse definita non fuit; satis tamen ex hoc loco eruitur. Ius Ecclesiasticum patet ex toto titulo *de Cler. non resid.* Civile constat ex variis Principum constitutionibus. Naturale patet ex eo, quia Beneficiati curati sunt Pastores, qui pascere non possunt, nisi resideant. Quare hic nec Papa dispensare potest, sed tantum declarare, ius Divinum ad hunc vel illum casum non extendi. Obligationes Beneficiatorum.

*Coroll. Pract.* 1° Causae iustae a residentia excusantes sunt: 1. Charitas, quando quis ad sedandas lites etc. a loco Beneficii recedit. 2. Propter aeris intemperiem, vel persecutionem tyranni, vel capitales inimicitias, vel prosequendam litem super iuribus Beneficii, vel sacram peregrinationem, habita Praelati licentia. 3. Si quis absit ex mandato Papae, vel in Apostolicae Sedis officio occupetur. 4. Si quis absit ob negotia Ecclesiae, vel studium Theologicum ad quinquennium. 2° Episcopi per duos vel tres menses: item Canonici per tres menses: Parochi, constituto tamen prius Vicario, per anni decursum, ad breve etiam tempus, sine damno tamen gregis, abesse possunt. Vide *Inst. I. E. tom.* 1. § 207. et § 248. Resolvuntur casus.

§ 859. Ordinarie non est licitum, quod Clericus habeat plura Beneficia, quando unum sufficit ad honestam eius sustentationem; vel si duo illa Beneficia sint incompatibilia, qualia sunt, quae continuam personalem residentiam postulant; vel in eadem Ecclesia ad eumdem finem instituta sunt, et idem officium eodem tempore persolvendum postulant. Ita statuitur *c. Is qui, de Praeb. in* 6. et ratio est, quia alias Ecclesiastici redditus male, et inutiliter dispensarentur, et cultus Divinus imminueretur; id quod primae Beneficiorum institutioni repugnat. Pluralitas Beneficiorum est illicita.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Licite aliquis obtinere potest duo Beneficia compatibilia, qualia sunt simplicia non requirentia residentiam personalem; vel quae sunt in diversis Ecclesiis, et incompatibilem residentiam non exigunt; vel quibus in eadem Ecclesia satisfieri potest, si tamen haec ad congruam sustentationem requirantur. 2° In pluritate Beneficiorum Papa dispensare potest: 1. Ob necessitatem in defectu Clericorum. 2. Ob utilitatem Ecclesiae, quando unus solus censetur sua auctoritate, potentia, etc. magis profuturus, quam plures alii. 3. Ob evidentem meritorum praerogativam: *c. De multis, de Praeb.* Qui sine dispensatione plura Beneficia recipit, et retinet, per receptionem secundi mox priori Beneficio quoad titulum, seu ius retinendi, non vero quoad possessionem, ante sententiam iudicis, est ipso iure privatus: Trident. *Sess.* 7. *de ref. cap.* 4. et si prius Beneficium cum secundo retinere contenderit, etiam secundo privatus existit: loc. cit. Vide *Inst. I. E. tom.* 2. § 510.

## Art. 7. *De Dominio Beneficiatorum.*

Clerici sunt domini redituum. § 860. 1. Beneficiati omnium etiam superfluorum redituum Ecclesiasticorum dominium acquirunt. Nam Tridentinum *Sess.* 23. *et* 24. non distinguit inter fructus ad sustentationem necessarios, et superfluos. Ergo clerici utrosque faciunt suos, si praescriptas conditiones impleant, sicut illis indistinctive privantur, si negligant. Deinde omnes redditus Beneficiales indistincte Beneficiatis assignati sunt per modum mercedis, et stipendii propter ministerium sacrum. Ergo omnes suos faciunt.

2. Hoc tamen dominium Clericorum non est omnino liberum, sed restrictum adiectione oneris, ita ut ex iustitia teneantur superflua suorum redituum in pium aliquem usum erogare, et si in usus profanos expendant, restituere debeant. Ita colligitur ex *c. Episcopi*, 12. *q.* 1. Deinde Doctores communiter docent, Beneficiatos mortaliter peccare, si redditus superfluorum in notabili quantitate in usus profanos expendant. Sed non peccant contra charitatem praecise, quia si nulli etiam essent pauperes, tamen peccarent. Ergo peccant contra iustitiam. Rursum sacri Canones vocant bona Ecclesiae res Dei, patrimonium Christi, vota fidelium, pretia peccatorum, id est, a fidelibus Deo in manibus Praelatorum oblata, ut per eos ad pium usum convertantur. Ergo cum redditus superflui Beneficiatis assignantur, fit cum annexo onere, ut quod superest, in pium usum convertatur; ideo fideles superflua illa Beneficiatis assignarunt. Unde S. Bernardus *ep.* 2. ait: *Quidquid praeter necessarium victum et vestitum de Altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.* Et Tridentinum *Sess.* 25. *c.* 1. *de ref.* Episcopis omnino interdicit, ne ex redditibus Ecclesiae consanguineos, familiaresque suos augeant, eum et Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quae Dei sunt, consanguineis donent. Denique Clerici prohibentur testari de bonis Ecclesiasticis: *c.* 1. *et* 2. *de Test.* Ergo ad ipsos pleno iure non

spectant, sed cum onere superflua restituendi. Sane ante divisionem ex iustitia, bona superflua debuerunt dari pauperibus. Ergo etiam post illam; nam per divisionem natura eorum et mens Fundatorum mutata non est.

*Schol.* Dices I. Beneficiati fructus faciunt suos, et donationes ex superfluis ab illis factae nec ab Ecclesia, nec a republica irritantur: ergo ex iustitia ea erogare non debent. *Resp.* Dominium illud est restrictum ad pios usus, cum onere restituendi, si non fiat: donationes vero illae tantum sunt validae in foro externo, ad evitandas lites; cum bona Ecclesiastica Clericorum a patrimonialibus non semper discerni possint. II. Levitae olim superflua in bonos, et pios usus erogare non tenebantur: ergo nec nostri Clerici. *Resp.* Etiam Levitae ad hoc tenebantur, et contra Clericos specialiter pugnat mens Fundatorum. III. Beneficiatus ex superfluis potest solvere debita, pensiones instituere: pauperes ea rapere non possunt; et S. Thomas *quodl.* 6. *q.* 6. *a.* 2. docet, quod talis non teneatur ad restitutionem. *Resp.* Clericus, si non habeat bona patrimonialia, ex Ecclesiasticis sibi tamquam pauperi applicatis debita solvit: pensiones constitui debent pro Clericis pauperibus: nullus vero pauper novit bona Clerici superflua, et si sciat, determinatum ius prae alio paupere non habet, adeoque propria auctoritate auferre nequit. S. Thomas videtur nobis contrarius, et forte loquitur in supposito, quod pauperibus sua pars iam sit subtracta. Solvuntur obiectiones.

*Coroll. Pract.* 1° Bona patrimonialia Clericorum, ex haereditate, donatione etc. acquisita pleno iure ad eos spectant, sicuti etiam bona quasi patrimonialia, ob Missas quotidianas, Sacramentorum administrationem, et funeralia accepta. 2° Redditus etiam Ecclesiastici necessarii ad honestam et decentem vitae sustentationem pleno iure ad Clericos spectant; et si quid de his per parsimoniam suam sibi subtrahant, libere de eo disponere possunt: imo licet bona patrimonialia habeant, illis servatis, ex bonis Ecclesiasticis sustentationem suam accipere possunt; quia, qui servit Altari, vivit de Altari. 3° Nomine honestae sustentationis intelliguntur omnia ad ipsum Beneficiatum, et familiam suam statui suo convenienter alendam, hospitalitatem exercendam erga consanguineos, amicos, et peregrinos, ad donationes remuneratorias, et honestas recreationes, secundum merita, et onera necessaria. 4° Beneficiatus redditus superfluos etiam consanguineis suis indigentibus, considerato statu eorum, qui per ipsum Beneficiatum magis elevatur, erogare potest. Potest etiam consanguineum suum ex bonis Ecclesiasticis in studiis alere, si vel pater eius sit indigens, vel quia pater eum cum tantis expensis alere non tenetur; in quo tamen alimenta naturali iure debita a patre alias danda subtrahi deberent. 5° Beneficiati de iure, de bonis Ecclesiasticis superfluis nec ad pias causas testari possunt: consuetudo tamen eorum testamenta quidem tolerat, sed non approbat. Unde legatarii, vel haeredes, excepta causa pia, qui hoc norunt, bona ex tali illegitimo testamento acqui- Resolvuntur casus.

sita restituere tenentur, nisi eos bona fides excuset. Vid. *Inst. I. E. tom.* 2. § 520. *et seqq.*

Art. 8. *De vacatione Beneficiorum.*

Quomodo Beneficium vocet? § 861. Beneficium vacat, vel ex dispositione iuris, vel per sententiam iudicis, vel per mortem Beneficiati, vel per resignationem; vel per permutationem.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Resignatio Beneficii in favorem tertii debet fieri in manus Papae, si quis vero simpliciter resignet, et per modum recommendationis tantum certam personam nominet, potest fieri in manus Episcopi. Similiter resignatio Beneficii cum reservatione pensionis annuae, regulariter nonnisi in manus Papae fieri potest. 2° Permutatio Beneficiorum privata auctoritate facta, est illicita: licet tamen, si permutantes ea resignent in manus Ordinarii, dicentes, quod causa permutationis faciant, qui iudicabit, num admittenda sit, necne: *Clem. un. de rer. permut.* Vid. *Inst. I. E.* § 522. *et seqq. tom.* 2.

## CAP. XIV.

### *De Simonia, eiusque gravitate.*

Simonia quid? § 862. Vitium, quod in conferendis, et acquirendis Beneficiis Ecclesiasticis maxime intervenire potest, est *Simonia*, seu studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, aut spirituali annexum, pretio temporali.

Quotuplex? *Schol.* Simonia, a Simone Mago dicta, 1. alia est *iuris Divini*, ob intrinsecam malitiam prohibita, quando pro pretio temporali datur res in se spiritualis, v. g. gratia, Sacramenta etc. alia *iuris Ecclesiastici*, quae ideo mala est, quia ab Ecclesia prohibita, v. g. permutatio Beneficiorum sine licentia. 2. Utraque triplex est. *Mentalis*, seu actio externa facta ex intentione Simoniaca, exterius tamen non manifestata, vel sine pacto expresso, v. g. si quis alteri exhibeat temporale, ut ad spirituale eum obliget, vel e contra. *Conventionalis*, seu pactio Simoniaca expressa, necdum executioni mandata: si ex neutra parte traditio facta sit, dicitur *pure conventionalis:* si tantum ex una parte, dicitur *Mixta. Realis* est pactio Simoniaca ex utraque parte, per datum et acceptum completa. Simonia *Confidentialis* est, quando quis propria auctoritate beneficium alteri quocumque modo procurat cum certa confidentia, id est, pacto expresso, vel tacito, ut is, cui procuratur, idem Beneficium vel procuranti, vel alteri resignet, aut pensionem, vel fructus ex eo praestet.

Simonia est peccatum mortale. § 863. Simonia ex genere suo est peccatum mortale, ex *Act.* 8. *Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* Ideo sacri Canones Simoniam vocant execrabile vitium, turpissimum lucrum, Simoniacam pestem, haeresim etc. *c. Reperiuntur,* 1. *q.* 1. Et ratio est, quia malitiosum est, rem sacram,

et spiritualem ita vilipendi, ut non pluris aestimetur, quam aliquid temporale; quod facit Simonia.

*Coroll. Pract.* 1° Ad Simoniam requiritur, ut *materia* sit *spiritualis* ex se, institutione Dei, vel Ecclesiae, ad animae salutem, et ordinem bonorum supernaturalium spectans uti gratia, Sacramenta, etc. vel ut sit materia *spirituali annexa*, aut antecedenter, quia ordinatur ad Beneficia, et officia Ecclesiastica, uti electio etc. aut concomitanter, uti labor in administratione Sacramentorum: aut consequenter, quae officium Ecclesiasticum supponit, uti ius recipiendi redditus Ecclesiasticos. 2° Requiritur, ut *pretium*, vel quasi pretium, sive *munus* sit *temporale* (excepta Simonia confidentiali). Hoc pretium potest esse vel *munus a manu*, uti pecunia, et omnia bona mobilia, et immobilia, seu res temporales pretio aestimabiles: item remissio debiti, vel promissio remittendi, dilatio solutionis, anticipata solutio etc. vel potest esse *munus a lingua*, uti laus, recommendatio, et patrocinium apud Principem cum pacto, ut conferatur res spiritualis: vel potest esse *munus ab obsequio*, seu servitia alicui praestanda sub obligatione conferendi rem spiritualem, aut spirituali annexam: non tamen est Simonia alicui gratis servire, cum spe, ut in remunerationem quis Ecclesiasticum Beneficium obtineat, nec collator eam committit, si in remunerationem alteri Beneficium conferat. * (Haec tamen agendi ratio periculo Simoniae non videtur vacare. V. S. Alphonsum de Lig. l. 3. de 4. Praecepto Dec.) * 3° Requiritur emptio et venditio, sive pactum seu contractus non mere gratuitus: si vero sub alio titulo v. g. gratitudinis aliquid promittatur, vel detur, non est quidem de se Simonia expressa, saepe tamen palliata, ob pactum implicitum: unde haec verborum formula: ero tibi gratus, si Beneficium conferas, Simoniam sapiunt, si per ea exprimatur intentio, se, vel alterum obligandi: si non detur, vel promittatur in signum purae gratitudinis antidoralis: si promittatur, vel detur temporale pro spirituali, ut motivum dandi spirituale: uti patet ex propos. 45. ab Innocentio XI. et 22. ab Alexandro VII. damnata. 4° In Simonia non excusat a mortali levitas materiae, sed tantum inconsideratio, et ignorantia iuris, et facti leviter culpabilis. 5° Qui offert pecuniam pro admissione ad Ordinem Religiosum cum obligatione se admittendi, committit Simoniam: *c. Non satis, de Sim.* Non tamen est Simonia, si Superiores aliquid exigant nomine dotis pro oneribus sustinendis a Monasterio in gratiam supplicantis: uti concessit Clemens VII. Monialibus, dummodo nil temporale pro ipso ingressu accipiatur. Si vero Monasteria sint sufficienter fundata, hoc non omnes concedunt; et consuetudo contraria ex eo solum excusari potest, quod nostris temporibus primae fundationes valde imminuantur, ut proinde aliunde succurrendum sit, ne corruant: dare vero munuscula senioribus, pro captanda eorum benevolentia in admissione sine obligatione, vel aliquem munusculis ad Religionem allicere, non est Simonia. 6° Parochus exigendo iura stolae secundum iustam taxam suae dioecesis, non peccat, nisi cum scandalo Sacramenta admi-

Resolvuntur casus.

nistrare nollet, nisi iura solvantur. Si vero statutam taxam excedat, vel pro iis functionibus aliquid exigat, pro quibus ex more recepto nil solvi solet, Simoniam committit, quia nullum titulum habet, qui non est labor sacrae functioni intrinsecus ab ea indistinctus, sed congrua sustentatio, quam Episcopus per suam taxam determinavit. 7° A Simonia excusat ignorantia invincibilis, non vero crassa, et supina. Item Simonia non est, redimere pretio temporali vexam iniustam circa ius quaesitum in re spirituali: secus est, si vexa iusta fuerit. Item si quis in iure acquirendo iniuste vexetur ab iis, qui ius concedere possunt, est Simonia, aliquid iis dando, ut a vexa desistant: *c. Matthaeus, de Sim.* quia sic pro voto aliquid datur: si vero facta institutione sola possessio iniuste negetur, licet vexam pecunia redimere; quia possessio solum est quid spiritnale ratione tituli, qui iam acquisitus supponitur. Non est tamen Simonia circa ius Beneficii acquirendum iniustam vexam pretio redimere ab iis, qui tantum obesse possunt, v. g. diffamando, collatorem impediendo. 8° Non est Simonia, res sacras cum rebus sacris permutare, exceptis Beneficiis, quorum permutatio propria auctoritate fieri nequit: licet etiam vendere Ceram benedictam, Reliquias pretiosis capsulis inclusas, Rosaria Indulgentias habentia, in quibus sola materia emitur; secus foret, si ratione rei sacrae pluris venderentur. Sacram sepulturam emere etiam Simoniacum est, nisi quid solum detur pro loco honoratiori, v. g. in Templo, quo modo etiam pro scamno commodiori in Templo aliquid solvi potest, maxime si pretium pro conservatione Ecclesiae impendatur. 9° Per se Simoniacum est, aliquid pro dispensatione in voto etc. solvere; subinde tamen iuste aliquid pro sustentatione officialium, et necessitatibus Ecclesiae, ac in poenam petentis et praecedentis delicti exigitur. 10° Non est Simonia, si in ludo unus exponat pecuniam, et alter Missam, quia tantum offertur executio rei spiritualis, loco executionis rei temporalis alias tradendae. Talis tamen lusus scandalum creat. 11° Simonia est, emere titulum Ordinationis iam constitutum; non vero emere censum ex alterius praedio, ut quis ordinari possit, quia ante Ordinationem est res mere temporalis. 12° *Simonia Confidentialis* his pactis innititur. 1. Resignatione Beneficii cum reservatione accessus, ut procuranti, vel alteri determinato accessus ad illud pateat, facta sine consensu Papae. 2. Resignatione cum reservatione ingressus, quando possessio Beneficii nondum obtenta alteri ceditur, ut quis post eius mortem, vel resignationem eius possessionem capiat. 3. Cum reservatione regressus, quando quis Beneficium possessum alteri cedit, cum pacto, ut post mortem, vel resignationem eius libere ad illud regredi possit. 4. Si certae pensiones propria auctoritate procuranti, vel alteri reserventur.

### Art. un. *De Poenis contra Simoniacos.*

Poenae Simoniae. § 864. 1. Poenae ob Ordinationem Simoniacam sunt: 1. Excommunicatio Papae reservata, quae tam ab ordinante, quam ordinato incurritur: Extrav. *Cum detestabile*, 2. *de Sim. inter com.* 2. Sus-

pensio, qua ordinans a collatione Ordinum et munerum Pontificalium, ordinatus vero a susceptione Ordinum, et exercitio susceptorum suspenditur: c. *Si quis ordinaverit, de Sim.*

2. Poenae ob ingressum Religionis Simoniacum sunt: 1. Excommunicatio Papae reservata in dantes, et recipientes, si personae sint singulares; et si suscipiens sit integrum Capitulum, suspenditur ab officio: *Extrav.* 1. *de Sim. int. com.* 2. Detrusio taliter Professi in arctius Monasterium ( loc. cit. ): nam Professio est valida.

3. Poenae in Simoniacos circa provisionem Beneficiorum, Officiorum, Dignitatum, Praelaturarum sunt: 1. Nullitas provisionis, ita ut ante omnem sententiam nec Beneficium retineri, nec fructus percipi possint. 2. Excommunicatio Papae reservata in omnes ad hanc Simoniam cooperantes. 3. Inhabilitas provisi ad idem Beneficium de novo acquirendum, et alia Beneficia obtinenda. 4. Privatio Beneficiorum prius habitorum, et depositio ab Altaris ministerio, saltem post sententiam iudicis.

*Coroll. Pract.* 1° Qui ignoranter Simoniace promotus est, quia alius ipso inscio pretium dedit, nullam poenam, nisi nullitatem provisionis, et inhabilitatis ad idem Beneficium incurrit: et ideo fructus bona fide consumptos non tenetur restituere; imo post triennium, quo bona fide Beneficium possedit, nec hoc, nec fructus extantes, quia praescripsit. 2° Ob Simoniam mentalem nulla poena incurritur, similiter nec ob Simoniam conventionalem, licet mixta fuerit, quia de his iura nihil expresse statuunt: bene tamen ob Simoniam confidentialem ex Bulla S. Pii V. *Intolerabilis.* Adeoque ob omnem et solam Simoniam realem utrinque completam, in susceptione Ordinum, ingressu Religionis, et in provisione Beneficiorum commissam, ipso iure et facto incurruntur poenae Simoniacorum, etsi Simonia occulta foret: Extrav. *Detestabile, de Sim.* Caeterum aliae etiam Simoniae in aliis materiis commissae ad iudicem delatae, arbitraria poena plecti possunt. 3° Per se solus Papa a censuris absolvere, et in poenis dispensare potest; si tamen delictum sit occultum, et ad forum contentiosum non deductum, Episcopus a censuris absolvit, sicuti etiam cum illo, qui Beneficium Simoniace obtentum sponte, et ante sententiam condemnatoriam dimisit. 4° Pretium temporale pro re mere spirituali sine commodo temporali ante sententiam iudicis iure naturae restituendum est: si vero res annexum habeat commodum temporale, v. g. si castrum pluris vendatur ob ius Patronatus, pretium pro fundo retineri potest, non vero excessus. Pretium vero pro Beneficio Ecclesiastico acceptum, iure positivo restitui debet vel Ecclesiae beneficiali, vel pauperibus: c. *de hoc, de Sim.* imo ante sententiam iudicis, iuxta nonnullos, ipsi danti; quod si tamen pactum ante collationem rescissum fuit, danti restitui debet. Vide *Inst. I. E. tom.* 3. § 1174. *et seqq.*

Resolvuntur casus

## CAP. XV.

### *De Immunitate Ecclesiastica.*

Immunitas Ecclesiastica quid?

§ 865. Sextus actus Religionis elicitus secundarius est observantia Immunitatis Ecclesiasticae. Est autem *Immunitas Ecclesiastica* ius, quo personae, res et loca Ecclesiastica a publicis oneribus saecularibus libera sunt.

Quotuplex?

*Schol.* Immunitas Ecclesiastica triplex est: personalis quae convenit personis Ecclesiasticis, et in privilegio Fori, Canonis et exemptione ab oneribus saecularibus consistit. Immunitas *realis* competit rebus Ecclesiasticis, quae a iurisdictione saecularium, eorumque exactionibus, et oneribus sunt liberae. Immunitas *localis* competit Ecclesiis, aliisque locis Ecclesiasticis, ne actus profani in illis exerceantur: et quod *iure Asyli* gaudeant, ne scilicet delinquentes ad loca sacra confugientes inde per vim extrahantur.

### Art. 1. *De Privilegio Fori.*

Privilegium fori cuius iuris?

§ 866. *Privilegium Fori* est immunitas, vi cuius Personae Ecclesiasticae a iurisdictione, et foro saeculari eximuntur, et ad forum, et iudicem saecularem trahi non possunt: *t. de for. comp.* et *t. de Imm. Eccl.* Porro haec exemptio Personarum Ecclesiasticarum a iurisdictione laicorum, quoad spiritualia, est a iure Divino. Ita docet Concilium Lateranense sub Leone X. *Sess.* 9. ubi dicitur, quod a iure tam Divino, quam humano potestas nulla in Ecclesiasticas Personas laicis concessa sit. Item Tridentinum *Sess.* 25. *de ref. c.* 20. ait, Ecclesiae et Personarum Ecclesiasticarum Immunitatem Dei ordinatione, et canonicis sanctionibus institutam esse. Et ratio est: quia nulla iurisdictio propria virtute se extendit ultra genus sui obiecti proprii: sed causae spirituales sunt extra genus iurisdictionis saecularis; nam iurisdictio Ecclesiastica penitus diversa est a iurisdictione civili; quia illa spiritualis, ac supernaturalis est, tum ratione originis, tum ratione finis: haec naturalem habet originem, et temporalem pacem, ac tranquillitatem tamquam finem spectat: ergo ad causas spirituales se non extendit. Et quidem iure Divino, quia a Christo immediate descendit, qui solos Apostolos in causis spiritualibus iudices constituit, *Matth.* 18. *Quaecumque ligaveritis, etc.* et eorum successores, *quos Spiritus S. posuit regere Ecclesiam Dei.*

An exemptio quoad causas civiles sit iuris Divini?

*Schol.* Quaeritur, an exemptio Personarum Ecclesiasticarum a foro saeculari quoad causas civiles, et saeculares etiam sit iuris Divini. Plurimorum sententia hodie est, quod haec exemptio quoad causas civiles sit tantum iuris humani, ex privilegio et concessione Imperatorum descendens. Nam 1. nullus locus pro exemptione Clericorum a iurisdictione Principis in causis civilibus, nec ex verbo Dei scripto, nec tradito afferri potest. 2. Vix probari potest, quod Clerici sub Imperatoribus Christianis semper hoc privilegium habuerint: imo habemus varias in diversis regnis huius privilegii mutationes, quod

in iure Divino fieri non potuisset. Ergo descendit ab Imperatoribus, qui hanc in civilibus exemptionem Clericis concesserunt, tum ne in civilibus a suis officiis abstraherentur, tum ne in criminalibus vilesceret status Ecclesiasticus: praecipue vero Theodosius, et Valentinianus in *c. Theodos. l.* 45. *de Episc.* et Fridericus II. amplum privilegium Clericis concessit in *Authent. Statuimus, c. de Episc. et Cler.*

*Coroll. Pract.* 1° Causae mere Ecclesiasticae et spirituales sunt, quae de fide, doctrina, Sacramentis, ministrorum Ordinatione, officiis, et beneficiis Ecclesiasticis, consecratione vasorum et Virginum, Sacramentalibus, Reliquiis, cultu et Canonizatione Sanctorum, Votorum, et Festorum observatione, dispensationibus, etc. occurrunt, et ubi agitur de criminibus Ecclesiasticis. 2° Non tantum Clerici, sed etiam omnes Regulares utriusque sexus, etiam Novitii, et laici Conversi, a saeculari potestate sunt exempti: *l.* 16. c. *Theod.* Item Clerici minoribus tantum Ordinibus, vel prima Tonsura tantum initiati privilegio fori gaudent, c. 2. *de for. comp.* dummodo vel beneficium Ecclesiasticum habeant, vel habitum, et Tonsuram Ecclesiasticam deferant, et alicui Ecclesiae deserviant, vel in Seminario Clericorum versentur. 3° Clericus non potest renuntiare privilegio fori, utpote toti Ordini Clericali concesso: ideoque non possunt Clerici coram iudice saeculari litigare, c. 12. *de for. comp.* et iudex saecularis in casibus non permissis clericum ad suum forum trahens incurrit Excommunicationem: c. 15. et 2. *c. de foro comp.* Clericus tamen actor contra laicum in foro saeculari agere potest: c. *Cum sit, de foro comp.* 4° Clericus in flagranti crimine deprehensus, aut suspectus de proposito illud patrandi, a saeculari indice capi potest, ut iudici Ecclesiastico tradatur, si crimen sit grave, necessitas capiendi, modus non excedatur, et fiat de mandato Praelatorum saltem tacito: Layman *l.* 4. *t.* 9, *c.* 4. 5° Clericus debitor, si fugam meditetur, in necessitate a iudice saeculari, vel creditore interim capi potest, ut iudici Ecclesiastico sistatur, et ad solutionem cogatur. Idem *ibid.* c. 9. 6° Clericus a iudice saeculari ad testimonium dicendum cogi nequit, nisi cum licentia sui Ordinarii. Plura Canonistae. Vide *Inst. I. E. tom.* 3. § 926. *et seqq.*

Resolvuntur casus.

### Art. 2. *De Privilegio Canonis.*

§ 867. *Privilegium Canonis* est, ut, si quis suadente diabolo, id est, ex prava affectione interna, et animo graviter laedendi in corpore, vel honore, Clericum percutiat, aut violentas manus iniiciat, excommunicatus sit: c. *Si quis suadente*, 17. *q.* 4.

Privilegium Canonis.

*Coroll. Pract.* 1° Privilegium Canonis competit etiam omnibus utriusque sexus Religiosis, eorumque Conversis, Novitiis, et Tertiariis sub habitu, regula, et obedientia viventibus. 2° Hanc Excommunicationem ipso facto incurrit, qui Clericum etiam sola prima Tonsura initiatum etc. per gravem iniuriam occidit, mutilat, vul-

Resolvuntur casus.

nerat, conspurcat, crines evellit, res illi adhaerentes per vim anfert, lacerat, equum, vel currum sistit, in custodia detinet, percutit, aqua, pulvere, lapillis insequitur etc. 3° Hanc Excommunicationem etiam incurrunt mandantes, consulentes, ex officio non impedientes, effectu secuto, et consilio retractato non intimato: *c. Quantae, de sent. Excom.* 4° Excommunicationem hanc non incnrrit, qui dilacerat, percutit vestimenta Clerico non adhaerentia: qui ei aliquid adhaerens fraudulenter surripit: qui verbis contumeliosis afficit: qui tantum leviter, aut ex ioco, aut subita cholera percutit: qui in die Parasceves Clericum Christi personam agentem gravius percutit, etiam ex odio peccaminoso: qui cum legitima facultate correctionis causa percutit: qui in sni defensionem aggressorem detinet, repellit, domo eiicit, si alia via non suppetit: qui ignorans esse Clericum, percutit. 5° Privilegium Canonis amittunt Clerici in coniugio viventes, si habitum, et Tonsuram non deferant; vel in Maioribus degentes qui dimisso habitu, et Tonsura saecularibus negotiis se immiscent, si tertio ab Episcopo moniti se emendare contempserint: c. *Contingit, de sent. Excom.*

### Art. 3. *De Immunitate Personali, et Reali.*

Immunitas personalis cuius iuris sit? § 868. Immunitas Clericorum personalis, quoad exemptionem ab oneribus tutelae, curatelae, operarum personalium, et teloniorum personalium, in qnantum haec eorum vocationi, officiis et congruae sustentationi officiunt, est iuris Divini. Quippe iure Divino praedicatio Evangelii, et cnltus Divinus a Clericis ad hoc specialiter deputatis impediri non potest; nam Deus iam olim in Veteri Testamento ministros suos ab exactionibus ideo liberos esse volnit, *Exod.* 30. *v.* 12. *Num.* 1. *v.* 47. Quae leges, in qnantum snnt morales, etiam in Novo Testamento obligant. Ergo immunitas Clericorum quoad haec est iuris Divini. Deinde qui servit Altari, iure Divino potest vivere de Altari. Ergo per dicta opera Clerico Altari servienti congrua sustentatio subtrahi non potest.

Exactiones quotuplices? § 869. *Schol.* 1. *Onera realia*, seu *exactiones reales* snnt, quae ipsis rebus imponuntur, sine respectu ad personas possidentes, v. g. fundis, agris, domibus, et vocantur *tributa*, seu contribntiones ordinariae, vulgo *Steurae ordinariae*, et *variae exactiones*, quo referuntur *Accisae*, qnae imponuntur rebus usu consumptibilibus vendendis, v. g. vino, carnibus, etc. et *indebita*, *tributa*, *et census*, qnando ultra accisas pucuniarias de potulentis certa quantitas, v. g. 6. mensnrae de singulis urnis, pendenda est Principi. *Onera mixta*, seu actiones mixtae sunt, quae exigunt personalem laborem simul et sumptus, v. g. ire ad bellum propriis expensis: vel imponuntur subditis cum respectu ad eorum bona, et anuuos redditus, adeoque personis immediate, mediate vero bonis imponuntur, uti *collectae et contributiones extraordinariae:* quo etiam spectant *praestationes teloniorum*, nempe *Vectigalia*, *aut solutiones propter permissum tran-*

*situm variarum mercium*, quae exiguntur de bonis per terram; et *Portatoria, seu expensae propter permissam introductionem mercium in alienum Territorium*, quae de bonis per aquas importatis, vel exportatis, aut advectis exiguntur.

*Schol.* 2. Certum quidem est, bona Ecclesiastica ad Ecclesiae, et ministrorum eius conservationem superflua; item bona Clericorum patrimonialia ab omnibus exactionibus esse liberata: *c. Non minus, de Immun. Eccl.* et *c. Adversus, de Immun. Eccl.* Sed non pauci Theologi docent, hanc Immunitatem quoad bona illa superflua et patrimonialia Clericorum esse tantum iuris humani, profectam immediate ex Christianorum Imperatorum, et Regum privilegiis, quae exemptionum privilegia a Summis Pontificibus, aliisque Ecclesiae Praelatis non tantum acceptata, sed etiam propriis sanctionibus confirmata sunt. Nam olim a tributis communibus haec bona exempta non erant, uti patet ex S. Ambrosio relato, *can. 27. cau. 11. q. 1. Si tributum petit Imperator, non negamus. Agri Ecclesiae solvunt tributum.* Tempore Iustiniani Imperatoris necdum Ecclesiae a tributis immunes erant, uti patet ex *Nov.* 37. Clodoveus Rex Galliae Ecclesiae agris Immunitatem indulsit. Ludovicus Pius a 816. mansum unum Ecclesiae, quantum per annum par boum arare potuit, hoc est, bona Ecclesiae dotalia Immunitate donavit, quae Immunitas non tantum Ecclesiis Parochialibus, sed et Cathedralibus et Monasteriis competebat: imo Imperatores in Capitularibus eam ad omnes fundos Ecclesiae extenderunt, licet terrae de novo Ecclesiae acquisitae ea non gauderent, si ante acquisitionem illam non obtinuissent. Denique Fridericus II. *Auth. Item nulla, c. de Episc. et Cler.* eamdem Immunitatem concessit. Saeculo 11° Immunitas ab exactionibus ad bona Clericorum etiam patrimonialia extendi coepit, tum in citata *Authentica*, tum ex decretis Concilii Lateran. sub Innocentio III. et alterius sub Leone X. etc. et in *c. Quanquam, de cens. in* 6. hodie tamen haec Immunitas in variis locis maxime in Gallia non obtinet, adeoque non est iuris Divini.

Immunitas quoad bona cuius iuris?

§ 870. Immunitati Ecclesiasticae tam personali, quam reali, quatenus non est iuris Divini, Summus Pontifex, per speciale privilegium ob iustam causam Principi saeculari datum, ex aliqua parte derogare potest.

An Papa Immunitati derogare possit?

*Schol.* Nonnulli Publicistae recentiores volunt, Immunitatem Ecclesiasticam, maxime eam, quae est iuris humani, sine concessione Papae a Principibus saecularibus abrogari posse. Verum haec sententia non placet. 1. Quia immunitate hac privari non possunt, nisi subditi: sed post concessa haec exemptionis privilegia ab ipsis Principibus saecularibus, et a Papa et Ecclesia acceptata, Personae Ecclesiasticae non amplius subditae sunt saeculari potestati: ergo non possunt hac Immunitate saltem sine consensu Papae privari. 2. Privilegium Immunitatis Personis Ecclesiasticis concessum est ad convenientem statum et gubernationem Ecclesiae: ergo sine consensu

An sine consensu Papae?

supremi illius Rectoris a Principibus laicis abrogari non potest, qui non possunt licite revocare praedecessorum suorum indulta in bonum commune concessa. Non obstat I. quod bona Ecclesiastica sint pars territorii, et possessio eorum sit ius politicum. *Resp.* Sunt pars territorii, sed speciali exemptione gaudens, et ius eorum ad forum Ecclesiasticum ex ipsorum Principum privilegio translatum fuit. II. Bona Ecclesiastica recipiunt commodum protectionis publicae Regiae: ergo etiam onus exactionum sentire debent. *Resp.* Sentire possent, nisi ad bonum commune Ecclesiae illis relaxatum fuisset. III. Exemptio haec a praedecessoribus Regibus facta, est in praeiudicium eorum successorum, et damnum reipublicae: ergo eos non stringit. *Resp.* Praeiudicium, et damnum hoc nullum est; nam per consensum Papae expetitum, et ex iusta causa concessum facile tollitur. Porro quid Principes saeculares circa exactiones a bonis Ecclesiasticorum possint, ex eorum privilegiis innotescet: in casu necessitatis cum consensu Papae Clericorum adiutorium certe non deerit. Vide *Inst. I. E. tom.* 2. § 580. *et seqq.*

### Art. 4. *De Iure Asyli.*

Ius Asyli quid? § 871. Immunitas Ecclesiastica localis consistit tum in reverentia locis sacris exhibenda, per hoc, quod actus profani in illis exerceri non possint; tum in *Iure Asyli*, quod est privilegium, quo malefactoribus ad Ecclesias, loca sacra, et religiosa confugientibus securitas praestatur, ne inde vi extrahi possint, praesertim ad poenam in vita, et membris irrogandam.

Est iuris humani § 872. Ius Asyli non est iuris Divini, uti patet tum ex silentio S. Scripturae N. L. in qua nullum resuscitatae Legis Mosaicae de Asylis, *Deut.* 19. *v.* 5. vestigium apparet: tum ex Traditione trium primorum saeculorum, in quibus de hoc iure nulla mentio occurrit. Igitur est iuris humani legibus tum civilibus, tum canonicis constitutum. Primus, qui hoc ius statuit, fuit Constantinus M. iuxta Baronium ad an. 324. et postea Theodosius M. *l.* 1. *c. Theodos. de his, qui confugiunt etc.* et postquam ab Arcadio Imperatore suasu Eutropii abrogatum esset, idem Arcadius allaborante S. Chrysostomo illud restituit: et Honorius, Theodosius II. *l.* 2. c. *de his etc.* ac denique Carolus M. *c. Reum*, 17. *q.* 4. confirmavit. Haec Imperatorum privilegia Ecclesia recepit, et in multis Conciliis, Aurelianensi, Arausicano etc. *c. id.* 17. *q.* 4. canonizavit. Accesserunt deinde decreta Summorum Pontificum Bonifacii V. a. 618. Nicolai I. a. 858. Innocentii III. c. *Inter alia, de Immun. Eccl.* Gregorii XIV. et Benedicti XIII.

Origo eius *Schol.* Ius Asyli non semper eodem modo in usu fuit: originem suam multum ex eo traxit, quod Episcopi olim saepius pro delinquentibus apud Imperatores intercesserint, iudicantes, quod si rei mortis statim ad supplicium raperentur, non possent se ad eam sine peracta debita poenitentia sufficienter praeparare. Quare ad Episco-

porum instantiam a poena mortis absoluti, gravem ab eis poenitentiam pro satisfactione acceperunt. Nonnulli etiam Episcopi ideo reorum patrocinium susceperunt, ut vexa processus summarii et tumultuarii in causis criminalibus olim usitati evitaretur.

*Coroll. Pract.* 1° Iure Asyli gaudent omnes Ecclesiae auctoritate Episcopi ad celebranda Divina destinatae, etiam non benedictae, nec consecratae, interdictae, pollutae, dirutae cum spe reaedificationis, aedificari coeptae, ubi Area ab Episcopo designata iure asyli gaudet: quod etiam spectat ad partes Ecclesiae exteriores, porticus, parietes, sacristiam, turrim, tectum, cryptas subterraneas, scalas ad Templum, portam eius apprehensam. Item ad Sacella, et Oratoria publica, Coemeteria etiam ab Ecclesia separata, Palatium Episcopi, et iuxta Matthaeuccium, domum Parochi. Item ad omnia aedificia domus, vel Conventus religiosi, hortos, stabula, horrea, intra eumdem murum conclusa, hospitalia auctoritate Episcopi cum Sacello ad celebrandum erecta, Tabernaculum, in quo actu SS. Eucharistia servatur, ita ut etiam confugiens ad Sacerdotem eam in platea portantem capi non possit. 2° Iure asyli gaudent omnes baptizati utriusque sexus, Iudaei, et Pagani, si serio converti velint, suspensi, interdicti, excommunicati, banniti, et condemnati ob crimen non exceptum, e carcere fugientes. 3° Crimina, ob quae ius asyli non conceditur ex Constitutione Gregorii XIV. sunt: publicum latrocinium, viarum grassatio animo spoliandi viatores effectu subsecuto, depopulatio agrorum, assassinium, homicidium, vel mutilatio in parte corporis principali, si fiat in loco ius asyli habente; homicidium proditorium ab amico vel inimico sub specie amicitiae patratum; haeresis non tolerata; crimen laesae Maiestatis. His delictis Benedictus XIII. in Bulla: *Ex quo*, sequentia addidit: homicidium praemeditatum, et deliberatum; provocantem ad duellum, et occidentem; mandatum ad homicidium; falsificationem litterarum Apostolicarum; furtum et falsitatem commissam a ministris Montis pietatis, publicorum teloniorum, Banci pro deposito Principis, vel privatorum; conflantes, adulterantes, et tondentes monetas aureas, et argenteas, et fraudis conscios, ac participes; fraudulentam sub nomine curiae in alienas domos ingressionem cum rapina, homicidio seu mutilatione domesticorum, vel extraneorum. Benedictus XIV. in Constit. *Detestabilem*, privat iure asyli occidentem alterum in duello, etiam extra locum conflictus mortuum; imo etiamsi tantum vulneraverit, confugiens ad asylum ex decreto Episcopi cum assistentia Personae Ecclesiasticae extrahi, et incarcerari potest, ita tamen, ut si vulneratus tempus a lege statutum supervixerit, percussor a iudice restitui debeat. Desertores etiam militiae iure asyli privatos esse, declaravit S. Congregatio. 4° Iniuste extrahens fugitivum e loco immuni graviter peccat, et una cum mandante ipso facto incurrit Excommunicationem maiorem, quae an Papae vel Episcopo reservata sit, adhuc disputatur. 5° Peccat graviter, qui impedit reum, ne con- Resolvuntur casus.

fugiat ad Immunitatem, aut ex hac expellit, nisi forte in hac se indecenter gereret: confuga interim ex bonis loci immunis alendus est, licet expensae ab eo repeti possint; illi etiam suaderi potest, ut discedat, si fuga saecura praestetur. Iudici autem saeculari licet custodiam militarem extra locum asyli constituere, ad reum egredientem capiendum. Quamdiu vero in asylo est, non potest ad mortem, vel poenam corporalem condemnari, sed tantum ad mulctam pecuniariam, *c. Reum*, 17. *q*. 4. 6° Modus extrahendi reum ex asylo est: 1. Praemittitur cognitio, an reus iure asyli gaudeat. 2. Obtenta licentia Episcopi, in praesentia Personae Ecclesiasticae iudex saecularis eum extrahat; et si Episcopus nollet dare licentiam extrahendi reum notorium delicti excepti, iudex laicus, minori tamen, quo fieri potest, tumultu, eum extrahere posset: imo quando moraliter credibile est, crimen esse exceptum, delinquens potest, et debet extrahi iudici petenti, modo ille se obliget ad eum Ecclesiae restituendum, si postea diluantur indicia, ex quibus delictum videbatur exceptum. Vide *Inst. I. E. tom.* 2. § 573. *et seqq.*

## CAP. XVI.

### *De Sacrilegio.*

Sacrilegium quid? § 873. Qui Immunitatem Ecclesiasticam violat, *Sacrilegium* committit, quod est indigna et irreverens rei sacrae tractatio. Res autem *sacra* dicitur, quae publica institutione, auctoritate, et ritu ad cultum Dei deputata est.

Quoluplex? *Schol*. Sacrilegium aliud est *personale*, seu indigna Personae sacrae tractatio: aliud *reale*, seu violatio rerum sacrarum, publica auctoritate ad cultum Divinum ordinatarum. Aliud *locale*, seu violatio loci sacri ab Episcopo consecrati, aut eius auctoritate ad publica Divina officia deputati.

Est mortale. § 874. Sacrilegium est per se peccatum mortale; quia opponitur excellentissimae virtuti morali, scilicet Religioni, habetque gravem repugnantiam cum sanctitate rei sacrae, eique gravem iniuriam infert.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Sacrilegium personale quatuor modis committitur: 1. Inferendo manus violentas in Clericum, vel religiosam personam (§ 867.). 2. Subiiciendo Personas Ecclesiasticas iudicio saeculari (§ 866.). 3. Gravando necessaria Clerici etc. sustentationi tributis, et cum per onera publica ab officio suo impediendo (§ 868. et seq.). 4. Violando luxuriose Personam, Deo per votum castitatis consecratam (§ 657.). 2° Sacrilegium reale committitur: 1. Circa Sacramenta, ea invalide, vel indigne in statu peccati mortalis administrando, et suscipiendo. 2. Tangendo illicite, et irreverenter SS. Eucharistiam, quod extra casum necessitatis a laico factum foret peccatum mortale: vasa vero sacra, et utensilia a laico vel sub veniali, vel occurrente quacumque necessitate sub nullo peccato tangi possunt. 3. Indigne tractando res sacras, profanando, ad usus vanos

adhibendo. 3° Sacrilegium locale committitur, violando loci sacri immunitatem (§ 872.): polluendo Ecclesiam, aut Coemeterium modis in *tr. de Euch.* recensendis: exercendo in templo actionem profanam, quae vel ex natura sua, vel prohibitione iuris sanctitati loci repugnat, uti exercere in Ecclesia iudicium saeculare, maxime criminale, negotiationem, mercaturam solemnem, tripudia, clamores, ludos profanos, commessationes etc. 4° Ad crimen Sacrilegii non requiritur intentio inhonorandi res sacras, sed sufficit deliberata indigna tractatio. Rosaria in Coemeterio et alia ad cultum Divinum venalia exponere, non est quidem irreverentia; praestaret tamen omittere, maxime vero suspectos libellos, et miracula non satis approbata ineptis carminibus et cantu declamari solita, quae non raro in Religionis nostrae contemptum cedunt.

## SECTIO VI.

### *De Pietate, et reliquis partibus potentialibus Iustitiae.*

## CAP. I.

### *De notione Pietatis.*

§ 875. Post Religionem sequitur iam nunc altera pars potentialis Iustitiae, scilicet *Pietas* (§ 673.); quae est virtus, per quam sanguine coniunctis, patriaeque benevolis officium, et debitus cultus tribuitur. Pietas quid?

### ART. UN. *De obligationibus Filiorum erga parentes, et parentum erga Filios.*

§ 876. Pietas potissimum exhibenda est Parentibus a liberis, vi cuius debent illis amorem, obedientiam, et reverentiam, in quibus, si notabiliter deficiant, mortaliter peccant. Nam *Exod.* 20. *v.* 12. praecipitur: *Honora patrem tuum, et matrem tuam, ut sis longaevus super terram.* Obedientiam filiis inculcat S. Paulus *ad Eph.* 6. *Filii, obedite parentibus vestris in Domino.* Item *ad Rom.* 1. *v.* 30. et 2. *ad Tim.* 3. *v.* 2. et *Eccli.* 3. *v.* 2. Reverentia praecipitur *Eccl.* 3. *v.* 9. *In opere et sermone, et in omni patientia honora patrem tuum.* Et *Prov.* 30. *v.* 17. *Oculum, qui subsannat patrem ..... effodiant eum corvi de torrentibus.* Pietas erga parentes.

*Coroll. Pract.* 1° Liberi tenentur Parentes suos amare: interne, bene volendo illis, externe, omne malum, et iniuriam ab illis propulsando, benevolentiae signa ostendendo, in necessitate subveniendo. Unde peccant, si Parentes odio, malevolentia, et indignatione prosequantur: si eis in necessitate spirituali, et corporali non subveniant: si ultimam eorum voluntatem non impleant: si mortem, et grave malum illis optent. 2° Liberi tenentur obedire Parentibus in omnibus honestis, et licitis, ita ut inobediendo per se graviter peccent, nisi eos levitas materiae, inadvertentia, et iuvenilis incuria, Resolvuntur casus.

et quia saepe tantum est consilium, a peccato gravi excuset; dummodo contemptus Parentum absit, qui, si saepissime proles praeceptum transgrediatur, virtualiter saltem intervenit. 3° Liberi tenentur Parentibus exhibere reverentiam internam, eos ut Superiores agnoscendo, et reverentialiter timendo: et externam in verbis, signis, et factis. In quo liberi pro ratione materiae graviter, vel leviter peccant, qui verbis duris et inurbanis, contumeliis, et maledictionibus Parentes afficiunt, illis illudunt, eos ad dignitates evecti despiciunt, cognoscere nolunt, negant, erubescunt; ubi graviter peccatur, nisi gravis iustaque causa magni damni vitandi subsit, ut debitus amor et reverentia in corde solum retineatur. Item graviter peccant liberi, qui Parentes deliberate etiam leviter solum verberant, imo brachium, vel instrumentum ad verberandum levant: nisi forte brachium levent ictus declinandi gratia. Item graviter peccat, qui patrem in iudicio sive criminaliter, sive civiliter accusat, vel testem contra eum agit, excepto crimine haeresis et laesae Maiestatis per coniurationem contra Principem. Potest tamen filius a patre iniuste laesus vel alimentis privatus, absolute officium iudicis implorare. Item contra reverentiam peccatur, non exhibendo Parentibus consueta signa honoris, assurgendo, caput detegendo etc. ubi tamen saepe inadvertentia, secluso pravo affectu, a mortali excusat.

Obligationes Parentum. § 877. E contra Parentes iure Divino, et naturali tenentur liberos suos amare, et honeste educare. Ita praecipitur *Eccl.* 7. *v.* 25. *Filii tibi sunt? erudi illos, et curva illos a pueritia.* Et *ad Eph.* 6. *Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros: sed educate illos in disciplina, et correptione Domini.* Ratio patet ex ipso instinctu naturae, quo videmus ipsa bruta amare foetus suos, eisque necessaria ad vitam conquirere.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Peccant Parentes, si liberos suos odio prosequantur, mala illis imprecentur, et in necessitate non succurrant. 2° Educatio est duplex: Corporalis, quae exigit, ut Parentes triplicem providentiam liberis impendant: 1. Vitae; ab ipso conceptu sedulam prolium curam gerendo, et omnia vitae nociva ab iis avertendo. 2. Victus: necessaria ad victum, et amictum statui convenientem procurando. 3. Status: proles ita educando, ut suo tempore honeste se sustentare possint. Hinc matres peccant graviter, infantes in lecto lateri suo proxime admoventes, cum praeviso periculo oppressionis eorum in somno. Item patres graviter peccant, qui uxores praegnantes dure tractant, et percutiunt, cum damno foetus in utero existentis. Item, quando tempore menstrui exercent impuras commixtiones cum evidenti periculo abortus, aut prolis monstruosae, infirmae, fatuae concipiendae. Item peccant parentes, qui dissipant bona temporalia, quia sunt causa paupertatis prolium, cum multis malis inde emergentibus. Peccant graviter matres, quae proles ante templum, hospitale, vel in platea exponunt, nisi gravissima causa subsit, vel quia non possunt alere, vel sine gravissimo damno famae

retinere; tum quia pietati naturali hoc repugnat, tum quia proli est iniuriosum. In gravi vero necessitate tenetnr mater in expositione infantis curare, ne frigore pereat, aliove modo damnum salutis corporis, et animae incurrat. Item mater tenetur per seipsam ordinarie lactare infantem, et si sine iusta causa alteri nutrici bonae tradat, venialiter peccat; mortaliter vero, si tali tradat, unde notabile damnum proli immineat. 3° Educatio spiritualis requirit a Parentibus: 1. Doctrinam in fide, necessariis ad salutem, moribus, et scientiis, vel per se, vel per bonos instructores. 2. Bonum exemplum, quo Parentes filiis praelucere debent. 3. Correptionem seriam et discretam. Unde graviter peccant Parentes, qui proles in necessariis ad salutem non instruunt, earum vitia corrigere negligunt, suspecta consortia frequentare sinunt, nimia severitate eas corrigunt, unde eas stupidss reddunt, et variis morbis per totam vitam exponunt: eas vel ad Matrimonium, vel Statum Religiosum invitas cogunt. 4° *Tutores* graviter peccant, si bona pupilli negligant, pecuniam ad usus non necessarios cum damno concedant, et tenentur ad restitutionem. Tutores enim tenentur amare pupillos, et curam eorum in spiritualibus et corporalibus gerere. Pupilli vero tenentur suis Tutoribus exhibere amorem, reverentiam, et obedientiam; adeoque in materia gravi non obediendo, graviter peccant. Tutorum obligationes

## CAP. II.

### *De Observantia.*

§ 878. Tertia pars potentialis Iustitiae est *Observantia*, quae est virtus, per quam homines aliqua dignitate antecellentes, maxime Superiores nostros, quodam cultu, et honore prosequimur. Observantia quid?

*Schol.* Partes Observantiae sunt: *Dulia*, quae honorem, et debitam servitutem exhibet dominanti per signa externa, scilicet actiones honorificas, verba honorifica et res exteriores, v. g. oblationes munerum. Et *Obedientia*, quae est virtus, per quam quis Superioris sui praecepto obtemperat, ex intentione satisfaciendi eius praecepto: cui opponitur *Inobedientia*, quae est transgressio praecepti ex illius vel praecipientis contemptu. Eius partes. Dulia Obedientia.

### Art. un. *De obligationibus Subditorum, et Superiorum.*

§ 879. Subditi tenentur Praepositis suis spiritualibus exhibere reverentiam, amorem, obedientiam, et necessaria vitae subsidia: *Eccl.* 7. v. 31. *In tota anima tua time Dominum, et Sacerdotes illius sanctifica.* Ergo spiritualibus Praepositis subditi debent reverentiam. 1. *Ad Thess.* 5. v. 12. *Rogamus autem vos, fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos, et praesunt vobis in Domino, et monent vos, ut habeatis illos abundantius in charitate propter opus illorum.* Ergo subditi debent amorem. *Ad Hebr.* 13. v. 17. *Obedite praepositis vestris, et subiacete eis.* Ergo debent obedientiam. 1. *Ad* Obligatio subditorum erga Praepositos spirituales

*Tim.* 5. *v.* 18. *Dignus est operarius (qui laborat in verbo et doctrina) mercede sua.* Ergo debent subsidium necessarium.

Praepositorum erga subditos. E contra Praepositi spirituales tenentur filiis suis spiritualibus, 1. Exhibere paternum amorem: *Ioan.* 10. *v.* 11. *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* 2. Curam pro salute animae: 1. *Petr.* 5. *v.* 2. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei.* 3. Doctrinam: 2. *ad Tim.* 4. *v.* 2. *Praedica verbum, insta opportune, importune; argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.* 4. Bonum exemplum: 1. *ad Tim.* 4. *v.* 12. *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate.*

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Praepositi spirituales peccant graviter negligendo animas in cura, et administratione Sacramentorum, omittendo conciones, et Catecheses, scandala praebendo, vel non tollendo. 2° Superior Regularis tenetur velut pater subditis suis Regularibus providere de spiritualibus, et corporalibus. Item religiosam disciplinam fortiter, et suaviter urgere, delinquentes paterne monere, et corrigere; et peccat graviter, si minimos defectus in iis, quos aversatur, gravissimo puniat, gravissimos vero in iis, quos amat, dissimulet: subditi vero illi debent amorem, reverentiam, et obedientiam. 3° Praeceptores, et Instructores tenentur sollicite promovere profectum discipulorum suorum in pietate, et litteris, eorum peccata corrigere, et bono exemplo illis praelucere: discipuli vero debent Praeceptoribus suis amorem, reverentiam, et obedientiam; ubi tamen non tam facile peccant graviter, nisi materia gravior fuerit.

Obligatio subditorum erga Magistratum. § 880. Subditi tenentur Magistratui suo saeculari exhibere, 1. Amorem. 1. *Ad Tim.* 2. iubet Apostolus, fieri orationes pro Regibus. 2. Reverentiam: 1. Petr. 2. *Regem honorificate.* 3. Obedientiam: nam *ad Tit.* 3. scribit Apostolus, Christianos monendos esse, *Principibus et Potestatibus subditos esse, dicto obedire.*

Obligatio Magistratus. E contra Magistratus saecularis subditis exhibere debet, 1. Amorem, et benevolentiam: *Iob.* 29. *Oculus fui coeco, et pes claudo.* 2. Administrationem iustitiae: *Sap.* 1. *Diligite iustitiam, qui iudicatis terram.* 3. Impedire damna communia: *Prov.* 20. *Rex, qui sedet in solio iudicii, dissipat omne malum intuitu suo.* 4. Scelera plectere: *Prov.* 20. *Dissipat impios rex sapiens, et incurvat super eos fornicem.*

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Magistratus saecularis graviter peccat, per negligentiam, conniventiam, iniuriam, oppressionem innocentum, tolerata publica scandala. Item si abiecta subditorum cura, cam ministris vel malis, vel non satis capacibus relinquat. 2° Si advertat, ex impunitate delicti augeri audaciam, turbarique rempublicam. Peccat graviter, si non puniat reum graviter delinquentem, et fit particeps peccati alieni: secus est, si ex iusta causa parcat. 3° Subditi peccant graviter, vel leviter pro ratione materiae, si Magistratui amorem, reverentiam, et obedientiam denegent.

Obligatio Domino- § 881. Famuli, et ancillae tenentur dominis suis praestare, 1. Reverentiam: 1. *ad Tim.* 6. *v.* 1. *Quicumque sunt sub iugo servi,*

*dominos suos omni honore dignos arbitrentur.* 2. Obedientiam: *ad Eph. 6. v. 5. Servi, obedite dominis carnalibus cum timore.* 3. Fidele obsequium: *ad Tit. 2. v. 9. et 10. Hortare servos, dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes.* rum erga famulos.

E contra domini tenentur servis suis praebere iustam mercedem, et sustentationem congruam: *ad Col. 4. v 1. Domini, quod iustum est et aequum, servis praestate.* 2. Amorem, et convenientem benevolentiam: *Eccl. 4. v. 35. Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos, et opprimens subiectos tibi.* Obligatio famulorum erga dominos.

*Coroll. Pract.* 1° Famuli et ancillae peccant graviter per gravem irreverentiam, contemptum, et inobedientiam erga dominos, quando otiantur, non fideliter laborant, defraudant, damnum inferunt, aut non praecavent, aut ante conventum tempus famulatum deserunt. 2° Innocentius XI. hanc propositionem 51. damnavit: *Famulus, qui submissis humeris scienter*, id est, non dubitans de flagitio a domino praestando, *adiuvat herum suum ascendere fenestram ad stuprandam virginem, et multoties ei subservit, deferendo scalam, aperiendo ianuam, aut quid simile cooperando*, scilicet scribendo vel deferendo litteras, concubinam adducendo: *non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.* Imo nec metus mortis iuxta La Croix excusat. 3° Peccata dominorum erga servos pro substrata materia gravia, vel levia, sunt: iracundia, nimia austeritas, percussio gravis, et iniuriosa, subtractio iniusta mercedis, omissio correctionis. Resolvuntur casus.

## CAP. III.

### *De Gratitudine et Ingratitudine.*

§ 882. Quarta pars potentialis Iustitiae est *Gratitudo*, quae est virtus respiciens debitum ex beneficio, ad illud aliquo modo compensandum, vel agnitione beneficii accepti, et amore benefactoris, vel gratiarum actione, vel altero beneficio. Huic opponitur *Ingratitudo*, quae est contemptus beneficii vel benefactoris. Gratitudo quid? Ingratitudo quid?

§ 883. Omnis Ingratitudo est peccatum, quia adversatur rectae rationi; et ideo etiam 2. *ad Tim.* 3. inter peccata recensetur: *Blasphemi, parentibus inobedientes, ingrati.* Ingratitudo est peccatum.

*Coroll. Pract.* Ingratitudo formalis, quando beneficium, et benefactor contemnitur, est speciale peccatum, utpote speciali virtuti gratitudinis opposita, quae pro substrata materia, et contemptu potest esse vel peccatum mortale, vel peccatum veniale. Resolvuntur casus.

## CAP. IV.

### *De Vindicatione et vitiis ei oppositis.*

§ 884. Quinta pars potentialis Iustitiae est *Vindicatio*, sive ultio iniuriae per aliquod malum peccanti inflictum: seu est redditio mali Vindicatio quid?

Crudelitas. Indulgentia. poenalis pro malo culpabili. Huic per excessum in poena opponitur *Crudelitas;* et per defectum *nimia Indulgentia* in puniendo.

## CAP. V.

### *De Affabilitate, seu Urbanitate et vitiis ei oppositis.*

Affabilitas quid? § 885. Sexta pars potentialis Iustitiae est *Affabilitas*, seu *Urbanitas*, quae est virtus, qua quis ex debito vitae socialis in communi convictu se decenter habet ad alios, spectata conditione personarum, et circumstantiis ut neque nimis blande, neque nimis aspere se gerat in consortio. Adulatio. Illi per excessum opponitur *Adulatio*, quando quis supra modum alios verbis, vel factis extollere, et delectare cupit in communi consortio. Morositas. Et per defectum *Morositas*, quando quis se difficilem praebet in consortio contradicendo, ex animo non placendi, aut alios contristandi, ut suis moribus obsequantur. Quae duo vitia, cum charitati graviter non repugnent, sunt per se tantum peccata venialia.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* Adulatio potest esse peccatum mortale ratione materiae, quando quis laudat peccatum mortale alterius: deinde ratione intentionis, inferendi grave damnum alteri, spirituale, vel corporale: denique ratione effectus, quando quis per adulationem dat alteri ansam peccati mortalis, quod praevidere, et avertere poterat, et debebat.

## CAP. VI.

### *De Liberalitate et vitiis ei oppositis.*

Liberalitas quid? § 886. Septima pars potentialis Iustitiae est *Liberalitas*, quae est virtus moderans amorem divitiarum, et reddens hominem promptum ad eas erogandas, quando dictat recta ratio. Avaritia. Illi per defectum opponitur *Avaritia*, quae est immoderatus amor divitiarum: Prodigalitas. et per excessum *Prodigalitas*, quae est erogatio superflua rerum suarum.

Avaritia et Prodigalitas quale peccatum? § 887. Avaritia prout opponitur Liberalitati, sicuti et Prodigalitas, ex genere suo sunt peccata venialia, quia sunt excessus in re indifferente, et de se licita.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1º Avaritia fit peccatum mortale, quando homo ita inordinate appetit, et amat divitias, ut in illis ultimum finem constituat: vel quando amori proximi graviter repugnat, iniuste eius bona auferendo, detinendo, et in necessitate non succurrendo. 2º Filiae Avaritiae sunt: Obduratio cordis erga egenos, Inquietudo mentis, Proditio, Fraus, Periurium, Furtum, Perfidia, Oppressio pauperum, et omnis Iniustitia. 3º Prodigalitas potest esse peccatum ratione finis mortaliter mali: deinde ratione damni emergentis, si prodigus fiat impos ad debita solvenda, vel familiam alendam: denique ratione specialis obligationis superflua in pias causas erogandi, uti in Beneficiatis Ecclesiasticis (§ 860.). Haec de Virtutibus Cardinalibus, et vitiis illis oppositis ad maiorem Dei gloriam dicta sint, qui nos faciat ire de virtute in virtutem, ut tandem videamus Deum Deorum in Sion.

U. I. O. G. D.

# INDEX

## RERUM MEMORABILIUM LOCUPLETISSIMUS.

### A

B



C

S